

CHA

CHA

CIÓN C

54

ETHNOLOGIA

NUMERATICA

2

BX1751

.J4

1852-1854

v.2

t.2

c.1

230





1080042266




6#2-6#H1



**THEOLOGIA**

WIRCEBURGENSIS.

DE Benavides,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS







RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

# THEOLOGIA

DOGMATICA

POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS,

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA.

EDITIO ALTERA

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS.

TOMUS SECUNDUS.

DE DEO VERBO INCARNATO.



Capilla Alfonsina<sup>®</sup>  
Biblioteca Universitaria



LUTETIÆ PARISIORUM,

SUMPTIBUS JULIEN, LANIER ET SOCIORUM.

4. VIA DICTA DE RUELL

1853.

EXCUDERANT JULIEN, LANIER ET SOCII CENOMANI.





BX1751

54

v.2

1852-54



Capilla Altiterrano  
Biblioteca



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA  
ESTADO DE NUEVO LEON

TRACTATUS

# DE DEO VERBO INCARNATO

AUCTORE R. P. THOMA HOLTZGLAU S. J.

SS. THEOLOGIE DOCTORE EJUSDEMQUE

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO.


JUAN

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS







# INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

DE

## INCARNATIONE VERBI DIVINI.

### PROEMIUM.

IN QUO PRÆMITTUNTUR QUÆDAM DE VARIIS HUIUS MYSTERII NOMINIBUS; DE HÆRESIBUS CIRCA ILLUD OBORTIS; TUM GENERATIM DOGMA CATHOLICUM ET INCARNATIONIS DEFINITIO EXPONITUR.

1. Ad exprimendum *magnum* hoc, teste Apostolo 1. ad Tim. 3. v. 16. *pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne*, nimirum Incarnationis mysterium, SS. Patres diversis nominibus usos, licet in dogmate concordantes, accepimus. S. ATHANASIO orat. 2. cont. Arian. n. 9. CLEMENTI ALEXANDRINO L. 3. Strom. (opp. p. 365. C. edit. Morell. Paris. 1629), S. BASILIO L. 1. cont. Eunom. n. 7. (opp. t. 1. p. 218.), S. CHRYS. hom. 67. in Gen. c. 49. v. 9., S. CYRILLO ALEX. Glaphyr. in Gen. L. 6. (opp. t. 1. p. 188. A.) aliisque, præsertim Græcis, vox *οἰκονομία*, *dispensatio*, ex occulto consilio profecta placuit. *Œconomia* autem providam rei alicujus gestionem significat; specialiter vero providentiam et indulgentiam beneficam, qua quis a rigore juris decedens condescendit utilitati alterius. Hoc modo ad *œconomiam* pertinet tum ipsa naturæ humanæ ad Verbum assumptio; tum quidquid in ea natura Christus pro nobis gessit; unde et apud Græcos ad Theologiam quidem revocantur, quæ ad naturam divinam: ad *œconomiam* vero, quæ ad humanitatem assumptam spectant, et mysteria consequentia.

2. S. CYRILLO in L. 2. cont. Nestorium (opp. t. 6. p. 59. D.) vox *ληψίς*, *sumptio*, *acceptio*, *assumptio*, arrisit, per hanc conjunctionem naturarum in persona Verbi intelligens, ut ibidem exponit. Voce eadem jam ante usum fuisse Apostolum ad Philip. 2. v. 7. observat VICILIUS L. 4. cont. Eutychem, (Bibl. magna PP. t. 4. p. 513. B.), ubi et Eutychianos ait, verbum istud declinasse, quod apertius, quam causæ illorum expediret, naturarum in Christo discrimen ostenderet. Quod si proinde postea S. CYRILLUS ipse, aliive dicta vocabula rejecisse videantur, id solum fecerunt in sensu Nestorii. Sic,



dum S. CYRILL. anathematismo 8. (opp. t. 6. p. 153. E.) anathema dicit illi, qui assereret, *assumptum* hominem una cum Dei Verbo adorandum: Item, dum in refutat. Theodoreti (opp. t. 6. p. 226. C.) ait, non assumptum esse hominem a Deo Verbo et quadam habitudine collatum, sed illum potius hominem esse factum; hoc tantum cavere voluit, ne quis sic assumptum esse hominem putaret, aut adorandum cum Verbo, quo modo existimabat Nestorius: h. e. jam in matris utero antea plene formatum ac perfecte subsistentem per se, sive qui jam habuisset subsistentiam propriam et personam; unde Hæresiarcha hic inferebat, præter divinam personam Verbi, esse in Christo alteram hominis, hancque una cum Deo Verbo adorandam. Hoc CYRILL. epist. ad Joann. Antiochen. (opp. t. 5. part. 2<sup>a</sup>. sect. 2<sup>a</sup>. p. 193. A.) his verbis declarat: *Non hominem alium sibi conjunxit, ut quibusdam (Nestorianis) visum. Tum epist. priore ad Successum (ibid. p. 139. B.): Factus est, inquit, homo: non hominem assumpsit, ut Nestorio videtur. Aliis subinde corporatio, incorporatio, ut TERTULLIANO de carne Christi c. 4., S. GAUDENTIO BRIX. serm. 2. (Bibl. magna PP. t. 2. p. 16. A.); aliis inhumanatio, ut FACUNDO HERMAN. pro defens. trium Capit. c. 3. tum EPIPHANIO hæc. 30. n. 27. in usu fuit.*

3. Magis tamen prope ad mysterii tum naturam, tum proprietatem accedit vox *Incarnatio*, Græcis *σάρκωσις*, derivata ab illo Joan. 1. v. 14. *Et Verbum caro factum est*; quem proinde secuti S. IRENEUS, L. 3. c. 21. (al. 19. n. 1.) relatus a THEODORETO Dial. 1. tum ipsa Nicæna Synodus in Symbolo docens: *et incarnatus est de Spiritu sancto*; ac passim Veteres. Duo tamen hic advertimus:

1<sup>um</sup>. Incarnationem dici per synecdochen, vi cujus, juxta usitatam Scripturæ phrasin, caro, quæ pars tantum est hominis, sumitur pro homine. Sic Gen. 6. v. 12. *Omnis caro corruperat viam suam*. Luc. 3. v. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei*. Ad Rom. 3. v. 20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo*, i. e. nullus homo per solam legem Moysis salvus fieri potest sine Christo. Nec desunt rationes congruentiæ, cur assumptio naturæ humanæ a carne potius, quæ est pars hominis ignobilior, dicta sit Incarnatio, quam animatio ab anima, licet hæc nobilior sit. Prima; quia pars illa ignobilior melius exprimit summam illam exinanitionem Filii Dei, de qua ad Philipp. 2. v. 7. ait Apostolus: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Altera; quia aptius eo nomine ostenditur, Verbum assumpsisse naturam nostram infirmitates; hoc enim cum non ita appareret, exprimendum erat. Tertia; quia caro proprie dicta carnem animatam significat, ac proinde totam naturam humanam; ut enim Aristot. observat, L. 5. de Generat. animal. caro mortua et inanimata æquivoce solum et improprie caro dicitur. Et hanc quidem rationem TERTULL. L. de Carne Christi c. 6. innuit. Item ALEXIUS epist. ad Nestorium, quæ extat initio Concilii Ephesini.

2<sup>um</sup>. Catholicos nihilominus aliquando refugisse illius vocis usum; sed ea duntaxat ex causa, ne consentire viderentur abominandæ hæresi Apollinaris, qui initio non integram hominis naturam, h. e. carnem et animam rationalem; sed carnem solam a Verbo assumptam fuisse docuerat, ac proinde *σάρκωσις*, *Incarnationis*, vocabulo maxime utebatur, tanquam quod solius carnis susceptionem exprimeret; etsi postea errorem tempera-

turus novo errore diceret, etiam animam quidem assumptam fuisse, sed sine mente, ita ut Verbum nunc solius mentis vices suppleret, quod antea dixerat esse loco totius animæ. Verum submoto interim Apollinaris errore, vocis *Incarnationis* usus rediit, atque apud Theologos prorsus invaluit; ex quo disputari inter illos cœptum de illa CYRILLI sententia, qua dixerat *naturam unam Verbi incarnatam*, de qua et nos suo loco disseremus.

4. Ex omnibus vero fidei nostræ mysteriis vix ullum est pluribus impugnatum erroribus, quam istud, de quo agimus. S. FULGENTIUS L. 1. ad Tras. c. 4. totam illam fidei adversantium opinionum varietatem in duo conclusit capita, dum alios esse dicit, qui Incarnationis mysterium *omnino non credunt*: alios, qui *non sicut est credunt*. Ad priorem ordinem Judæi, Ethnici, Athei pertinent; ad alterum reliquum omne, varium et numerosum hæreticorum vulgus. Primo, secundo, quin et tertio adolescentis Ecclesiæ seculo maxime grassatæ sunt judaicæ hæreses: hoc est, eorum, qui in Ecclesiam primum e Synagoga, vel Judaismo conscripti fuerant. Græcas ac philosophicas sive eorum, qui ex Gentilismo se Christianis adjunxerunt, tertio et quarto seculo maxime insaniisse constat. Quarto et sequentibus seculis, contra mysterium hoc, nati in Ecclesiæ sinu degeneres filii, adulterinis Scripturarum et Patrum interpretationibus pugnarunt. Ex his alii in Christo divinam, alii humanam naturam vel mutilare, vel truncare, ac omnino pernegare ausi sunt, ut Judæi, Græcique; alii vero de gemina illa in Christo natura minime dubitantes, ad utriusque conjunctionem duntaxat offenserunt. Unde, duce Doctore Angelico, omnes, in candidatorum gratiam, quorum id nosse interest, in tres classes, attentis singulorum erroribus, subdividimus: prima est eorum, qui circa divinitatem Christi; altera aliorum, qui circa humanitatem Christi; tertia illorum demum, qui circa naturæ utriusque conjunctionem errarunt.

5. In prima classe *Cerinthus* agmen ducit, ex vulgato Judæorum præjudicio, Christum merum hominem futurum esse, Jesum tantummodo hominem fuisse tradens, ex Maria et Josepho genitum; in hunc vero descendisse Christum, h. e. Cerinthi mente, Spiritum sanctum ad Jordanem in columbæ specie, ac postquam passus est Jesus, Christum revolasse sursum; Jesum autem resurrexisse. Sic de Cerintho L. 1. c. 25. (al. 26. n. 1.) EPIPHAN. Hæc. 28. n. 1. At AUGUSTIN. de Hæres. c. 8. et PHILASTRIUS Hæc. 36. volunt, Cerinthum docuisse, *non surrexisse Jesum, sed resurrecturum esse*. Testibus S. EPIPHAN. et PHILASTRIO hic idem Cerinthus fuit, qui Apostolorum tempore questionem movit de circumcissione et observantia legalium, ad quam decidendam primum Hierosolymis ab Apostolis fuit celebratum Concilium.

Cerinthi errores primo secutus est *Ebion*, Cerinthi nimirum, teste PHILASTRIO, discipulus. Item *Carpocrates*, Alexandrinus genere, et præcipuus Gnosticorum auctor, excepto tamen errore de legalibus. *Nazaræi*, sive ut græce concepti sunt, *Nazoræi*. *Helcesæi*, sic dicti ab Elxai impostore et pseudopropheta. *Theodotus*, coriarius. *Symmachus*, Bibliorum editionis græcæ auctor. *Beryllus*, Bostræ in Arabia Episcopus. His accensendi sunt *Artemon*, *Theodotus* alter, Argentarius vel Trapezita dictus, Coriarii disci-



pulus, *Melchisedechianorum* auctor, quod non tantum Christum simplicem hominem, sed etiam Melchisedeche inferiorem diceret.

Eandem illam Cerinthi et Ebionis perfidiam, seculo III. circa annum 273. sub FELICE I. restauravit *Paulus Samosatenus*, sic dictus a patria, quia Samosatis oriundus: Antiochenorum Episcopus. Ut enim Zenobiæ, Palmyrenorum reginæ judaizantis, gratiam captaret, Christum docebat non semper fuisse; sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, extitisse: nec eum aliquid amplius, quam hominem, fuisse in substantia; divinitatem vero habuisse non nisi per excellentem quamdam participationem, ut qui operibus suis fuisset meritis a divina Sapientia et Verbo perfundi. Ob hanc hæresin duæ Antiochiæ Synodi celebratæ sunt, in quarum prima cum veram fidem simulans Patribus illusisset, postea in altera convictus hæresis damnatus et depositus fuit. Cumque *Photinus*, Sirmiensis Episcopus, ingenio et eruditione clarus, Pauli, cujus discipulus fuerat, hæresin renovaret sub JULIO I. S. P. circa annum 347. iterato damnata fuit in Concilio Mediolanensi; Photinus vero in Sirmiensi anno 351. depositus. *Ario* vero nemo hæreticorum truculentius in Christi divinitatem, illiusque Ecclesiam deserviit. Furere coepit circa ann. 319. sed ejus gesta et hæresin late expositam vid. suo loco, scilicet a num. 88.

Observandum hic, alio modo, quam priores, circa divinitatem Christi errasse *Hermogenem*, *Praxeam*, *Sabellium*, *Noëtum*, horumque sequaces: hi enim substantialem quidem Incarnationem, secus ac priores fecisse ex eorum dogmate colligitur, professi; negabant Trinitatis mysterium, Deum unam tantum esse personam blasphemantes, quæ ut creatrix appellatur Pater, ut incarnata et patiens Filius, ut sanctificans Spiritus sanctus. Unde inferebant, incarnato et passio Filius, Patrem quoque ac Spiritum sanctum incarnatos fuisse et passos; unde erroris hujus socii a Græcis *Theopaschitæ*, *Patripaschitæ*, h. e. Deipassiani, Patripassiani nominati sunt. Erroris hujus patrocinium postea resumpsit palam *Petrus Cnapeus*, dictus Fullo, in vasor Antiochenæ sedis, et juratus hostis Chalcedonensis Synodi, teste NICEPHORO Lib. 15. Hist. c. 28. *Omnes illos, qui Deum crucifixum et passum esse non crederent, anathematis fulmine jaciens; atque ubi opinionem suam confirmavit, ter sancto Hymno (intellige Trisagion) accessionem istam, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis, adjecit.* Quo nomine a Catholicis, ipsoque *Acacio* reprehensus, in Romana Synodo a FELICE Papa damnatus est.

6. Alteram classem *Phantasiastæ* constituunt, sic nuncupati, quod Christo non veram humanamque carnem, sed apparentem atque phantasticam tribuerent; proinde Deum non re et substantia, sed nuda specie et apparentia incarnatum esse; verbo: Christum revera natum non fuisse hominem, sed putative tantum, utque TERTULL. ait de Præscript. c. 44. in phantasmate. Horum primus parens fuit, qui omnium hæreticorum Patriarcha, *Simon Magus*; quem secuti *Saturninus*, Antiochiæ, quæ ad Daphen cognominari solet, natus; tum *Basilides*; gemella Simonis proles, quia ambo discipuli: quorum posterior ad magistri sui ineptias, majores adhuc nugæ addidit; Christum revera neutiquam passum fuisse, sed pro eo Simonem Cyrenæum: hunc, aiebat, cum Judæi Christi crucem illi imponerent, Jesus in suam

commutavit figuram, et ejus vicissim proprium induit, atque ita prope stans, nec oculis aspectabilis, Judæorum evasit et irrisit conatum. Idem præterea dogma ex Judæis amplexi fuere *Cerdo*, patria Syrus; *Marcion*, qui, TERTULL. teste, L. 4. cont. Marcion. c. 6. duos insuper Christos statuit, unum, qui *Tiberianis temporibus a Deo quondam ignoto revelatus sit in salutem omnium gentium, alium qui a Deo Creatore (immo) in restitutionem Judaici status sit destinatus quandoque venturus*; *Manes*, sive *Manichæus*, juxta S. LEON. serm. 2. de Pent. c. b. *minister falsitatis diabolicæ*, cujus hæresis est, juxta S. BASIL. hom. 2. in Hexaëm. n. 4. *caries et putridum Ecclesiarum ulcus*. Item *Ophitæ*, qui præterea serpentem, a quo decepta est Eva, esse Christum dicebant; unde ipsis Ophitarum nomen adhæsit.

Huc e Græcis *Valentinus*, a quo Valentiniani, pertinet, hæresiarcha insignis. Ut cætera fanatici hominis deliria prætermittam, Christum blasphemabat ab uno ex *Æonibus* (nam Deos triginta ex Hesiodi theogonia statuit, quos *Æonas* nominabat) procreatum fuisse. Sed et Valentinum Christo corpus affinxisse cœleste et spirituale, historici tradunt; quod, sicut aqua per canalem, sic per Mariam transmearit, nihil inde vel accipiens, vel mutans.

Ex his perspicitur, hæreticos eos umbratilem duntaxat et apparentem Incarnationem credidisse; quod vera Christum carne spoliante, ei phantasticam tribuerint. Alio igitur modo circa humanitatem Christi errarunt *Apelliani*, sic dicti ab *Apelle*, Marcionis discipulo, qui veram carnem Christo concesserat, sed non sumptam a muliere, verum ab ipso Dei Filio ex quatuor elementis confectam. Deinde *Apollinaristæ*, quibus *Apollinaris* sophista, filius alterius itidem Apollinaris, cognomento Rhetoris, nomen dedit; quorum hæresin jam n. 3. retuli. Demum *Monothetæ*, sic græce nuncupati ab una voluntate, scilicet divina, quam solam in Christo admittebant. De his plura suo loco.

7. Ad tertiam denique classem spectant duæ ex omnibus, quæ Incarnationis dominicæ fidem adulterarunt, hæresibus maxime celebres, Nestoriana et Eutychiana, nomen trahentes a suis auctoribus. Prioris Nestorius Patriarcha Constantinop. parens fuit circa annum 427. sedente COELESTINO S. P. et THEODOSIO juniore Imperatore. Quod de Nestoriana hæresi hoc loco notasse sufficit, summa ejus fuit, quod, ut ait VIGILIUS L. 2. cont. Eutychen (Bibl. magna PP. t. 4. p. 504. C.) et cum eo Theologi, *duas inducendo naturas, duas putaret esse personas, et ob hoc arbitratus sit... duos Christos induci*, scilicet unum Filium Dei, alterum Filium hominis. Item: Nestorius, inquit ibid. VIGILIUS, *proprietaem attendendo naturarum, a persone excidit unionem, et duos putavit Christos*. His, quod erat connexum, adstruxit impius dogmatista, ut B. Virginem negaret Θεοτόκον, *Deiparam*, sed potius Χριστοτόκον, *Christiparam* diceret. Imo, si causas spectemus, ob quas B. Virginem dici Deiparam noluerit, in sola vocabuli illius negatione tota impietatis Nestorianæ vis collecta perspicitur: velut tota Ariana perfidia in negatione vocis *ὁμοούσιος*, *consubstantialis*. Fons et caput impuri dogmatis fuit, quod conjunctionem duarum naturarum factam putaret sic, ut ante formatus fuerit homo integer, perfecte subsistens subsistentia propria, propriamque personam habens, qui deinde cum Verbo conjunctus



fuert, non unione hypostatica, physica, substantiali, sed morali, accidentalit inhabitationis, unitatis affectus, amoris, operationis, dignitatis; sicque Christus etiam unum quid dici posset, sed eo pene modo, licet nobilitiori, quo iusti omnes et unum cum Deo, et filii Dei, et Dii dicuntur. Unde impura illa fluebant Nestorii placita, et alia referenda alibi. Nestoriani et Pelagiani dogmatis cognationem aliquam ostendit CASSIAN. L. 1. de Incarn. c. 3. itemque S. PROSPER in Epitaph. Pelag. et Nestorianæ hæreseon: scilicet, *Pelagius*, si illis fides est, Christum non vere et natura Deum, sed humano merito et præmii loco id consecutum putabat, ut Deus fieret.

Nestorianam hæresin circa finem seculi VIII. resuscitare visi sunt *Felix Urgelitanus*, tum *Elipandus Toletanus* Archiepiscopus, Christum, qua hominem, Filium Dei adoptivum asserentes, ac proinde in Christo Filios duos; ut ex L. Sacrosyllabo liquet, ubi: *Non duo Filii, alius Dei et alius hominis, ut, sicut illi (Felix et Elipandus) errando existimant, adoptivus sit hominis Filius, et sine adoptione Dei Filius*; duos vero in Christo Filios asserere, est ipsa Nestorii hæresis.

*Eutyches*, presbyter Constantinop. et archimandrita monasterii celeberrimi, ex male intellectis quibusdam CYRILLI sententiis, et hæresin Nestorianæ odio, in errorem Nestoriano extreme oppositum incidit circa annum 441. unionem quidem, ut S. LEO serm. 8. de Nativ. c. 5., in Christo duarum confessus naturarum, sed ipsa unionem id dixit effectum, ut ex duabus una remaneret. Nimirum negabat post unionem duas esse in Christo naturas integras; sed in ipso Incarnationis articulo utramque naturam affirmabat coaluisse in unam.

Ad tertiam hanc classem non immerito Lutheranos reduxeris, dum duo docent, e quibus sequitur, eos vel in Eutychianam vel Nestorianam hæresin impingere: primum est, carni Christi communicari attributa divinitatis, esse immensam, omnipotentem, etc. uti *Ubiquistæ*: alterum, unionem hypostaticam in illa communicatione attributorum consistere; si enim velint illa essentialiter naturæ humanæ tribui, jam hæc unum fiet cum divinitate; si vero accidentaliter tantum, jam distinctæ erunt personæ Dei et hominis.

8. His omnibus errorum monstris primo, et ante omnem disputationem, Catholicum dogma opponimus, quod Athanasianum symbolum, a tota adoptatum Ecclesia, in compendio et breviter æque, ac exacte tradit: *Est autem fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante secula genitus; et homo est ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens. Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo; non duo tamen, sed unus est Christus; unus autem non conversione divinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum; unus omnino non confusione substantiæ; sed unitate personæ: nam sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus,*

9. Unde a Theologis ad mentem hujus symboli, quod Scripturis sacris, Conciliis, et Patribus omnino est conforme, definitur Incarnatio: *Naturæ humanæ cum divina in una persona Verbi conjunctio*. Dicitur 1<sup>o</sup>. *conjunctio*, sive unio aut unitio, non moralis, vel accidentalit; sed vera, realis, physica, et substantialit; unde et eodem sensu a Patribus *unio naturalit* dicitur, h. e. ex eorum mente, physica. Porro hæc unio dicitur, et est *personalit* et *hypostaticit*; quia ex unione Verbi et naturæ humanæ una persona constituitur; et hoc est, quod alii aliis tantum verbis exprimere volunt, Incarnationem esse assumptionem naturæ humanæ *in unitatem personæ; vel in unam Verbi hypostasin*.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *naturæ humanæ*, h. e. complexi tantum ex corpore et anima rationali inter se unitis, sine subsistentia humana propria et personalitate; non enim natura illa humana individualit assumpta subsistens subsistentia propria ante fuit, quam assumeretur a Verbo, sed producta simul et assumpta, impediente et supplente Verbo humanam subsistentiam et personalitatem; ita ut natura utraque, divina et humana, subsistat *in una persona Verbi*; sicque non duo sint Christi, sed unus.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *in una persona Verbi*; Incarnatio enim, licet *quoad efficientiam* communis sit personis divinis tribus, cum sit opus ad extra, quod, ut alia opera ad extra, pro ratione efficiendi habet divinam potentiam, quæ, utpote prædicatum absolutum, tribus personis communis est; *terminative* tamen propria solius Verbi est; hoc enim unitur humanitati immediate, non ratione formali divinæ naturæ, quæ quid absolutum et commune est, sed personalitatis Filii, sive Filiationis, quæ est prædicatum relativum solius Filii; cum vero, quæ conveniunt prædicato relativo unius personæ proprio, non sint communia personis aliis; hinc Incarnatio propria solius Verbi est, non communis Trinitati.

Ex his elucet hujus sublimitas mysterii, quod deinceps tum exponemus, tum contra multiplices illius hostes vindicabimus, ordine Dissertationum, quem earum index exhibet.







UNIVERSIDAD AUTÓNOMA  
DIRECCIÓN GENERAL

## DISSERTATIO I.

### DE EXISTENTIA ET VERITATE INCARNATIONIS.

Hanc simpliciter et absolute negant Judæi, Athei, et Ethnici. Judæi Messiam quidem olim a Deo promissum fuisse credunt; sed negant jam advenisse, simulque pernegant promissum Messiam verum esse Deum. Athei et Ethnici Incarnationem, qualem fides proponit, etiam impossibilem judicant. Quare tria hic disputabimus Sectionibus totidem. Sect. I. contra Judæos, an promissus in lege veteri Messias advenerit? II. An hic, quem advenisse, quemque Christum dicimus, simul sit Deus verus? III. Qua ratione existentia et divinitas Christi Atheis atque Ethnicis suaderi possit?

### SECTIO I.

#### MESSIAM, SIVE CHRISTUM JAM PRIDEM ADVENISSE JUDÆIS OSTENDITUR.

10. In subjecto quæstionis adhuc abstrahitur a divinitate; sed ponitur homo, singularis excellentiæ, mittendus a Deo ad salvandos homines. Græce *Christus*, hebraice *Messias* dicitur; latine *Unctum* significat. Unctio triplici hominum generi tribui solet, regibus, sacerdotibus, prophetis; quamvis illa prophetarum esset extraordinaria, et proin unctio regibus et sacerdotibus ex instituto conveniret. Unde nomen *Christi* appellativum est. Sed ex omnibus, qui ratione unctionis Christi appellari possunt, insignior quidam et unus singularis intelligitur, cui nomen hoc per excellentiam proprium est, pari Christianorum et Judæorum consensu; ut adeo opinio Rabbi Selomoh in Commentar. in c. 24. Isaïæ, et R. Maimonidis Tract. de Regib. duos Christos promissos asserentium inane commentum sit, in quo non tantum Judæos veteres, sed et reliquos hodie omnes sibi adversantes habent. Proinde hic duo contra Judæos demonstrabimus; *primum*: Messiam promissum pridem advenisse; *alterum*: illum ipsum, quem Christiani Jesum Nazarenum, Mariæ Virginis filium prædicant, esse Messiam verum et unicum. Utrumque ex prophetarum vaticiniis, quæ ordinem dabunt articulorum sequentium.



## ARTICULUS I.

UTRUM ET QUOMODO EX VATICINIO JACOBI PATRIARCHE (GEN. 49.) PROBETUR  
ADVENISSE CHRISTUM.

11. Moriturus Patriarcha Jacob, et convocatis filiis, quid cuique eorum, intellige in posteris, in novissimis diebus eventurum, prædicturus, cum ordine ad Judam devenisset, sic eum affatus est Gen. 49. v. 8. *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui... Non auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* En vaticinium: vel ut in hebræis codicibus: *Non recedet sceptrum de Juda, vel virga, vel Legumlator de medio pedum ejus, vel inter pedes ejus, vel donec veniat Schilo; et ei obedientia populorum, vel gentium.* Catholici omnes et Christiani, licet differant, an in his: *Non auferetur sceptrum de Juda, Juda stricte sumi debeat pro tribu hujus nominis, an pro tota gente judaica? consentiant tamen hic designari tempus, quo venturus Messias; et adventus signum figi ablationem sceptri de Juda, ex ejusque ablatione Messiam pridem advenisse demonstrant; Judæis contra ad eludendum vaticinium se in omne latus torquentibus. Sed contra hos*

12. *Dico.* Ex allato Jacobi vaticinio Messiam pridem advenisse manifeste ostenditur.

*Prob.* Jacob in vaticinio suo, juxta communem et obvium verborum sensum, tria dicit. *Primum*: sceptrum aliquando, h. e. summum dominatum, vel imperium politicum, cujus signum est sceptrum, conferendum tribui Juda; hanc enim hic præcise intelligi, non totam gentem judaicam, infra probabitur. *Alterum*: imperium hoc in tribu Juda eo perstiturum usque dum Messias, qui per *mittendum* hic intelligitur, veniat. *Tertium*: sceptri proinde hujus vel imperii politici a tribu Juda ablationem, signum esse temporis, quo Messias venturus sit. *Subsum.* Atqui sceptrum hoc pridem a tribu Juda ablatum est; ergo necesse est, ut pridem Messias advenerit.

*Major* quoad partes singulas liquido constabit refutatione exceptionum, tum objectionum, quas in omnes pene vaticinii Jacobæi syllabas formare conantur Judæi.

*Minor* constat toti orbi, ejusque veritatem ipso sensu quotidie percipiunt Judæi; sive enim sceptri nomine regiam dignitatem intelligas, aut principalem quamlibet in uno residentem; sive auctoritatem summam Judaici senatus, constantis ex 70. viris, dicti *Synhedrium*, sceptrum ablatum est. Nam principatus quidem ac regnum ex Juda a mille septingentis et ultra annis defecit: primo auctoritate Cæsaris Augusti transiens in Herodem alienigenam, ut probabitur; deinde ad Romanos, qui Judæam subactam in provinciam redegerunt; Synhedrium vero, quod Herodes Ascalonita, teste Josepho Judæo, L. 14. Antiquit. c. 17. exauctoraverat, omnibus præter unum occisis, omnem auctoritatem amisit, teste eod. Josepho, L. 18. Antiq. c. 1. et de Bell. Jud. L. 2. c. 11. Post eversionem urbis vero Hierosoly-

mitanæ, quoquoersum dissipata infelix gens, spoliata omnis potestatis et dominatus jure ac titulo: vaga, errans, et vilis mancipii instar despecta, omnibus prope gentibus servire cogitur, sine spe, in tanta dispersione et tribuum ac familiarum confusione, sedem et regnum pristinum recuperandi.

13. Quod enim Judæorum aliqui dicunt, esse etiamnum *Ætmatotarcham* quemdam, ex tribu Juda oriundum, quem Patriarcham vocant, qui Judæos in Asia regat, sitque rectorus, donec Messias veniat; jocularis est fabula, quam jam olim explosit ORIGENES, L. 4. Periarchon n. 3., quæque se totam prodit, si quæres ex Judæis, ubinam terrarum hoc illorum regnum sit? vix ullus cum altero consentiet, et quilibet majores afferet nugas. Auctor apocryphus L. 4. Esdr. c. 13. inquit, decem tribus, quas Salmanasar Assyriorum rex abduxerat in captivitatem, hac soluta, abiisse in remotas terras, ut ritibus suis vacare libere possent: discessisse ab illis aquas Euphratis, et post anni unius iter in *Arsareth*, regionem imperviam, pervenisse, ibique summa pace frui. Verum nulla hac ætate nostra adeo remota est regio, præsertim in Asia, quæ non crebris peregrinationibus perlustrata; qui ergo fieri potest, ut nemo de tanto Judæorum imperio aliquid defecerit, vel a vicinis saltem populis quidquam audiverit? Aut si impervia est regio, quomodo ad illam tam facilis accessus fuit tantæ Judæorum multitudini? quomodo inde nuncios acceperit Judæi? Eodem ex capite corrui, quod R. Simeon Jalcut fabulatur; tribus illas partim in *Æthiopia*, partim in Asia possidere regna, sed septa mœnibus igneis. Item dum Talmud Jerosolymitanum Judæos regnantes ponit in America, sed nubibus conclusos, et separatos a reliquo hominum genere: aut dum eos alibi collocant immensis circumseptos montibus. Si enim in locis adeo imperviis regnant Judæi, qua ratione tabellarios inde acceperit illarum fabularum venditores?

Unde inter fabulas rejiciunt illud Judæorum Rabbini plerique alii, ingenue fatentes, Judæos omni suprema potestate et sceptro prorsus excidisse, ut R. Isaac Abarbanel Comment. in Isaiam. R. David Kimchi in Osee. R. David Ganz, aliique apud Gorri de Verit. Relig. t. 1. c. 8. quos inter R. Azrich, narrationes illas de Asiatico, vel alio Judæorum imperio, et *Ætmatotarcha*, declarat esse fictitias, et duntaxat inventas ad miseræ suæ gentis solatium. Qui proinde cum Rabbinis cæteris ipsum Jacobi vaticinium enervare conantur, quorum nunc argumenta refellenda sunt:

14. *Obj. I.* In hebraico legitur: *Donec veniat Schilo*: sed incertum est, quid per vocem *Schilo* debeat intelligi; ergo. *Prob. min.* Nam hæc vox diversimode vertitur. Sic 1°. Interpres latinus vertit: *qui mittendus est.* 2°. R. Aben Hezra cum aliis: *filius ejus.* 3°. Potest significare *pacificum*, sicque denotare Salomonem. 4°. Potest exponi pro urbe *Silo*, ut vaticinii sensus sit: *dignitas tribus Judæ mutabitur in regnum, cum urbs Silo arcæ sedes esse desierit*; ita recentiores Rabbini quidam. 5°. Vel certe potest indicare *Saulem*, vel *Jeroboamum*, quia uterque in *Silo* unctus est in regem; vel *Davidem*, qui unctus in regem fuit, quo tempore arca de *Silo* sublata fuit. 6°. Si sumatur pro *missus*, convenire potest Nabuchodonosori, qui *missus*



dicitur, ut voluit Julianus apostata; aut si pro *Messia* denique, cum hæc vox unctum, sive Christum sonat, etiam *Cyros*, qui Is. 45. *Christus* dicitur.

R. C. *Maj. N. min.* Nam 1<sup>o</sup>. hic per *Schilo* significari Messiam, præter Rabbinos recentiores R. Salomon, Kimehi, Bechai, Hakkados L. Galerazeia, testantur, nulla excepta, versiones omnes: Paraphrasis Chaldaica adornata ab Onkelos, longe ante Christi adventum, tantæque inter Judæos auctoritatis, ut nullus huic contradicere præsumeret, clare pro *Schilo* ipsum Messiam ponit: *Non auferetur habens principatum a domo Juda, usque ad tempus, quo veniat Messias, cujus est regnum, et ei obedient populi.* Targum Jonathanis: *donec veniat rex Messias.* Talmud Babylon. Tract. Sanhedr. c. 2. *quodnam est nomen Messiae? Schilo est nomen ejus; quia dicitur: donec venerit Schilo.* Adde antiquos Judæorum Interpretes, quotquot fere adhuc extant: sic liber *Bereschit Rabba* apud Judæos auctoritatis maximæ, hic *Schilo*, inquit, *est rex Messias.* Sic *Echa Rabbethi* in c. 1. Thren. *quod est nomen Messiae?... Schilo est nomen ejus, sicut dictum est Gen. 49. donec veniat Schilo.* Ut adeo, sermonem hic de Messia esse, fuerit intimus et communis Judæorum sensus, qui amplius adhuc patebit in seqq. ac proin, qui ex Judæis negare præsumunt hodie, hoc vaticinio de Messia agi, ii eo facto declarent palam, se a totius suæ gentis traditione antiquissima perfide, nec nisi ex obstinata malitia ad eludendum illustre hoc vaticinium, recedere, quod nec hujus obesse veritati, nec illorum prodesse causæ debet.

2<sup>o</sup>. Per *Schilo* intelligi Messiam, aperte, quæ immediate sequuntur, evincunt; subditur enim: *et ei obedientia populorum, sive gentium:* sive ut LXX. et juxta hos Interpretes latini: *ipse erit expectatio gentium;* sed hæc ad Messiam pertinent; ergo et ille per *Schilo* debet intelligi. *Prob. subs.* Quia his verbis passim in Scripturis Messias designatur: *Agg. 2. v. 8. Movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus.* Is. 2. v. 2. *Fluent ad eum omnes gentes.* Ps. 21. 28. ubi de Messia sermo est. *Prob. etiam Cons.* Particulæ enim demonstrativæ *ei, ipse,* appellant super *Schilo.*

13. *Ad prob. min. R. Quoad 1<sup>um</sup>.* et 2<sup>um</sup>. utrobique tamen Messiam indicari; nam 1<sup>o</sup>. quando in Scriptura *mittendus* vel *venturus* ponitur simpliciter et velut antonomastice, Messias indicatur. Sic Exod. 4. v. 13. orans Deum Moyses, ne tardaret Messiam mittere, *obsecro,* ait, *mitte, quem missurus es.* Matt. 11. v. 3. vero Joannis discipuli interrogant Christum: *Tu es, qui venturus es?*

2<sup>o</sup>. Rabbini vero, qui legendum volunt *filius ejus,* subintelligunt Judæ; quia communiter credebant Judæi, Messiam nasciturum ex stirpe Juda, illumque huic in eo vaticinio promissum fuisse, in quo et consentientes habent Christianos plerosque. Et vero Christum ex tribu Juda nasci debuisse, etiam inde patet, quod Davidi, qui de tribu Juda fuit, in specie fuerit promissus, ac proin passim dicatur *filius David.* Unde Luc. 1. v. 32. ait angelus ad Mariam: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Ratio vero, cur Interpretes latini reddiderit *mittendus,* esse videtur, quod in hebræis codicibus legerit *Schiloach,* a *Schalach,* quod *mittere* significat; sic natatoria *Siloe interpretatur missus,* Joan. 9. Abben Hezra vero legit

*Siloh,* ut *he* suppleat *vices cholem,* pronomini suffixi, et significet, *ejus,* sicut et *he* finale sumitur Gen. 13. v. 3. Unde non variatur prophetia quoad substantiam. Uti neque, si cum LXX. legeris *Schelo ei, donec venerint reposita ei,* h. e. Messia promissa et reservata, ut gloria, potestas, regnum, subjectio populorum, etc. juxta promissiones de eo factas Abrahæ, Isaaco, etc. quod in ipso benedicendæ sint gentes, Gen. 12. 28. quas expresserunt LXX. vertendo: *et ipse erit expectatio gentium.* Aut, si cum TERTULLIANO, THEODORETO et aliis legas: *donec venerit, cui repositum est;* subintelligitur enim Judæorum, Gentiumque regnum promissum et repositum Messia soli.

16. *Quoad 3<sup>um</sup>.* R. Concedo, quod significare etiam possit *pacificum,* sed nego, quod Salomonem denotet; licet enim Salomon regnum in pace possederit; eo tamen imperante sceptrum de Juda ablatum fuisse nullo in sensu dici potest: atqui in prophetia sceptri de Juda ablatio, venturi illius *Schilo* ceu signum figitur. Deinde non apparet, qua ratione Salomon fuerit expectatio gentium, vel de eo dici possit, quod ei fuerit obedientia populorum. Igitur equidem *Schilo* significari potest *pacificum,* derivatione facta a *Schalah,* *pacificus fuit,* in *piel* pro extruso *dagesch* admittens *jodh,* ad formam nominis *kitor,* Gen. 19. v. 38. et *kimosch,* Ose. 9. v. 16. estque idem ac *pacificator;* sed hoc nomen ceu proprium Messia tribuitur Is. 9. v. 9. ubi dicitur *Princeps pacis;* homines videlicet reconcilians Deo.

17. *Quoad 4<sup>um</sup>.* R. N. Assertum, quod pugnat tum contra veritatem historiae, tum contra sensum oraculi; nam 1<sup>o</sup>. falsum est, Davidem, qui primus de tribu Juda rex erat, tunc evectum fuisse ad regnum, cum de *Siloh* arca sublata fuit; hæc enim jam ante Saulem inde sublata fuerat 1. Reg. 4.

2<sup>o</sup>. Quid hoc est, nisi ad radios veritatis sibi sponte occludere oculos? Jacob ait: *donec veniat Siloh;* ipsi volunt: *donec desinat Siloh.* Jacob dicit non auferendum sceptrum, donec venerit Siloh, quod significat, ante sceptrum non venisse Siloh; Rabbini contendunt, tum sceptrum conferendum Judæ, cum desinet Siloh, quod supponit Siloh jam venisse ante.

3<sup>o</sup>. Ad quem demum spectabunt sequentia: *et ipse erit expectatio gentium?* Davidi enim, cum eventus non responderit, adaptari non possunt.

18. *Quoad 5<sup>um</sup>.* R. N. quoad singulos. *Quoad Saulem;* 1<sup>o</sup>. enim non in *Siloh,* sed in Ramatha a Samuele in regem unctus est 1. Reg. 10. Confer. cap. 8. et 9. 2<sup>o</sup>. Saulis tempore quomodo ablatum a Juda sceptrum fuisse dici potest, quomodocumque Judam sumas? Si enim per *Juda* totam intelligas Judæorum sive Hebræorum gentem, Saul in mortem usque regnum tenuit; si ipsam tribum hujus nominis, sceptrum post Saulem in hujus successore Davide orto ex tribu Juda, illiusque posteris maxime effloruit. 3<sup>o</sup>. Neque Saul expectatio gentium dici potest.

*Quoad Jeroboamum;* quia neque hic in *Siloh,* sed in Sichem, 3. Reg. 12. rex unctus fuit. Nec Jeroboam fuit expectatio gentium. Deinde juxta Rabbinos esset hic sensus: *Non auferetur sceptrum de Juda, quoad veniat tempus Silohensis unctionis, qua Jeroboam est consecrandus;* sed hoc est fingere; quis enim eos docuit per nomen *Siloh* hoc factum *Silohense* notari? Demum



nec in Jeroboamo ablatum a Juda sceptrum dici potest; nam si per Juda iterum totam intelligi velis Judæorum gentem, sceptrum tunc potius firmatum fuit in regibus duobus; Jeroboamo rege Israël dicto, quem deficientes a Roboamo tribus decem secutæ sunt; tum Roboamo, rege Judæ: si tribum Juda ipsam, sceptrum in Juda mansit penes Roboamum et cæteros Davidis nepotes.

Quoad Davidem constat ex dictis ad 4<sup>m</sup>.

19. Quoad 6<sup>m</sup>. R. N. iterum quoad singulos. Quoad Nabuchodonosorem 1<sup>o</sup>. enim non *expectatio gentium*, sed terror et flagellum fuit. 2<sup>o</sup>. Dicitur equidem *missus*, sed ad flagellandos Judæos, quos in captivitatem abduxit; Messias vero in Scripturis dicitur *mittendus*, *missus*, simpliciter ad regendum, et liberandum, salvandumque populum Dei et gentes, Exod. 4. v. 13. Deut. 18. v. 15. Is. 2. v. 3. Agg. 2. v. 8. 3<sup>o</sup>. Neque sub Nabuchodonosore Joakim captivus abductus fuisset Babylonem; patri tamen successit in regno filius Joachin, 2. Paral. 36. v. 8. et hoc paulo post Babylonem abducto, substitutus in regno a Nabuchodonosore Sedecias fuit hujus Joachin patruus. Demum et Sedeciam quidem captivum Babylonem transtulit, sed Nabuchodonosore fati functo succedens in regno Evilmerodach Joachin, alio nomine Jechoniam, vinculis solutum sublimavit in thronum, 4. Reg. 25. v. 28. *Posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone.*

20. Cyrus vero, etsi Judæos e captivitate dimiserit, sicque dici possit Judæorum expectatio, non tamen gentium. Deinde nec post Cyrum sceptrum defecit in Juda, sed perstitit in Zorobabele duce. Præterea Cyrus genere Persa fuit, vel Medus; Messias vero ex tribu Juda et quidem Davidis stirpe genus ducere debuit, ut dictum n. 15. Sed neque reliqua, quæ de Messia tum in Jacobæo vaticinio, tum alibi in Scripturis dicuntur, Cyro aptari possunt. Vocat igitur Deus Is. 45. Cyrum Christum: *hæc dices Christo meo Cyro*, quia Cyrum regem speciali ordinatione delegerat Deus, ut populum suum e captivitate dimitteret liberum, quæ divinæ voluntatis ordinatio idem præstabat, quod sensibilis apud Judæos unctio, qua mediante eorum reges dicebantur *Christi Domini*, scilicet Dei.

21. Obj. II. 1<sup>o</sup>. Vox hebraica *Schebhet*, quam latinus Interpres vertit sceptrum, etiam in Scriptura non raro sævum ac impotentem dominatum significat, sive virgam tribulationis, Exod. 21. v. 20. Ps. 22. v. 2. Is. 40. v. 5. Ergo et hic significare idem poterit, et proin vaticinii hic esse sensus: *Non auferetur tribulatio de Juda, donec*, etc.; atqui stante hac significatione, ex Jacobi oraculo nihil minus evincitur, quam Messia adventus, cum etiamnum tribulatio gravissima Judæos premat. 2<sup>o</sup>. Vox *schebhet* etiam tribum significat; ergo is sensus esse poterit: *Non deficiet tribus Juda, donec*, etc. atqui tribus hæc nondum defecit. 3<sup>o</sup>. Loco particule latinæ *donec*, in hebræo habentur hæc duæ *had-ki*; sed hæ significant idem, ac *in æternum*; quia, quando, vel postquam; adeoque non desitionem rei, de qua sermo est, sed continuationem illius indicant; ac proin vaticinii iste erit sensus: *non auferetur sceptrum de Juda in æternum; quando, vel postquam Messias*

*venerit*. Sic vero iterum prorsus nihil pro Messia adventu evincitur. *Prob. min.* Nam significationem hanc habet  $\tau\delta$  *had-ki* in Scriptura alias: Ps. 131. v. 14. *Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam*; ubi in Hebræo  $\tau\delta$  *had* positum significat *æternum*. Item, sic continuationem significat Gen. 8. v. 7. *Corvus non revertetur, donec siccarentur aquæ*. Job. 27. v. 5. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea*. Matth. 4. v. 25. *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Priore enim loco non significatur, corvum reversum esse siccatis aquis, sed quod nunquam, etiam post siccatas illas redierit. In altero non id Job intendit, quod veli recedere, cum defecerit; sed quod nunquam. In ultimo sensus non est, quod postea eam cognoverit, sed quod nunquam.

Ad 1<sup>m</sup>. R. 1<sup>o</sup>. D. A. Vox *Schebhet* simpliciter et solitarie posita significat virgam tribulationis N. quando ad hanc significandam determinatur ab addito C. Sic vero determinatur in locis cit. Exod. 21. v. 20. *Qui percusserit servum, vel ancillam virga, et mortui fuerint*, etc. Ps. 22. *Reges eos in virga ferrea*. Is. 40. v. 5. *Væ assur, virga furoris mei*. Solitarie vero posita generatim dominatum et imperium exhibet.

R. 2<sup>o</sup>. Sub distinctione data T. Ant. N. Cons. Nam 1. Jacob eo loco non nisi fausta et læta Judæ prænunciare intendit; certe nihil nisi latum et gloriosum magnificus ille ingressus offert legentis animo: *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui*. Numquid laudandus et adorandus erat Juda dira tribulatione, vel probrosa servitute oppressus? idem contextus docet: *Catulus Leonis Juda... requiescens accubuisti ut leo*, etc. hæc et alia Judæ sub tribulatione gementi et laboranti non conveniunt. 2. Sicut dux ibi tyrannum non notat, qui virgis Judæos cædat; sic neque *schebhet* virgam ejusmodi. 3. Si Judæ manus futura prædicatur *in cervicibus inimicorum ejus*, quomodo Juda ab his opprimendus, aut etiam vexandus intelligi potest?

22. Ad 2<sup>m</sup>. R. D. Significat etiam tribum posita eo modo, quo hic Gen. 49. N. in sensu constructo, *schebhet Jehuda C.* Sic quando *schebhet* in veteri Testamento pro tribu sumitur, semper id in sensu constructo fit, poniturque *schebhet Jehuda*. At vero Jacob inquit: non auferetur sceptrum de Juda, *schebhet mijuda*. Deinde *schebhet* Gen. cit. loc. pro tribu sumi non posse, aliunde evidens fit: si enim *schebhet* hoc loco sumi deberet pro tribu; igitur defectio tribus Juda poneretur pro signo temporis, quo Messias adventurus esset: nam Patriarcham hic notam dare voluisse adventus Messia, proxime probabitur; igitur et tolli ante tribus Juda debuisset, quam Messias veniret; quia, ut per se sequitur, quamdiu staret tribus Juda, nondum adhuc existeret nota et signum illud a Patriarcha positum, nimirum tribus illius defectio: sed hæc nullo modo dici possunt; nam cum ex dictis et Judæorum consensu Messias ex tribu Juda nasci debuerit, hic ex tribu Juda nasci debuisset, cum hæc tribus non amplius extitisset; quod est impossibile.

23. Ad 3<sup>m</sup>. R. D. Habent hanc significationem aliquando C. semper, et in hoc vaticinio N. *Damus*  $\tau\delta$  *had-ki* aliquando legi debere separatim, ita ut  $\tau\delta$  *had* pertineat ad præcedens *colon*, nec trahatur ad voculam sequentem



*ki*; adeoque ambo rei continuationem denotent, velut in allatis in probatione exemplis: verum in vulgari acceptione rei, de qua sermo est, desitionem frequentius importat. Exempla passim per Scripturam occurrunt, Gen. 3. v. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram.* Gen. 26. v. 13. *Ibat proficiens atque succrescens (Isaac), donec magnus effectus est.* Jud. 4. v. 24. *Crescebant... et forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.* Ruth. 1. v. 13. 1. Reg. 22. v. 3. etc. Et quidem Gen. 49. in specie pro desitione supremæ potestatis politicæ accipi, atque primo *had* pertinere ad sequens *ki* ex sequentibus motivis invicte contra recentiores Rabbinos quosdam, pauci enim sunt qui datam objectionem formant, evincitur.

1°. Si stare contraria illa Rabbiorum interpretatio, Jacob venturi Messiae nullum determinasset tempus, sed tempus posuisset indeterminatum et vagum, quod est contra unanimem Rabbiorum veterum et Judæorum consensum, quibus ex traditione ab ipsis Jacobi temporibus adeo persuasum fuit, ablationem supremæ potestatis politicæ de Juda ceu notam adventuri Messiae fuisse a Patriarcha positam, ut, cum in Herode defecisse sceptrum a Juda intelligerent, alii Joannem Baptistam, alii Herodem ipsum, alii cum Josepho Vespasianum Messiam dicerent; alii, teste L. Sanhedrin Jerosolymitano, quem Messiam salutarent, nescii, depilato sibi calvitio, indutique cilicio plorantes dicerent: *Væ vobis, quia recessit sceptrum de Juda, et nondum venit filius David*, Messias; alii demum Jesu Christo, Messiae vero adhærent.

2°. Ita referunt versiones omnes, Targi Hierosolymitani, quæ habet: *non auferetur usque ad tempus, quo veniet Messias*; versio LXX. Samaritana, Syriaca, Arabica, R. Rahue, R. Kimchi, etc. Item: Hebraicum ipsum a Rabbini antiquioribus sic punctatum et receptum; ut proin nova hac interpretatione Rabbini illi recentiores suam declarent perfidiam, qua a totius gentis suæ tradita doctrina recedunt.

3°. Quia in Hebraico immediate ante *to had* sub *raglau* ponitur *atnach*, h. e. duo puncta; igitur *to had* ad præcedens *colon* pertinere non potest; et licet quoque sub *had* reperiatur accentus *jethif*; hic tamen duntaxat ex accentibus *ministris* est, qui nihil distinguunt, aut sejungunt, sed adhibentur explendæ tantum orationis gratia. Si velis, puncta et interpunctiones, etiam juxta Catholicos, idiomaticè hebraico essentialia non esse, sed longe post addita ab hominibus; igitur illum *atnach* sub *raglau*, posse poni æque sub, quam ante *to had*, sicque ruere rationem datam: R. N. *utramque sequelam*; quia, admissio licet juxta veriorum sententiam Antec., cum punctatio Hebraici ab antiquioribus Rabbini sic instituta fuerit, et ab antiquis Judæis communi recepta consilio; ex ea antiqua elucet traditio, docens, quomodo veteres Judæi legerint, et legi debeat.

23. Inst. 4. Etiam Doctores Catholici, inter quos CAJETANUS et HUETIUS præsertim L. Demonstr. Evang. prop. 9. §. 7. per *to donec*, sceptri vel regni continuationem notari volunt.

R. D. In sensu Judæorum, regni tantum temporalis N. Desitionem simul regni temporalis, et deinde continuationem spiritualis C. Longe discrepat Doctorum Catholicorum ab illa Rabbiorum interpretatio. Judæi

regnum temporale et politicum a Messia erigendum intelligunt, finem cum mundo habiturum: CAJETANUS regnum primo temporale signari censet, quod deinde a Messia vertendum sit in spirituale et æternum, ne ipso quidem mundi interitu finiendum. Similiter HUETIUS de duobus regnis sermonem fieri putat, temporali et æterno; prius finiendum antequam Messias veniat; alterum a Messia stabiendum, spirituale scilicet: primum, ejusque finem seu notam temporis adventus Messiae designari his: *Non auferetur sceptrum de Juda*: alterum promitti verbis illis: *Ipse erit expectatio gentium*; vel ut Hebraicum habet: *et illi obedientia populorum*; quæ sine regno novo fundando a Christo non videntur explicari satis commode posse; Christi vero qua hominis regnum, licet etiam qua homo ex dono Patris, seu ex libera hujus constitutione sit Rex et Dominus omnium, esse tamen potissimum spirituale, ex aliis Scripturæ locis evincitur, et probabitur, ubi de titulis Christi. Illa igitur Cajetani et Huetii interpretatio Judæis favet prosus nihil, cum uterque juxta Jacobi oraculum pro nota temporis adventus Messiae ponat ablationem sceptri temporalis et politici a Juda, quod Judæi negant.

24. Inst. 2. Licet eod. c. Gen. 49. v. 26. dicatur, benedictiones Josephi confortatas esse, *donec veniret desiderium collium æternorum*, id est, Messias; illius tamen benedictionis cessatio in eversione regni Israelis non fuit signum adventus Messiae; ergo neque cessatio, vel ablatio sceptri a Juda, etsi dicatur non auferendum, *donec veniat Messias*.

R. N. Suppos. Antec. per *desiderium collium æternorum* intelligi Messiam, sed de felicitate temporali Josepho in ejus posteris obventura sermo est. Et quidem Judæis hoc invicte ostenditur: 1. Ex textu Hebraico, quo uno ipsi moventur; hic vero clare habet: *usque ad terminum collium seculi*; ubi nec litterula est de verbo, *donec veniret*, nec de Messia. 2. Ex LXX. Judæorum peritissimis, dum simpliciter vertunt: *prævaluit super benedictiones montium stabilium in benedictionibus collium æternorum*. 3. Ex versione Syriaca, quæ reddit: *ad spem collium seculi*. 4. Ex Rabbiorum, quos hic refert CORN. A LAPIDE, consensu unanimi; et vero ex tota gente Judaica ne unus afferri Scriptor potest, qui hic agi de adventu Messiae tradidisset. 5. Moyses demum ipse optimus haud dubie Jacobæi oraculi Interpres, benedictionem Josepho datam confirmans et repetens, Deut. 33. illam de perenni fertilitate collium terrestrium, qui Josephi posteris in divisione terræ Chanaan in sortem essent venturi, exponit. Quid ex Judæis, contra quos tantum hic agimus, etiam pertinacissimus his opponere posset, nihil profecto occurrit. Quin observo objectionem datam non a Judæis, utpote qui non aliam, præter datam interpretationem admittunt, sed Christianis a Doctoribus formari occasione Vulgatæ nostræ, quæ habet: *Donec veniret desiderium collium æternorum*, ubi Interpretes quidam per *to desiderium* Messiam, per *to donec* tempus adventus ejusdem notari putant, ut OLEASTER. Sed cum meliore et communi ferme Doctorum sententia dicendum omnino judico, in sensu literali nullo modo de Messia agi; quidquid sit de illa quorundam sententia, Josephum typum gessisse Christi, quæ nobis nihil officit. Unde

Quantum ad Vulgam attinet, sciendum, *to Taavath* hebraicum significare posse et terminum seu finem, prout ex varia radice deducitur. Deductum a *Taah* importat terminum; et ab hoc derivant vocem *taavath* Hebræi.



omnes, cumque his SANCTES PAGNINUS, THEODORETUS, Q. 109. in Gen. pluresque Christianorum alii, sicque juxta hos prophetiæ sensus est, quem ante innuimus, scilicet: benedictiones illæ durabunt usque ad finem collium æternorum vel seculi, h. e. usque ad finem mundi; vel: non erit illarum finis. Deductum vero ab *ivvah* desiderium indicat: sed etiam tunc litteraliter rectissime de terra illa intelligitur, quæ sorte assignanda erat filiis Joseph Ephraim et Manasse, assurgens in colles fertiles et amœnos, ideoque desiderabiles. Et revera dimidiam tribum Manasse trans Jordanem in confinio terræ Moab ad colles Arnon recepisse sortem ex Deut. 3. et Num. 32. patet; Ephraim vero ad montem Samaria. Hos igitur colles Interpres noster vocat *desiderium*, scilicet adjectivum *desiderabiles*, quales erant, mutando in substantivum, phrasi alias in Scripturis recepta. Dicuntur *æterni* hebr. *holam*, quia æternum possidendi a Josephi posteris; vel saltem quia optaverat Jacob, juxta illa: *fiant in vertice Nazareni*, etc. ut æternum possiderentur. Sicque verbo sensus litteralis et planus est: *Benedictiones patris tui* (quibus ego pater tuus benedico tibi) *confortatae sunt* (h. e. simul fultæ sunt) *benedictionibus patrum meorum*, ut durent, quamdiu stabunt colles illi desiderabiles tibi obveneri, qui æterni sunt; h. e. inquit MARIANA, durabunt usque ad finem mundi. Hæc expositio ideo est merito tenenda, quod perfecte congruat cum textu originali, cum LXX. versionibus aliis; ipsoque Moyse Deut. 33. meliusque contra Judæos salvet oraculi Jacobæi vim. Sed

25. *Inst.* 3. Licet Jacob asserat benedictiones Josephi confortatas esse, ut durent usque ad finem mundi; promissio tamen illa in se conditionata tantum fuit, ut ex eventu patuit, cum duæ tribus Ephraim et Manasse cum reliquis octo regni Israël, 4. Reg. 17. abductæ in captivitatem, ad possessiones pristinas reversæ non sint; ergo etiam Messia promissio data fuisse sub conditione dici potest; nisi populus peccatis suis ejus adventum referdaverit, vel plane impediverit.

R. C. A. N. C. *Disparitas est*; quia si qua prophetia vel promissio sub conditione fiat, hæc vel in eodem loco, vel in Scripturis alibi exprimitur; ut promissio de perpetuitate templi Salomonici, etc. 3. Reg. 9. v. 3. 4. seqq. Sic in specie promissio terræ illius felicitis æternum possidendæ, primo simpliciter facta, in se conditionata fuit; si Judæi essent observaturi pactum, quod cum ipsis inire decreverat Deus; quam conditionem vero postea Moyses in Deuteronomio in adhortatione ad populum sæpius inculcabat et emphatice, Deut. 4. v. 24. 25. *Cave, ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum... si feceritis vobis aliquam similitudinem, patrans malum coram Deo vestro; ut eum ad iracundiam provocetis, testes invoco hodie cælum et terram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possessuri estis. Non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus, atque disperget in omnes gentes.* Unde tribus Ephraim et Manasse cum reliquis violantes pactum, possessione, quam habuerant, exciderunt. At quandocumque in Scripturis Messias promittitur, nulla unquam designatur conditio, a qua dependeat promissionis eventus; igitur absolute datam fuisse tenendum est, æque ac alia, quæ in Scripturis sine adjecta unquam conditione enunciantur, ne alioquin, si ita sine fundamento liceret excipere, nutarent Prophetiæ omnes, et simili modo everti possent. Deinde Messias non Judæorum

tantum gratia, sed gentium omnium promissus fuit, Gen. 49. cit. *Ipse erit expectatio gentium.* Gen. 18. v. 18. *Benedicendæ sunt in illo omnes nationes terræ.* Ergo præcise propter Judæorum peccata adventus ejus nec retardari, nec impediri debuit: sed neque propter peccata gentium; ut enim hæc, licet gravissima plurimæque semper, non obstabant, quominus Deus Messiam promitteret; sic neque, quominus promissum mitteret. Et denique cum Messias promissus esset ad peccata tam Judæorum, quam Gentium delenda, et adducendam justitiam sempiternam, Dan. 9., propter nulla impediri, vel differri debuit.

26. *Obj.* III. Prophetia Jacobi sæpius sefellit; ergo vel non est prophetia vera de Messia; vel dici debet, fuisse conditionatam. *Prob. Ant.* 1°. Soluta servitute Ægyptiaca, populo per plures annos summo imperio præfuerunt duces Moyses et Josue, quorum neuter fuit ex tribu Juda, sed Moyses ex tribu Levi, Josue ex tribu Ephraim. Dein toto Judicum tempore, usque ad Saulem primum Judæorum regem, ex Judicibus quindecim, duo tantum ex tribu Juda, Othoniel et Abesan, fuere; Saul vero primus rex de tribu Benjamin fuit. 2°. Etsi potestas judiciaria defecisset in Othoniele et Abesan transiens ad Judices alios extra tribum Juda; Messias tamen non venit, 3°. Sceptro ad Davidem de tribu Juda ortum delato, mansit quidem summum imperium diu in Davidis posteris; sed penitus periit in captivitate Babylonica. 4°. Multo ante Christum, qui Jesus Nazareus dicitur, tempore duces erant Machabæi, genus non a tribu Juda, sed Levi ducentes, ut ex 1. Mach. 2. v. 1. 23.; item 1. Mach. 13. et 14. aperte evincitur; ergo si vera prophetia esset, venire debuisset antequam Machabæi principatum tenerent.

*Observe.* Ob rationes allatas non pauci Interpretes, atque ex SS. Patribus varii illud Jacobi: *Non auferetur sceptrum de Juda*, non de hujus nominis tribu, sed de tota Judaica gente intelligi volunt, ut sensus sit: non auferetur Judæorum principatus, vel imperium, donec, etc. Verum hæc Christianorum Doctorum differentia imprimis nihil Judæis prodest; sive enim per Juda propriam hujus nominis tribum, sive totam Judaicam gentem, a celebriore tribu Juda sic dictam, intelligas; sceptrum tam ab ista, quam ab illa pridem ablatum est. Nos vero interim quod attinet, verba Jacobi juxta naturalem et obvium sensum, de priore dicta tribu Juda intelligimus; cum rationes allatæ commodam omnino solutionem admittant, ut nunc patebit. Confer deinde n. 36. Unde

R. N. A. *Ad prob.* 1<sup>am</sup>. R. C. Non tamen inde inferas: ergo prophetia sefellit; Jacob enim non de initio sceptri, sed hujus ablatione, sive fine loquitur; neque hoc asserit: sceptrum statim, vel ante omnes alios ad tribum Juda perventurum; sed illud solum: ex quo semel sceptrum ad Judam pervenerit, quocumque tempore hoc sit, non esse a tribu Juda auferendum, donec Messias adveniat.

27. *Ad prob.* 2<sup>am</sup>. R. Toto, quo Judices erant, tempore, neque penes tribum illam, ex qua desumptus erat Judex, neque penes totam Judæorum gentem fuisse sceptrum, dici potest. *Sceptrum* enim summam potestatem, summum imperium, dominatum, vel jus domini denotat ex parte illius; penes quem sceptrum est; Judices vero administrabant duntaxat populum ex præscripto legis, unde nomen traxerunt, a *jure dicundo*: de cætero



agentes ut ex consilio : populusque obediebat quasi ex libertate; non vero gubernabant populum more regum, vel summorum principum. Hinc nulla erat Judicibus potestas condendi leges, imponendi, exigendi tributa; aut quidquam suo arbitratu imperandi. Verbo: non erant domini Israël, nec aliquorum de Israël, ut constat ex Judic. 8. Nam cum Gedeon liberasset populum de manu hostium, Israelite gratiam præstituri pro beneficio ei dominatum cum offerrent: *Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui*; respondit Gedeon: *Non dominabor vestri; nec dominabitur in vos filius meus; sed dominabitur Dominus*. Ergo ante victoriam de Madianitis, licet Judex fuisset, dominium tamen non habebat; quid enim hoc ei offerrent, si habuisset? Neque post victoriam, licet pluribus adhuc annis Judex permaneret, dominatum Israelis habebat: *non dominabor vestri*.

*Si queris*, penes quem igitur Judicum tempore summa potestas et dominatus fuerit?

R. Penes Deum ipsum, qui per se nunciosque regebat populum, ut liquet ex illo Gedeonis: *sed dominabitur Dominus*. Et 1. Reg. 8. cum populus petiisset sibi regem dari; præcipiebat Samueli Dominus: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Tum 1. Reg. 12. Samuel id ipsum populo exprobrat. *Videntes, quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos; dixistis mihi: nequaquam; sed rex imperabit nobis; cum Dominus Deus vester regnaret in vobis*. Hinc forma regiminis inter Judæos eo tempore Theocratica fuit. Ex quibus patet, tempore Judicum in Othoniele et Abesan sceptrum nec ad tribum Juda pervenisse, nec iis officio defunctis ab illa ablatum dici posse.

28. *Ad prob. 3<sup>am</sup>*. R. N. Ass. juxta dicta n. 49. dum Evilmerodach Jechoniae thronum super illos cæterorum regum omnium, qui Babylone morabantur, evexit; ut adeo tunc nondum periisse sceptrum dici possit, licet Jechonias tum Babylone existens, non omni illa et plenissima libertate et independentia, qua primitus reges Juda Hierosolymis, uteretur. Sed neque id prophetia Jacobi poscit; quæ præcise dicit, non auferendum sceptrum. Sic et tributarii reges vere reges permanent populorum suorum, in quos nihilominus suam potestatem exercent. Sic Herodes, Judæorum consensu, rex Judææ fuit; licet Augustum, a quo regia insignia acceperat, revereri superiorem deberet. Sed

29. *Dices*: De Jechonia hoc Jeremiæ 22. v. 30. dixerat Deus: *Scribe virum istum sterilem: virum, qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda*; ergo in Jechonia hoc saltem defuncto jam vaticinium Jacobi impletum fuit, et sceptrum defecit.

Responderi potest 1<sup>o</sup>. *D. A.* Sterilem quoad successorem regem cum titulo et potestate regis, qualem habuerat David, ejusque successores, juxta illa: *in solio David C.* Sterilem absolute, vel quoad successorem cum titulo ducis et potestate minore *N.* Nam imprimis absolute sterilis non fuit, cum septem habuerit filios, 1. Paral. 2. v. 17. et 18. inter quos secundo loco ponitur Salathiel pater Zorobabelis, distincti ab alio Zorobabele ibid. Phadaïæ filio. Deinde per hæc: *Et habeat potestatem ultra in Juda*, non excludi dignita-

tem regia minorem, ac potestatem prorsus omnem, aperte Scriptura docet Agg. 1. v. 2. et 14. Agg. 2. v. 3. ubi ZOROBABEL constanter *Dux* Juda dicitur. Idem Zach. 4. v. 7. etc.

*Nec dicas*: Per priora: *qui sedeat super solium David*, excluditur potestas regia; ergo per hæc: *et potestatem habeat ultra in Juda*, excluditur potestas omnino omnis, etiam minor quam regia. Nam

R. N. C. Non enim per hæc posteriora aliquid distinctum a prioribus innuitur; quod patet ex textu Hebraico, in quo pro his: *et potestatem habeat ultra in Juda*, legitur *moschel, dominatur in Juda*; *maschal* enim *dominari* in *Benoni* habet *moschel, dominatur*; sed, spectata Scripturæ phrasi, sedere in throno, et dominari, sive regnare frequentissime tanquam quid unum conjungi solet. Plurima hujus rei passim occurrunt exempla: sic Zach. 6. v. 13. *veioscheb oumoschal al Kiso*, id est, *et sedebit super solio suo, et dominabitur*, ubi sedere in throno et dominari sunt conjuncta, atque unum idemque significant; non autem duo distincta.

Responderi potest 2<sup>o</sup>. et magis ad litteram *D. Sterilem*, quia prorsus non prosperabitur *in diebus suis*: h. e. juxta verba, ut nullus eo adhuc vivente, de semine ejus vir, sive nullus filiorum ejus sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra, vel ullam, etiam qualemcumque in *Juda C.* Sterilem omni modo, ut nullus etiam nepotum post dies Jechoniæ sit habiturus aliquam potestatem in *Juda N.* Nimirum sterilem vocat, quia non prosperandus *in diebus suis*, sive vita: quomodo autem et quare prosperandus non sit, subjecta causalis indicat: *nec enim*; nam *to ki enim* connectit sensum, *erit*, scilicet in diebus Jechoniæ, *de semine ejus vir, qui sedeat, etc.* h. e. filiorum aliquis, nam si hic nepotes et posteri omnes intelligerentur; maledictionem non restrinxisset ad dies vite, *in diebus suis*. Atque hoc verum est, nam et filius ejus Salathiel in captivitate mortuus est, relinquens filium Zorobabelem ducem *Juda*.

30. *Si dicas* cum quibusdam Christianis Doctoribus. Zorobabel non fuit nepos Jechoniæ illius maledicti, sed Jechoniæ alterius, scilicet Johanan primogeniti Josiæ, a quo etiam abducto in captivatem procreatus Salathiel pater Zorobabelis ducis *Juda*. Vel certe Zorobabel tantum ductor fuit redeuntium e captivitate, non vero proprie dux *Juda* habens potestatem aliquam.

R. N. utrumque: Primum ob dicenda num. 156. Alterum 1<sup>o</sup>. quia simpliciter dicitur *dux Juda*, quod plus innuit, quam ductorem præcise redeuntium; neque enim ductor itinerantium ideo dux provinciæ aut totius gentis dici potest. 2<sup>o</sup>. Quia Agg. 1. et 2. constanter ante omnes, etiam ipsum Josedec sacerdotem magnum, primo loco ponitur Zorobabel dux *Juda*. 3<sup>o</sup>. Quia singularem Zorobabelis prærogativam aperte indicant illa Agg. 2. v. 24. *In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi*. Et illa Zach. 4. v. 7. *Quis tu mons magne coram Zorobabel?* 4<sup>o</sup>. Eod. v. 9. dicitur manibus suis fundare domum Domini, eam perficere; certe non manibus propriis, ut cæmentarii; sed cogendo operarios, qui neglecto templo, sibi fabricabant domos Agg. 1.; igitur imperio aliquo pollere debuit.

31. *Si contendas porro*: Saltem post Zorobabelem series genealogica du-



cum in sacra historia prætermissa est; ergo signum est, tunc nullos fuisse duces, sed quod rerum potestas penes sacerdotes unice fuerit, sicque sceptrum transiverit a tribu Juda ad tribum Levi. Et vero invasurò Judæos Holopherne, unus Eliacim sacerdos magnus omnia disposuit, etiam quoad militiam.

R. C. A. N. Cons. Ratio est, quod post reditum e captivitate summa potestas non penes duces solos, sed simul, si non pars major, esset penes Synedrium; sive Concilium magnum, aut Senatum, mutata priore monarchica regiminis forma in aristocraticam, idque consulto; tum ne posthac, si rerum summa penes unum consisteret, is auctoritate abutens secum populum in vitia pertraheret; quemadmodum reges fecerant, quæ causa fuerat captivitatis, majorisque alterius mali esse potuerat deinceps; tum ne regimine monarchico regum Persiæ provocarent invidiam.

Ex facto Eliacim nihil evincitur: hortatus ille populum fuit ad orationem et pia opera, tum, ut aditus montium præcluderet, per quos via erat versus Jerusalem. Plus de eo non refertur. Sed ex hoc non sequitur summam in politicis potestatem fuisse penes Eliacim, cum etiam sacerdos qua sacerdos ad idem hortari possit, dum Religionis hostis imminet. Imo Eliacim debebat, ne sacra et templum, quorum cura ipsi incumberebat, profanarentur. Sic, quod quidem e Christianis hic adversarios attinet, si ingruente bello Turcico summus Pontifex indicat preces, jejunia, hortetur principes ad arma, etc. non ideo sequitur, Romanum Pontificem in orbe Christiano summam habere in politicis potestatem. Certe, qui e Christianis potestatem summam penes solos summos Pontifices fuisse volunt post captivitatem, rem catholicam contra Judæos non parum implicatam reddunt.

32. *Ad prob. 4<sup>am</sup>. D. A. Machabæi erant duces militiæ C. duces cum summo imperio ac regentes Judæorum Rempubliam vel supremi principes soli et in omnibus N. In LL. Machabæorum bellis tantum præfuisse leguntur. Sic 1. Mach. 2. v. 66. unde Machabæorum ducatus initium sumpsit, inquit Mathathias moriens: Judas Machabæus fortis viribus... sit vobis princeps militiæ, et ipse ager bellum populi. Defuncto Juda Jonathas princeps et dux substituitur ad bellandum bellum, 1. Mach. 9. Dum et huic populus Simonem sufficit principem et ducem, pugna, inquit, prælium nostrum, 1. Mach. 13. v. 9. Unde si etiam disposuisse alia et ordinasse dicantur Machabæi, non id sua duntaxat auctoritate, sed de consensu Senatus Sanhedrin sive Synedrii gestum est, penes quem potissima semper potestas remansit usque ad Herodem.*

Nec scrupulum moveat, quod idem Simon postea 1. Mach. 14. v. 42. dicatur dux et princeps gentis Judæorum et sacerdotum, ac talis etiam appelletur 1. Mach. 15. v. 1. ab Antiocho rege; nondum enim hinc sequitur, quod Respublica Judæorum supremam potestatem unice in Simonem transtulerit, ut hic, more alias regum, summo præset imperio, quin dependeret ab ullo; sed (si etiam præter militaria cum civilia curasse permittamus dici, tametsi nihil referatur de hoc in Machabæorum libris) quia ob perspectam viri fortitudinem, dotes et meritâ ipsi Reipublicæ velut præfectura prima, ac administratio credita, ut, quidquid ageret, ratum haberet senatus et populus, velut a se ipso gestum, eo scilicet modo; quo subinde plenipoten-

tarii provinciarum præsides regunt provincias, plectunt sones, constituunt præfectos alios, exercent judicia, etc. potestate tamen a Republica vel summo Principe accepta, sive vicaria. Sic et Joseph dicitur *Princeps in terra Egypti*, Gen. 42. et *dominari in omni terra Egypti*, Gen. 45. eo quod plena quidem potestate, vicaria tamen, ac a Pharaone accepta, Egyptum regeret; sic et passim in Scriptura, et a Judæis principes appellantur præfecti quicumque et optimates.

Sed dices cum Recent. quodam, 1. Mach. 15. v. 6. Antiochus rex *permittit Simoni facere percussuram proprii numismatis*; id vero regale quoddam est, et vero, summo principi proprium.

R. D. Permisit facere percussuram numismatis proprii ipsi Simoni, velut ejus sub nomine, quo modo alii principes cudunt numismata impresso nomine, insignibus, in signum summi imperii N. Tale enim numisma nulum videre licuit. Numismatis proprii *regioni*, scilicet Judæorum C. Additur enim proprii numismatis *in regione tua*; quod clarius reddit textus græcus καὶ ἐπέστρεψέ σοι ποιῆσαι κόμμα ἰδίων νόμισμα τῆ γῶρα σου, et *permiserunt tibi facere percussuram proprium numisma regioni tuæ*, nimirum Judæorum; quo jure, cudendi numisma, ne uterentur, erant prohibiti; sed hoc ipsis conceditur ab Antiocho. Numisma vero Judæorum proprium erat *siclus Israël*, *sechel ischrael*, sine Simonis vel nomine, vel effigie, cujusmodi numismata adhuc reperire est.

33. *Inst. 1. Senatus Judæorum gratis asseritur. Vel 2. si permittatur; unde probabitur 70. illos viros conflantes Synedrium de tribu Juda fuisse? imo cum in hoc senatu judicandæ essent causæ omnium tribuum, verosimilius est, viros illum componentes ex omnibus tribubus fuisse selectos, ut fecit Moyses, dum illum instituit Exod. 18. 25. et electis viris strenuis de cuncto Israel, non tantum de tribu Juda, constituit eos principes populi. Num. 11. v. 24. congregans 70. viros de senibus Israel.*

*Ad 1<sup>am</sup>. R. N. A. Jam enim post reditum e captivitate illius fit mentio 1. Esdr. 6. v. 7. dum Darius rex præsidem Tathanaï jubet, ut dimittat fieri templum a duce Judæorum et senioribus; hic enim seniores, quales esse solebant viri in Synedrio, juxta illud Num. 11. distinguuntur a duce. 2. Machab. 1. v. 10. Populus, qui est Jerosolymis et in Judæa, senatusque et Judas; hic senatus opponitur Judæ Machabæo, imo illo præponitur. 1. Machab. 11. v. 27. Rex Antiochus senatui Judæorum, et cæteris Judæis salutem. 1. Machab. 12. v. 6. Seniores gentis. Versio LXX. habet Senatus gentis. Idem confirmant Judæorum antiquissimi et summæ apud illos auctoritatis codices, Talmudistæ et Rabbinæ, quos refert RAYMUND. MARTINI, L. 2. Pugnionis c. 4. §. 3. 4. qui vocem sceptrum de Synedrio intellexerunt. Sic in Bereschit Rabba ad illa: Non recedet sceptrum de Juda, dicitur: illud est camera, vel consistorium dolatum, vel politum, quod datum est in parte Judæ; et ad illa: Scriba de medio pedum ejus, vel ut Vulgata nostra habet: Dux de femore: Isti sunt sedentes Jabbets, ducentes sententias in Sanhedrin magna, et quid est, non recedet sceptrum de Juda? et nonne jam recesserunt Sanhedrin de camera magna? In Bereschit Kezara Sect. 79. non recedet sceptrum de Juda, sic exponitur: Hi sunt sedentes in Jabbets docentes sententias in Sanhedrin magna, quæ est sedens in camera dolata in parte Judæ,*



Ibi iudicata fuisse iudicia animarum sive mortis testatur ipse liber Sanhedrin Hierosolymit. c. Dine Mammoth. Sic Rabbi Moses Hadersan in hoc libro ait : *et scriba de femore ejus; hi sunt Sanhedrin sedentes in consistorio Gazith ad iudicandum iudicia animarum; hi nunquam de Juda auferentur, quousque veniat Schilo, qui est Messias.* Senatum vero istum, teste Philone L. de Temporib. sustulit Herodes; *Sanhedrin*, ait Philo, *ex domo David delevit, et Ananelum quemdam et Sanhedrin ex proselytis suffecit.* Idem Iosephus tradit L. 14. Antiquit. Judaicar. c. 17. *Herodes regnum adeptus omnes illos iudices sustulit et regem, scilicet Hircanum de Assamonæorum gente.* Ex his colligitur, vix melius convinci Judæos nostros posse, quam in hac sententia, sceptrum eo tempore perdurasse in Synedrio, utpote pro qua stat simul Judaicæ gentistraditio et consensus. Hinc simul perspicitur, Synedrium istud non fuisse instar meri Concilii, vel Senatus alicujus, ut Perrerus putat.

Ad 2<sup>am</sup>. R. Viros Synedrium post captivitatem conflantes fuisse de tribu Juda, patet inde, quod reliquæ tribus decem, quibus constiterat regnum Israelis, ad alias mundi plagas disjectæ e captivitate non redierint; hinc disparitas est de tempore Moysis, quo tribus omnes collectæ erant. Equidem cum tribu Juda Sacerdotum et Levitarum aliqui recensiti 1. Esdr. 2. et 2. Esdr. 12., item de tribu Benjamin redierunt; sed hi comparative ad eos de tribu Juda, qui reversi sunt, vix numerari merentur. Ad hæc tribus Benjamin per se semper omnium numero minima, aliquando ferme tota extincta, nequidem tota rediisse videtur, sed admodum pauci; quod inde colligitur, quod in libris Esdræ reduces ex hac tribu nequidem memorentur; cum tamen, qui de Levi reversi, imo Nathinæi et filii servorum exacte recenseantur 1. Esdr. 2. Demus igitur, licet nullo ex capite (neque enim factum Moysis præcepti loco est) constet, ex reverentia in sacerdotale genus ex hoc nonnullos admissos fuisse in Synedrium, itemque ex tribu Benjamin; tribus tamen Juda semper inter omnes maxima et sola regno par, sicut numero sic auctoritate superior et dominatrix mansit, ut propterea sceptrum tum ablatum fuisse nullo jure dici possit.

Nec refert, quod 2. Esdr. 11. ubi recensentur incolæ Hierosolymitanæ urbis, de tribu Benjamin numerentur viri nongenti viginti octo; de tribu Juda vero quadringenti sexaginta octo, eo quod hujus pars potior civitates cæteras inhabitare mallet; non enim propterea Benjamitæ summum senatum cum tribu Juda ex æquo conflaverunt, cum verosimile non sit nulloque constet iudicio, tribum Juda summam potestatem, quam post reditum adhuc tenuerat in Zorobabele, cedere voluisse Benjamitis, vel cum his dividere, sed potius contrarium testetur laudatus ante Philo, rerum Judaicarum peritissimus et scriptor celeberrimus, qua laude semper floruit, cum dicat, Sanhedrin Herodis adhucdum tempore fuisse *ex domo David.*

34. Inst. 2. Jacob duo posuit, non ablatum iri sceptrum de Juda, et non defuturum *ducem de femore*, donec Messias veniat; licet ergo tum sceptrum perduravit in Synedrio ex tribu Juda; non tamen erat dux de femore.

R. D. A. Posuit hæc duo conjunctim ita, ut ad utrumque æqualiter referatur illud, *donec Messias veniat N.* Ut referatur solum ad prius, *non auferetur sceptrum C.* Solet enim Scriptura, cum plura præmisit, extremo loco ponere aliquid, quod tamen non ad omnia præcedentiâ, sed ad unum

aliquod illorum tantum referatur. Habe exemplum: Gen. 15. dixit Deus Abraham: *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et subjicient illud servituti, et affligent illud quadringentis annis; hoc ultimum, quadringentis annis tantum refertur ad illud primum, peregrinum erit semen tuum in terra non sua: nam servitus et afflictio Hæbræorum in Ægypto longe brevior fuit ducentis annis, cum a Jacobi in Ægyptum descensu usque ad egressum Hæbræorum ex Ægypto numerentur anni non plures 215., de quibus tamen detrahendi sunt adhuc anni 70., quibus vivente Joseph Hæbræi quiete feliciterque in Ægypto degebant. Hinc illa: *Dux de femore*, velut per supererogationem Jacob addidit, ac si diceret, multos etiam duces interea de tribu Juda futuros.*

Adde, quod juxta Hæbræorum quidem libros, qui hodie in summa apud Judæos veneratione sunt, et juxta Rabbinos veteres, quos n. præc. retulimus, et quorum plures GALATINUS et MARTINI afferunt, per *ducem de femore* non intelligatur homo quidam individualis, sive physice unus; sed totus ille senatus, sive unus moraliter, quo sensu sæpe plures nomine unius veniunt. Videlicet Hebr. *Mechoqeq* a *Chaaq*, *scripsit* vel *descripsit*, *expressit*, scribam significat, et quidem juxta Rabbinos cit. legislativum; quod etiam conjunctio ejus cum voce *schebet* indicat; non vero hominem, vel rabbinum simplicem; a *Chaaq* enim in conjugatione *Pohel* dictatorem, legislatorem importat. Atque per hunc scribam legislativum, dictatorem, legislatorem Rabbini citati non singularem hominem, sed totum senatum intellexerunt, quasi unum moraliter: quo sensu etiam hodie senatus, e. g. Reip. Venetæ, et olim Romanus, licet ex pluribus individuis constans, quasi unus moraliter, dicitur dictator, legislator. Id quod contra Judæos plus habet roboris, ob prisæ suæ gentis consensum et traditionem.

35. Inst. 3. Adhuc multis post Christum, nimirum Jesum Nazarenum natum et mortuum, annis perstitit Synedrium, ut constat ex variis ejusdem actis Luc. 10. inquirentis in vitam et doctrinam Christi; Act. 6. examinantis Stephanum, et Act. 7. lapidantis, aliisque, quæ refert Iosephus Antiquit. Judaic. c. 8.; ergo, si ablatio sceptri de Juda esset venturi Messie signum, Christus noster longe serius nasci debuisset, quia sceptrum juxta nos perduravit in Synedrio, hoc vero usque ad excidium Hierosolymæ, ferme 40. post Christi mortem annis.

R. 1<sup>o</sup>. Juxta Philonem cit. n. 33. Synedrium illud non fuisse de tribu et femore Judæ; quia, juxta eundem, Herodes Synedrium illud prius de Juda et domo David delevit substitutis *proselytis*, h. e. conversis ex gentibus; ergo cum hi de tribu Juda non essent, ante Christum, tempore Herodis regnum adepti, revera defecit sceptrum in Juda. Nec refert, quod Herodes unum, teste Iosepho, vivum servari voluerit ex Synedrio; hoc enim fecit, ut ait Iosephus, ut ex eo traditiones edisceret. Nec unus ille superstes dici poterat Synedrium, aliorum, si quam tamen potestatem reliquerit Herodes senatui novo, oppressus numero et pondere. In hac sententia omnia illa non stringunt, quæ de Synedrii potestate, Herodis tempore et post, disputant alii.

R. 2<sup>o</sup>. Quaecumque fuerit Synedrium post Herodis tempora; 1. certum est, illo regnum adepto ablatum fuisse penitus sceptrum de Juda, cum ipse auferret Synedrium; quod signum posuerat Jacob. 2. Nihil poterat amplius



auctoritate sua; sed si quid egit, vel de consensu Romani praesidis, vel nulliter et suo periculo egit; ut liquet ex facto Aniani Pontificis, qui, teste Josepho, L. 20. c. 26. Pontificatu privatus fuit, quod Festo mortuo, et Albino in itinere constituto concilium fecerit Judicium, contra Jacobum fratrem Jesu. Idem antiqui Rabhini testantur; nam in L. Sanhedrin dicitur: *Legunt magistri, quod per annos 40. ante templi destructionem expulsi fuerint Judices de consistorio Gazith, extra quod non licebat facere animarum judicia ex Deut. 17. v. 8. Et habitaverunt in Hamith; et statim ex eo tempore, ait ibid. R. Abdimi, nunquam amplius criminale judicium judicaverunt.* Hinc in Christum inquisiverunt, ut eum accusarent. S. Stephanum occiderunt, vel ut homicidae privati, vel ex Pilati permisso. Sicque litteras dederunt Saulo, Act. 9. Quin Pilato dicenti: *judicate eum secundum legem vestram*, respondent: *Nobis non licet interficere quemquam.*

36. Si demum quaeras, cur potius tribum Juda, quam totam Judaeorum gentem intelligamus per illa Jacobi: *non auferetur sceptrum de Juda?*

R. 1°. Quia Judam filium hic alloquitur Jacob; nihil vero cogit haec: *non auferetur sceptrum de Juda, etc.* abstrahere a Juda Jacobi filio et transferre ad omnes Jacobi posteros; tota enim certe primaria ratio, cur Doctores quidam verba ea ad omnes pertinere tribus velint, est, quod alias non appareat, quomodo Machabaeorum tempore sceptrum in Juda perstiterit usque ad Christum: sed vanus hic metus est, ut ex dictis liquet; ergo nec ad tribus reliquas transferri debent; quia non licet, nisi aliud Scriptura ipsa suadeat, subjecta materia, velut subinde in Prophetis, ita orationem velut mutilando transferre a sensu uno ad alium, ut Lutherus fecit, L. de Pötest. Pap. illa Matth. 16. *super hanc petram, etc.*, ex oratione Christi constanter ad S. Petrum directa, ut huic primatum eriperet, deflectendo ad Apostolos omnes.

R. 2°. In his: *Juda, te laudabunt fratres... catulus leonis Juda*, intelligitur Juda Jacobi filius, hujusque tribus; ergo et dum subdit Jacob: *non auferetur sceptrum de Juda.*

R. 3°. Postquam Jacob dixisset: *non auferetur sceptrum de Juda*, addit: *et Dux de femore ejus*; at quo vero sensu id Jacob dixisset, si prophetia haec: *non auferetur, etc.* intelligenda esset de tota Hebraeorum gente? nemo enim ex femore integre alicujus nationis nasci dicitur; sed ex femore illius, qui gentis et nationis caput est.

R. 4°. Jacob Gen. 49. v. 28. dicitur *benedixisse singulis benedictionibus propriis*; sed si per *Juda* hic non intelligatur Jacobi filius, et tribus hujus nominis, solus hic non habuisset benedictionem propriam, quia illa de scepro fuisset communis omnibus.

Dices 1°. Cum recentiore in Diatrib. de vaticin. Jac. benedictionem Judae propriam contineri in his, quod *Juda laudandus* sit a fratribus 1. ob insignes victorias, quibus reges Juda potituri essent, ut probant haec alia: *catulus leonis Juda: ad praedam, fili mi, ascendisti: accubuisti ut leo*; 2. propter alias tribus Juda excellentias et praerogativas, ut, cum in castris ponendis caeteras praeriret, in divisione terrae Chanaan primam sortem ferret, etc. vel 3. ut alii volunt, ob haec sequentia: *Ligans ad vineam pullum suum, etc.*

quibus terrae illius indicatur fertilitas, quam praee aliis habitura erat tribus Juda; ergo.

R. D. A. Tota benedictio Judae propria his continetur N. Aliqua, et velut secundaria C. Jacob Judam non tantum laudandum dixit, sed et adorandum: *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui*, etsi vero laudandus a fratribus ob insignes victorias, aliasque praerogativas dici possit; non tamen adorandus, qua voce principatus importatur, cum adoratio deferatur non nisi superiori, nec sumatur in Scriptura aliter quam pro subjectione ab inferiore praestita superiori. Adorandus igitur dicitur Juda ob sceptrum, quod ea tribus erat habitura a Davide usque ad Christum: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat, etc.* sequentia vero: *Ligans ad vineam pullum suum, etc.* non pertinere ad Judam, sed ad Messiam, ipsa verborum, et positionis, totiusque contextus evidentia clamat. Nam, cum de Messia dixisset Jacob: *Donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio gentium*, subdit: *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam: lavabit in vino stolam suam, et in sanguine urae pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, etc. ubi  $\tau\delta$  ligans, etc.* aperte refertur ad praecedentia, *qui mittendus est*, ut constat ex modo loquendi in persona tertia, *pullum suum... asinam suam... lavabit... pallium suum... oculi... ejus*; si enim haec ad Judam pertinerent; ergo, cum hunc alloquatur in persona secunda, *o fili mi*, dicere debuisset, *pullum tuum, asinam tuam, lavabis, oculi tui.*

Dices 2°. Haec: *Non auferetur sceptrum de Juda*, non ad Judam pertinere Jacobi filium hujusque nominis tribum, indicat mutata loquendi ratio; antecederet enim Patriarcha filium alloquitur in vocativo, *Juda, te laudabunt, etc.* at hic non dicit: *non auferetur sceptrum de te, fili mi*, sed: *non auferetur sceptrum de Juda*; ergo. Conf. Si enim, juxta dicta, ex modo loquendi in tertia persona verba subsequentia: *ligans pullum suum... lavabit, etc.* referenda sunt ad eum, *qui mittendus*, cur ex eadem mutatione orationis non poterit dici, Jacobum a persona singulari transiisse ad Judaeos, et fratres alios?

R. N. A. Si enim haec ratio aliquid probaret, ergo nec benedictio Josepho data huic soli conveniret, cum Jacob benedicens Josepho a v. 22. multa de hoc in persona tertia proferat.

Ad Conf. Disparitatem facile Grammaticus dabit; haec enim: *ligans ad vineam pullum suum, etc.* sic profertur Jacob in persona tertia, ut simul filium alloquatur in vocativo: *ligans ad vineam pullum suum, o fili mi!* quo evidens fit, haec: *ligans, lavabit, etc.* dici a Patriarcha ad filium non de filio ipso, alias dicere oportuisset, *lavabis, etc.* sed de alio, scilicet, *qui mittendus est*, cui tanquam substantivo basis haec *ligans, etc.* adjective tribuuntur; unde et nulla hic est orationis mutatio. At in altero non dixit Patriarcha: *non auferetur sceptrum de Juda, o fili mi!* sed simpliciter: *non auferetur sceptrum de Juda.*

Dices 3°. Jacob illa: *Non auferetur sceptrum de Juda*, direxit ad filios omnes, quia universus populus erat a tribu Juda nomen sortiturus, quod, auctore Josepho, accidit post captivitatem Babylonicam, a quo tempore omnes Jacobi posterii dicti sunt *Judaei*, ipsaque eorumque regio *Judaea* appellata.

R. N. A. quod gratis asseritur; permisso enim quod nunc, ob confusionem tribuum, Hebraei vulgari nomine dicantur *Judaei*, unde probabunt adver-



sarii, hoc prævisum fuisse a Jacobo (neque enim singuli prophetæ præviderunt omnia) vel si præviderit, eum ex illa ratione verba direxisse ad filios omnes? Sed præterea in Scriptura sacra V. T. omnes Jacobi posteros fuisse *Judæos* uno nomine dictos, post reditum e captivitate, nullum habetur vestigium; quin constanter potius adhuc et tribus inter se, tribum Benjamin a tribu Juda distingui comperimus in libris Esdræ. Demum reduces e captivitate fuisse Judæos dictos horumque regionem *Judæam*, inde est, quod cæteræ decem tribus non redierint, sed tribus Juda: proprio igitur nomine tunc dicebantur Judæi, eorumque regio *Judæa* a tribu Juda; equidem et Benjamitæ reduces recensentur ab Esdra; at, quia horum exigua tribus comparata tribui Juda ad hanc se haberet velut accessorium ad principale, a scriptoribus profanis dicti potius sunt Judæi a tribu Juda tanquam a parte potiore et nobiliore, quam Benjamitæ a tribu Benjamin.

37. *Obj. IV.* Herodes non erat alienigena, sed genere Judæus; ergo sublato licet per Herodem Synedrio, sceptrum tamen a Juda nondum ablatum erat. *Prob. Ant. 1<sup>o</sup>.* Nam Herodem *duxisse genus a primoribus Judæorum*, qui in Judæam venerant a Babylonia, testatur Nicol. Damascenus scriptor Herodi coætaneus apud Josephum Antiquit. L. 14. c. 2. 2<sup>o</sup>. Teste Josepho, eodem, L. 20. c. 6. cum Judæos inter et Syros Cæsareæ orta esset contentio de pari jure civitatis, et Judæi opponerent, urbis conditorem Herodem esse regem Judæum genere, hoc Syri non inficiabantur. 3<sup>o</sup>. Juxta Joseph. L. 15. Antiquit. c. 16. Herodes in concione ad Judæos, hos vocat *tribules suos*. 4<sup>o</sup>. Strabo L. 6. vocat Herodem, Judæorum *indigenam*, seu vernaculum. 5<sup>o</sup>. Herodiani Herodem habebant pro Messia, quod non fecissent, nisi Judæus fuisset; cum scirent Messiam ex semine Abrahamæ, imo et Davidis nasciturum.

*R. N. Ant.* Quo genere fuerit Herodes rex ex Josepho discimus L. 4. de bello Judaico c. 5. ubi de Antipatro Herodis patre scribit: *Erat autem genere Idumæus, nobilitate et opibus gentis suæ princeps*. Herodem alienigenam fuisse consentiunt Patres, etsi eorum quidam illum origine Ascalonitam, et solum nativitate Idumæum faciant, ut S. AMBR. L. 3. in Lucam. EUSEBIUS L. 1. Hist. c. 6. *paterno genere Idumæum, materno Arabem* scribit.

*Nec dicas* cum Scaligero et Casaubono, Herodem, etsi Idumæum, alienigenam tamen dici non posse, cum Idumæi integro fere seculo ante devicti a Joanne Hircano, facti sint Judæi, juxta Joseph. Antiquit. L. 13. c. 17. et L. 15. c. 11. circumcisionem et Judæorum ritus amplexi. Accedit, quod a prima origine Idumæi fratres essent Judæorum Deut. 23. v. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est*, nimirum ex Abrahamo per Esau, a quo terra dicta Edon, unde Idumæi, juxta Avg. L. 1. QQ. in Genesin Q. 120. Nam quod devicti Judæorum sacris adhæserint, solum probat Herodem proselytum, et Judæum religione fuisse, non genere. Porro licet Idumæi dicti sint Judæorum fratres, ratione descendentiæ ex Abrahamo per Esavum, respectu tamen Judæorum vere talium alienigenæ erant, habentes ritus et principes ab Israelitis diversos. Populus vero judæicus, cui datæ promissiones illæ fuerant, erat is, qui ex Abraham descendebat per Jacob, solum circumcisionem servans.

*R. N. A. Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. Ita quidem Josephus refert, sed simul eundem

turpis adulationis reprehendit et mendacii: utpote qui hoc confinxerit, ut filii Herodis sibi gratiam conciliaret.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. Josephus factum refert; dictum a Judæis non ideo approbat. Sed Josephi mentem jam vidimus. Nimirum Judæi ita dixerant partium suarum studio: ut nempe jus civitatis contra Syros sibi assererent.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>.* R. Judæos *tribules* vocat, ut eos sibi demereatur. Quin ita vocare suo modo poterat, cum, utpote proselytus Judæorum sacra amplexus, Judæorum populo velut insitus esset. Quo tamen non obstante, tales censebantur alienigenæ, non veri Judæi; secus ac in Christianis accidit; nam veri Christiani sunt quicumque sive Judæi, sive Turcæ, sive Tartari, etc. postquam sacro lavacro abluti fuerint; quia scilicet Christianus fit, non nascitur, ad Gal. 3. v. 26. *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu... non est Judæus, neque Græcus, neque servus*, etc. At Judæi veri nascuntur, et potior est apud istos originis ratio. Deinde esto, Herodes Judæus fuerit quomodocumque, non tamen ex Judæis erat, sed Idumæis; proin non ex femore Judæ; unde in eo non impletum fuit vaticinium.

*Ad prob. 4<sup>am</sup>.* R. D. Indigenam vocat genere N. religione C. Constat ex modo dictis.

*Ad prob. 5<sup>am</sup>.* R. Herodiani homines fanatici, numero pauci, et ob id ipsum odiosi omnibus, Messia titulo Herodem colebant; quia, ut ait Epiphanius. hæc. 20. n. 1. cum viderent sceptrum translatum esse ad externum hominem, Herodem esse Christum putarunt; quod hoc consequi videretur ex Scriptura: *non auferetur*, etc.; in hoc tamen deceptos esse, quod Messias non de gente externa, sed stirpe Juda proditurus esset. Nisi dicere malis, ad hoc ab Herode subornatos fuisse, qui omnibus artibus persuadere nitebatur Judæis, se ex Judaica esse stirpe progenitum; atque idcirco, ne ambigendi locum relinqueret, omnes Judæorum genealogias, et instrumenta publica comburi jusserat. Cæterum ita constans erat oppositum, ut ex aliis Judæorum sectis vix aliqui minis et tormentis cogi potuerint, ut in Herodis fidem jurerent. Vide Josephum.

38. *Obj. V.* Si in Jacobi vaticinio tam solide stabilietur Messia adventus; cur igitur hoc vaticinio contra Judæos disputando, nec Dominus noster, nec Evangelistæ, nec Apostoli unquam usi sunt, quos tamen constat cæterorum prophetarum testimoniis frequenter usos esse?

R. Ideo, quia ex prophetia Jacobi illud solum concludi potest, quo tempore natus est Salvator noster, eo tempore Messiam venturum esse; tunc enim primum sceptrum a tribu Juda defecerat, translatum in Herodem alienigenam. Sed hoc Judæi non negabant. Quin pro certo habebant tam docti, quam vulgus in proximo esse Messia adventum. Unde Samaritana dicebat Joan. 4. *Scio, quia Messias venit*. At vero hominem illum, qui dicebatur Jesus, filius Mariæ, et, ut putabatur, Joseph, illum inquam verum esse Messiam, qui exspectabatur, quod Judæi negabant, et adversus eos urgebant Apostoli, hoc inquam, ex prophetia Jacobi demonstrari non potest. Non ergo mirum, Dominum et Apostolos hac prophetia usos non fuisse. Eadem est responsio ad prophetiam Danielis, de qua in sequenti, qua ex eadem ratione contra Judæos usi non sunt.



## ARTICULUS II.

AN ET QUOMODO EX CELEBRI SEPTUAGINTA HEBDOMADUM VATICINIO (DAN. 9.)  
PROBETUR CONTRA JUDEOS MESSIE ADVENTUS?

39. Illustre hoc vaticinium contra Judæorum perfidiam semper Christianis validissimi iustar præsidii fuit. Nam Messie tempus, necem; Judaicæ religionis et urbis, quæ arx illius erat, interitum; templi et sanctuarii demolitionem perpetuam; sacrificiorum ac ceremoniarum perpetuam abolitionem tam perspicue designat, ut, si frontem haberent Judæi, quam mentiendi assiduitate detriverunt; negare non auderent, jam pridem finitum esse illud annorum spatium, quod Messie adventui, illiusque neci præfinit angelus. En verba angeli ad Danielelem, cum is ad Deum preces funderet, Dan. 9. v. 24.

*Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum et urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadvertite: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursus ædificabitur platea et muri in angustia temporum.*

*Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. Circa prophetiam hanc quædam prænotanda veniunt.*

40. I. Hebdomas sive septenarius in sacris Scripturis vel pro diebus septem, vel pro septem annis sumitur; alius enim hebdomadarum usus in Scriptura non occurrit; sed neque in scriptore quocumque alio, vel gente. Pro septem diebus sumitur, Levit. 23. v. 15. Dan. 10. v. 2. ubi dese ait: *lugebam trium hebdomadarum diebus*. Pro septem annis vero, Levit. 25. v. 8. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem*. Quibus evolutis sequens annus quinquagesimus erat Jubileus Judæis, juxta v. 10. ibi. In hoc vero vaticinio, ut dicitur infra, hebdomades, de quibus sermo est, sunt hebdomades annorum, ac proin, si multiples 70. per 7. septuaginta hebdomades faciunt annos 490. Quod enim ORIGENES Tr. 28. in Matth. (al. comment. in Matth. n. 40.) ait, unamquamque harum hebdomadam diem decem annis constare, error est, ut ex illo Levit. 25. cit. vides.

41. II. Septuaginta illæ hebdomades dicuntur *abbreviatæ*, h. e. ut intra illas antequam finiantur plene, *ungatur Sanctus Sanctorum*, sive verus Messias, qui impleat visionem et prophetiam. Vel, ut alii volunt, sensus est: hæ paucae solum hebdomades definitæ sunt, cum Deus potuisset plures

decernere; quo sensu Matth. 24. v. 22. dies persecutionis Antichristi *brevisati* dicuntur.

42. III. Angelus, postquam initio universim spatium annunciasset 70. hebdomadam, quarum decursu omnia illa essent complenda, 70. hebdomades dividit in tres partes: scilicet in hebdomades septem, et in sexaginta duas, et in unam, quæ ultima est, quamque dimidiatam vocat v. 27., cuilibet futuros eventus et res memorabiles assignans. Pars prima, sive *hebdomades septem*, id est anni 49., continent tempus quo non templum solum, sed et civitas Jerusalem cum muris, plateis, domibus, propugnaculis restauranda sit. Has 7. hebdomades vocat *angustiam temporum*, sive quia tempus hoc breve est pro exstruenda urbe tanta et munita una cum templo; sive propter vicinorum infestationes hostium, tempore fabricæ, 1. Esdr. 4. et 6. Sic enim tempora misera et difficilia passim angusta dicuntur.

His evolutis succedent *hebdomadæ sexaginta duæ*, sive anni 434., et tantum tempus intermedium a restaurato templo et urbe, usque ad initium prædicationis Christi. Dum vero inquit angelus: *et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, harum initium neque a tempore loquentis angeli, neque ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, sive concessione decreti regii, de quo Art. seq.; sed a restaurato templo et urbe duci debet. Ratio est evidens; quia, cum in versibus præcedentibus dixisset angelus, quod ab emanatione edicti regii usque ad Christum ducem, universim futuræ sint hebdomades 69., si hæ sexaginta duæ fluere ab ejusdem decreti emanatione deberent, hic versus: *et post hebdomades sexaginta duas*, etc. manifeste pugnaret cum præcedentibus, citiusque occidi debuisset Christus, quam orbi innotuisset.

*Hebdomas una, sed dimidiata*, prædicationis Christi tempus reliquum continet, tum Passionem ejusdem ac mortem, quæ evenit in hebdomadis ultimæ, sive septuagesimæ, dimidio. Porro hebdomada una multis *confirmabit pactum*, h. e. Testamentum novum, quod æque ac Testamentum vetus pacti nomen oblinet.

43. Dico. Ex allato Danielis vaticinio de septuaginta hebdomadibus, Christum vel Messiam advenisse, contra Judæos solide evincitur.

*Prob.* Nam 1º. eo in vaticinio nemo designatur alius, quam Messias. 2º. Tempus adventui ejusdem præfinitum ibidem ab angelo, scilicet 70. hebdomadarum, spatium pridem evolutum est; ac 3º. quæ post necem Christi futura prænuntiantur, exacte impleta sunt omnia; ergo et necesse est, pridem Messias advenit.

*Prob. Ant. 1ª. pars.* Nam 1º. *Sanctus Sanctorum, qui impleat prophetiam, qui deleat peccatum, qui adducat justitiam sempiternam*, etc. nemo esse alius potest, quam Messias; vel si quis sit alius, assignent hunc Judæi, si possint. 2º. Quia in hebraico hic Sanctus Sanctorum v. 26. aperte *Messias* vocatur. 3º. Quia dicitur implere visiones et prophetias; sed Messias est, ad quem prophetiæ omnes diriguntur. 4º. Quia Rabbini celebriores, et veteres plerique Messiam intelligunt: R. Ozia in Seder olam, R. Josue ibid., R. Barachias, R. Moses Tironensis, R. Hioces, R. David, R. Abram, etc. qui Talmudicos libros conscripsere. Vide MARTINI in Pugione Fidei.



*Prob. 2<sup>a</sup> pars.* Per hebdomades Danielis imprimis intelligi non possunt hebdomades dierum, ipsis affirmantibus Judæis. Et ratio est evidens: quia cum 70. hebdomades dierum conficiant dies 490., tantillum temporis spatium templo, urbiq; una cum muris, propugnaculis de novo exstruendis sufficere non potuit: atqui tamen juxta prophetiam hæc omnia intra illas hebdomadas, imo intra primam earum partem, sive 7. prioribus perfici oportuit. Superest igitur, ut sint hebdomades annorum; hæc vero annos 490. conficiunt. *Subs.* Atqui hæc annorum hebdomades jam pridem elapsæ sunt; ergo. *Prob. subs.* Hæc enim initium sumunt, ut ait angelus, *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*: h. e. ab edicto regio, quod proprie exit, cum editur: quo rex Persarum dabit Judæis facultatem restaurandi urbem, eversam a Nabuchodonosore rege Assyriorum antepenultimo: quatuor vero edicta a diversis regibus Persiæ in Judæorum gratiam data fuisse legimus, de quibus Art. seq. Sed a quocumque ex his hebdomadarum ducas initium, etiam ab ultimo Artaxerxis, dato regni ejus anno vicesimo, jam anni supra bis mille ducentos et amplius effluxerunt; ergo hebdomades illæ, quæ tantum conficiunt annos 490., pridem elapse sunt.

*Prob. 3<sup>a</sup> pars.* Nam 1<sup>o</sup>. post necem Messie civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. Impletum hoc est in Romanis sub duce Tito funditus Jerosolymam evertentibus. *Deficiet hostia et sacrificium*; quæ certe defecere; nec enim templum amplius, nec altare habent Judæi. *Post finem belli statuta desolatio.... et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio*: quæ a Romanis inducta, uti jam 17. seculis stetit, sic et deinceps durabit; ne enim inani spe jactare se possent Judæi, addidit angelus, *usque ad consummationem*. Hæc sane in luce et omnium oculis posita penetrare deberent in Judæorum animos; sed tam hebes est illa gens, tamque pertinax, ut, quibus veritate ac ratione resistere nequeunt, horum fatigare potentiam intolerabili commentorum stoliditate conentur. Nam nihilominus

44. *Obj. I.* Per hebdomadas Danielis non intelliguntur hebdomadæ annorum, sed jubilæorum, vel decenniorum, sic, ut unaquæque hebdomada septem annorum decades, h. e. 70. annos conficiat; vel plane seculorum: atqui sic hebdomades illæ nondum elapsæ sunt; 70. enim hebdomades *Jubilæorum*, cum annus Jubilæus Judæis quinquagesimus sit, annos conficiunt 24,500. *Decenniorum* 4,900. *Seculorum* 49,000. Sed hi nondum effluxerunt; ergo.

R. N. Ant. 1<sup>o</sup>. Quia in sacris Scripturis, vel alibi nulla fit unquam mentio de hebdomadis decenniorum, jubilæorum, vel seculorum; sed dierum duntaxat, et annorum. 2<sup>o</sup>. Quia templum Solymanum, cujus devastatio juxta prophetiam non præcedit, sed sequi debet elapsas hebdomadas, jam pridem eversum est. 3<sup>o</sup>. Quia per hebdomades simpliciter positas, annorum duntaxat septimanas significare solebant Hebræi; alias, ubi de dierum hebdomade agitur, expresse adjicientes nomen *dierum*. Quem numerandi modum etiam astrologi veteres, medici ac philosophi observarunt, teste Censorino de die natali c. 4. et Gravesonio Tr. de myster. et annis Christi diss. 13. Hodieque apud Talmudistas non infrequens est.

45. *Obj. II.* Septuaginta hebdomades illæ ponuntur ab angelo, tanquam numerus certus ac definitus pro incerto et indefinito; ergo ex prophetia hæc nondum sequitur, quod Messias jam advenerit. *Prob. A.* Sic enim etiam Matth. 18. v. 22. *Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies.* Apoc. 7. v. 4. *Ex tribu Juda duodecim millia signati*; et ita percurrando singulas tribus, numerus determinatus pro indeterminato ponitur.

R. N. A. *Ad prob. N. Cons.* Licet enim aliquando in Scriptura numerus certus ponatur pro incerto; inde tamen regulam universalem non licet statuere, quasi Scriptura nullibi exprimeret numerum determinatum ac certum, cum contrarium constet ex innumeris ferme Scripturæ exemplis. Et quidem hic per hebdomadas 70. intelligi numerum determinatum et definitum, et præcise tantum spatium temporis, ex ipsa prophetia manifestum fit; nam Messiam adventurum esse aliquando, sive tempore aliquo nondum determinato, noverant Hebræi omnes, et præ cæteris Daniel; si ergo angelus solum indicare voluisset Messiam adventurum aliquando, nihil sane novi Daniel attulisset; neque inde tam hic quam totus populus capere vel minimum solatii potuisset. Atqui tamen novum quid nunciaturus venerat angelus, quo Danielis Messiam anhelantis desiderium leniret; hoc enim angeli verba loquuntur. Notentur illa angeli ad Danielem verba: *Nunc, ait angelus, egressus sum, ut docerem te, et intelligeres... Ego veni, ut indicarem tibi... Tu ergo animadvertite... intellige.* Sed numquid illud, quod Daniel jam doctus erat, intellexerat pridem a pueritia? Certe necesse non erat, idcirco egredi, venire angelum. Fixum igitur et determinatum tempus adventus Messie ponere voluit. Insuper angelus ait, intra illas hebdomadas adhuc, sive ante earum finem, occidendum esse Messiam; ergo non post illas, tempore adhuc incerto, venire dici potest.

46. *Obj. III.* In hac prophetia non est sermo de Messia. *Prob. 1<sup>o</sup>.* Quia in hebr. non legitur *Sanctus Sanctorum*, sed *Sanctitas sanctitatum*, quo indicatur templum, vel sanctuarium. 2<sup>o</sup>. Quia Daniel non hoc rogabat, ut Deus mitteret Messiam, sed ut restitueret urbem et templum; ergo ut relatio angeli accommodata sit petitioni Danielis, de restauratione urbis et templi intelligi debet.

R. N. A. et *prob. 1<sup>am</sup>.* Quia 1<sup>o</sup>. hebraicum sine recentioribus punctis additis lectum aliter, idem sonat ac *Sanctus Sanctorum*, sicque legerunt LXX. 2<sup>o</sup>. Etiamsi legatur *Sanctitas sanctitatum*; nihilominus Messias intelligitur; quia hic, non templum, delere iniquitatem potest, adducere justitiam sempiternam. 3<sup>o</sup>. Quia post 70. hebdomades templum non sanctificatum, vel unctum, sed profanatum et funditus eversum fuit sub Tito.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. T. A. N. *Cons.* Licet enim rogarit pro restauranda urbe et templo; nihilominus liberalissimus Deus, ad solandum Danielem et populum, ea occasione utrumque promisit: restaurationem urbis cum templo, et Messie adventum; ac quoniam adventus hujus tempus nondum revelasset Judæis determinate, simul hoc determinat; ideo ait Gabriel. v. 25. *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem, etc.*

47. *Obj. IV.* Per *Christum Ducem* intelligi posse Zorobabelem, vel Josedechum, vel Nehemiam; ergo.



R. N. A. Nam 1<sup>o</sup>. nullus ex his Sanctus Sanctorum dici potuit; vel peccatum deleuit; vel adduxit sempiternam justitiam; vel occisus fuit. 2<sup>o</sup>. Hi singuli vivebant tempore factæ Danieli revelationis; sed Christus ille Dan. 9. diu post futurus prædicatur.

48. *Obj. V.* Initium istarum hebdomadum duci debet ab excidio primi templi sub Nabuchodonosore, ut sensus sit: ab exitu rei, h. e. ab exitu, sive fine urbis Jerusalem usque ad Cyrum ducem hebdomades septem... et post hebdomades 62. occidetur Christus, h. e. ultimus rex, scilicet Hircanus, vel Agrippa, vel certe ipsum sanctuarium; ergo. *Prob. A.* 1<sup>o</sup>. Quia hebr. *dabar* etiam rem significat. 2<sup>o</sup>. Quia Cyrus etiam *Messias* dicitur. 3<sup>o</sup>. Quia ab excidio templi usque ad Cyrum fluxere 7. hebdomadæ.

R. N. A. Quod non nisi commentum inane desperantium hominum est. Nam 1<sup>o</sup>. *estó*, *dabar* etiam rem significet, quo fundamento per rem, quod vocabulum generalissimum est, urbem, templum præcise denotant. 2<sup>o</sup>. Cyrus quidem *Messias* vocatur, Is. 43. sed hic de Cyri nomine nulla fit mentio. Et licet Cyro, tanquam Christi typo, *Messias* nomen permittamus; hic tamen per *Christum Ducem* nequit intelligi, cum notæ characteristicæ ducis hujus Cyro non conveniant: quod sit Sanctus Sanctorum, deleat peccatum, justitiam sempiternam adducat, quod sit occidendus post hebdomades 62. Licet enim demus Cyrum, quod alii pernegant, occisum fuisse a Tomyri Massagetarum regina; non tamen hoc post 62. hebdomades contigisse dici potest. 4<sup>o</sup>. Non dixit angelus: usque ad Christum Ducem esse hebdomadas duntaxat septem; sed *septem et sexaginta duæ*, quæ conjunctim sumi debent, ut faciant summam unam, more Hebræorum, qui per plures numeros minores proponunt summam unam. Sic Ezech. 43. v. 12. *Viginti sicti, et viginti quinque sicti, et quindecim sicti*, hoc est sexaginta, *mnam faciunt*. Nec refert, quod post *schibha*, *septem*, in hebr. habeatur accentus *atnach*; nam præterquam, quod accentuatio a Rabbiniis facta, canonica non sit, accentus hic non semper distinguit solitarie positus, ut patet ex Gen. c. 1. v. 1. ubi *Deus creans*, per *atnach* non sejungitur ab accusativo sequenti: *Cælum et terram*. Et quidem hic Dan. 9. non distingui 62. a 7. hebdomadis, patet ex omnibus versionibus aliis, quæ non habent accentum *atnach*. Unde et LXX. habent *ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα δύο*. 5<sup>o</sup>. Denique nec Agrippa occisus fuit, cum, teste Josepho L. 2. de Bell. Jud. c. 16. et Tacito L. 5., usque ad mortem, Vespasiani et Romanorum favore fructus sit; sed neque hic, neque Hircanus, occisus quidem ab Herode rege, cæteras *Messias* notas habuit; uti neque sanctuarium, cum mortalium nemini, sed soli *Messias* antonomastice tali vel principali, convenire possit, *Sanctus Sanctorum*, etc. Ex his patet resp. ad probationes.

49. *Obj. VI.* Hæc ab exitu sermonis bene explicantur de sermone Jeremiæ, quo c. 25. v. 11. et c. 29. v. 10. prædixit Judæorum e captivitate reditum, cum cæperint impleri in Babylone 70. anni, *visitabo vos; et suscitabo super vos verbum meum bonum*; ut sensus sit: ab exitu sermonis, quem in Jeremiâ legisti, de reditu Judæorum, sunt 7. et 62. hebdomadæ; nam Daniel c. 9. hanc Jeremiæ prophetiam tunc legerat: atqui sic saltem Jesus Nazarenus esse *Messias* non potest; nam stante hac expositione, hebdomades multis ante

annis elapsæ fuissent, quam Jesus Nazarenus venit. *Prob.* Quia Jeremias hæc jam dixerat anno quarto Joachimi regis, ante captivitatem; captivitas vero ipsa duravit annis 70. juxta Christianos autem omnes ab edicto regio de restauranda urbe, quod vel circa vel post captivitatis finem datum Judæis, usque ad Jesum Nazarenum sunt 69. novem hebdomadæ; ergo si hebdomadæ ab illo Jeremiæ sermone fluere inciperent, tot quoque annis, quot sermo Jeremiæ præcedit edictum regium, citius finiri eas oportuit, ac proinde 70. et pluribus ante Jesum Nazarenum annis.

R. N. A. Nam 1<sup>o</sup>. si angelus sermonem Jeremiæ intellexisset, dicere debuisset: ab exitu sermonis, *ut destruat, et iterum ædificetur* Jerusalem; is fuerat sermo Jeremiæ, cit. loc. utrumque prædicentis. 2<sup>o</sup>. Juxta angelum post hebdomades 69. occidendus est *Messias*; sed si a Jeremiæ sermone numerari velis hebdomadas, quis tunc, aut ubi occisus *Messias* in designato illo tempore, atque iis quidem notis, de quibus supra insignitus? 3<sup>o</sup>. Juxta historicos omnino omnes, et singulariter juxta Judæos ex Talmud in Megilla c. Megilla Nigreck, et juxta Esdram falsum est, ab ista Jeremiæ prophetia usque ad restaurationem urbis fluxisse 69. hebdomadas. Nam juxta Judæorum chronotaxin ex Megilla cit. usque ad consummationem templi secundi, sexto Darii regis anno, 1. Esdr. 6. v. 15., ab excidio templi primi, quod non multo ante præcessit Jeremiæ sermo, anni sunt 78. Sive igitur urbem simul restauratam cum templo dicas post edictum Cyri; sive sub Darii antedicti successore Artaxerxe, 2. Esdr. 2., ne medietatem quidem habeis hebdomadarum 69.

50. *Obj. VII.* 1<sup>o</sup>. Juxta prophetiam hanc 70. sunt hebdomades usque ad unctionem Christi. Item, post 69. dicitur constituendus *Dux*. Atqui hæc verificata fuisse in Jesu Nazareno, ostendi non potest. 2<sup>o</sup>. In dimidio hebdomadis 70. ut prophetia sonat, *deficiet hostia et sacrificium*: atqui post Christi Nazareni mortem, adhuc facile 38. annis, nimirum usque ad excidium urbis et templi duravit hostia et sacrificium. 3<sup>o</sup>. Post Jesum Nazarenum peccatum non accepit finem, cum plurima fiant adhuc in dies. 4<sup>o</sup>. In hebraico non legitur: *et non erit ejus populus, qui eum negaturus est*; sed solum: *et non ei*; igitur sensus esse potest: non erit ei rex Agrippa; vel: non erit ei sacerdos, etc. 5<sup>o</sup>. Inter Christianos ipsos magna est dissensio de illarum hebdomadarum initio.

R. Ad 1<sup>am</sup>. R. D. 70. hebdomades *complete* usque ad unctionem *N. abbreviate* juxta n. 40. scilicet intra illas *C.* Sed facta est hæc unctio tum in conceptione Christi Nostri, dum ejus humanitas, media unione hypostatica, uncta fuit ipsa divina personalitate Verbi; tum in baptismo, anno vite ejus trigesimo, qui respondet initio hebdomadis 70. cum palam a Patre declaratus esset *Dux*, *Magister*, Matth. 3. v. 17. Luc. 9. v. 35. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*. Quo et S. Petrus alludit Act. 10. v. 38. *unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute*. Hinc et patet responsio ad alterum.

Ad 2<sup>am</sup>. R. D. M. Deficiet quoad valorem *C.* Quoad usum *subd.* simul et repente *N.* successive et mediate *C.* Quoad valorem defecerant simpliciter et omnino, Christo moriente, utpote reprobata a Deo. Hucque pertinet illud Malach. 1. v. 10. Quoad usum jam deficere inceperant respectu eorum omnium, qui credebant in Christum, quorum in dies augebatur numerus, Apostolis Jesum prædicantibus jam ante urbis excidium.



Ad 3<sup>am</sup>. R. D. Peccatum non accepit finem quoad satisfactionem condignam pro illo per Christum factam; et quoad actualem exclusionem ab aditu coelestis gloriæ N. Quoad actualem sui commissionem C. vel *subd.* Ex culpa Christi N. hominum, gratia quam meritis illis Christus est abutentium C. Sic et Christus adduxit justitiam sempiternam, scilicet quoad sufficientiam et in actu primo, promerendo homini gratiam, ut huic cooperando peccatum vincat, sicque consequatur justitiam; non autem quoad efficaciam in actu secundo, quasi homo justus futurus sit et beatus sine omni cooperatione sua libera, aut gloriam consecuturus sit turpi otio ac velut dormiendo; talis enim Messias promissus, qui homines faciat impeccabiles, nec in hac prophetia, nec alia habetur.

Ad 4<sup>am</sup>. R. 1<sup>o</sup>. Etiam si in Vulgata nostra legeretur eodem modo, quo in hebræo, *et non ei*; quid hinc solatii pro Judæis? Manebit enim nihilominus verum, clapsas esse hebdomades, dissipatam esse civitatem cum sanctuario, defecisse hostiam, perdurare desolationem; proinde, cum hi tristes occisi Messiae effectus sint; illum jam pridem advenisse.

R. 2<sup>o</sup>. Quod imperfecto sensu scripsit Daniel, *et non ei*, recte et apposite expressit versio latina, sive Vulgata nostra. Nam 1. *et non ei* indubie ad Messiam referri debet, utpote de quo solo præcedit mentio; deinde subintelligi debet verbum *sum*, nimirum *est*, vel *erit*; hoc enim *erit* Judæi omnes subintelligunt; et patet ex adductis eorum interpretationibus. Igitur *non erit Messia*; sed quis, aut quid non erit Messia? scilicet non amplius in populum, juxta illud Osee 1. v. 9. qui eum negabit et occidet. Ideo *et non ei* immediate occisioni Messiae subjicitur: *occidetur Messias: et non ei*. 2. Si ob necem Messiae perpetuo deserenda sit a Deo civitas et sanctuarium juxta illa: *statuta desolatio... usque ad finem perseverabit desolatio* (alia enim causa tantæ pœnæ afferri nequit juxta dicenda); multo magis reprobandus hoc loco populus innuitur, in quem solum proprie Christicidium cadit. Et hoc fuit, quod totum eloqui Danieli non permisit dolor, interrumpens scribenti spiritum. Implicite tamen indicavit per sequentia: *et civitatem et sanctuarium dissipabit populus, etc.* haud dubie non exanimis solum lapides peccati incapaces; sed maxime incolas. Quod igitur Daniel implicite, versio latina nostra magis explicite reddidit: *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est.*

Confirmatur responsio inde, quod, teste S. Hieronymo, apud Cornelium a Lapide veteres Rabbinici sic legerint: *Non erit illius imperium, quod putabat se redempturum*; scilicet spiritualiter. Sed hoc quoad sensum a Vulgata nostra non differt. Demum ex eventu illustratur veritas Vulgatæ nostræ: nam ex præsentis Judæorum statu nihil æque colligi potest, quam non esse illos amplius populum Dei. Confer dicenda n. 71. Sicut ex moderno Jerosolymæ statu templique devastatione colligitur, non esse amplius urbem et templum Dei. Sicut ergo in prophetia urbis templique devastatio exprimitur ab Angelo; sic et multo magis reprobatio populi haud dubie revelata Danieli fuit; quam et proinde hic æque scribere voluit, ac devastationem urbis templique; sed ubi, nisi sub his: *et non ei*?

Quod denique Judæorum interpretationem attinet, illa per se ipsam corruit; nam 1<sup>o</sup>. stante illa deberet legi: et non ipse erit rex, vel sacerdos; sed textus habet: et non ei. 2<sup>o</sup>. Duplex Agrippa fuit, senior, et junior. Senior

occisus non fuit; sed consumptus a vermibus, teste Josepho L. 49. Antiquit. c. 8. Junior non rex Judæorum fuit, sed Chalcidis; neque occisus ipse, sed etiam post urbis excidium superstes fuit, teste Joseph. L. 3. de bello Jud. c. 3. 5., item Tacito L. 5.

Ad 5<sup>am</sup>. R. Nihil Judæis prodesse hoc Christianorum scriptorum accidentale dissidium, cum in plerorumque systemate integra maneat prophetiæ vis: impletas esse hebdomadas; occisum esse Christum in dimidio hebdomadis ultimæ; defecisse hostiam, etc. proin Messiam advenisse. Sed ut, quæ nostra sit sententia circa hebdomadarum initium, pateat,

QUÆRES: UNDE LXX. HEBDOMADARUM SIT DESUMENDUM INITIUM?

51. Præsenti in controversia plures ferme opinionum varietate Chronologi æque, ac Historici, Theologique dissonant, quam in male ordinata urbe horologia: aliis plus æquo maturius; aliis plus minusve æquo tardius hebdomadas illas et inchoantibus et finientibus. En causam tantæ discordiæ, et controversiæ statum!

Archangelus Gabrieli signum, unde ducendum esset 70. hebdomadarum initium, illud dederat: *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*, h. e. ab eo tempore, quo a rege Persiæ Judæis non templum modo, sed urbem quoque Jerosolymam 70. abhinc annis dirutam restaurandi facultas decreto regio, vel edicto dabitur; *exire enim sermonem* idem est, ac dari, vel, ut hodie dicitur, emanare decretum sive edictum. Sic dicitur: *exiit edictum a Cæsare Augusto*, etc. Luc. 2. v. 1. At vero quatuor edicta a diversis Persiæ regibus esse in Judæorum favorem data, constat. Primum a Cyro, anno regni Persici primo, 1. Esdr. 1. Alterum a Dario Hystaspæ, anno regni ejus secundo, 1. Esdr. 2. Tertium ab Artaxerxæ Longimano, anno regni ejus septimo, 1. Esdr. 7. Quartum ab eodem, anno regni vigesimo, 2. Esdr. 2. Hinc jam quæritur, a cujus, ex his quatuor, edicti exitu repeti debeat 70. hebdomadarum initium?

Hæc vero edictorum, quæ exiverunt, diversitas, quid mirum, si scriptores in contraria studia et sententias distraxit? Præsertim, cum in coordinatione Danielis hebdomadam ad auctoritatem profanam magis, quam sacram respexerint: ac potissimum ad regum Persiæ chronotaxin, quæ tamen in omni profana historia nihil obscurius est, aut incertius, ob scriptorum, qui de illis tractarunt, inter semetipsos discordias. Nobis, quibus prælectionum academicarum et temporis habendi ratio, non vacat hic referre ac ponderare opiniones singulas, tum quod non paucae earum per se ipsas corrue- rint, utpote minus verosimiles, et minus consonæ tam chronologiæ, quam sacris Scripturis; tum quod easdem satis perstringant alii, inter quos vid. P. Schwarz S. J. in Colleg. Hist. Part. 1. q. 21.

Unde et tres duntaxat e singulis hodie in usu sunt: prima, quæ hebdomadarum initium ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani repetit: altera, quæ ab anno septimo ejusdem: tertia, quæ hebdomadas a Cyro, anno regni Persici primo, exorditur; quam, quia expeditius, ac sacris Scripturis conformius hebdomadas explanat, nostram facimus.



52. *Dico.* Initium LXX. hebdomadarum Danielis ab edicto Cyri, quod Judæis anno regni Persici primo dedit, recte desumitur. Ita cum P. CALINI S. J.; hoc solo discrimine, quod is numerare hebdomades incipiat a tempore factæ Danieli revelationis, h. e. duobus annis antequam Cyrus rex Persiæ fieret; nos vero simpliciter ab anno primo monarchiæ ejus Persice.

53. *Prob. I.* Cum eodem: Si non posset, vel non deberet hebdomadarum initium deduci ab anno primo Cyri; ergo vel ideo, quia in edicto Cyri nulla fit mentio de restauranda urbe Jerosolyma, sed de solo templo; vel quia obstat scriptorum profanorum auctoritas quoad chronologiam: sed nihil horum obstat; ergo recte, imo potius, hebdomadarum initium ab anno primo Cyri deducitur.

*Prob. min.* (quæ sola hic in controversiam venit) quoad 1<sup>am</sup>. p. In edicto Cyri contentam fore facultatem, non templum modo, sed et urbem Jerosolymam restaurandi, jam fuerat assertive prædictum per diversos prophetas et pluries: Is. 44. v. 28. *Qui dico Cyro: pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis; en qualem: qui dico Jerusalem: ædificaberis; et templo: fundaberis.* Et c. 45. v. 13. *Ipse (Cyrus) ædificabit civitatem meam, dando scilicet de ædificanda decretum.* Jeremias c. 30. nomine et jussu Dei ait: *Eccc ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, et tectis ejus miserebor, et ædificabitur civitas in excelso suo, et templum juxta ordinem suum fundabitur.* Hoc vero vaticinium datum fuisse de edicto Cyri, Esdras testatur L. 4. c. 4. *In anno primo Cyri... ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis, etc.* Ergo revera vel in edicto Cyri contenta fuit facultas restaurandi urbem, vel uterque propheta falsum dixit; quod ultimum dicere impietatis est.

54. *Prob. min.* quoad 2<sup>am</sup>. p. Quia tota scriptorum illorum auctoritas nititur 1<sup>o</sup>. testimoniis Græcorum historicorum veterum; 2<sup>o</sup>. Chronologia Olympiadum, et 3<sup>o</sup>. Astronomia. Sed hæc sunt fundamenta prorsus incerta, imo probabilius falsa; ergo. *Min. prob.* Quoad duo posteriora vid. in Object. n. 69. Quoad primum, quod caput est, antequam ostendatur,

OBSERVA: Controversiæ cardinem duntaxat versari in parte hebdomadarum prima, quæ res persicas a Cyro ad usque Alexandri M. de Dario Codomanno victoriam complectitur, quam nos ex libris divinis Esdræ, Nehemiæ, Danielis potius, quam repugnantibus Græcorum historiis esse ordinandam contendimus: et scriptores Græcos, quoniam plurimum inter se ipsos dissident, Scripturæ sacræ melius, quam hanc illis conformandam. Quod nemo vitio dabit, cum sana ratio dicet, non solem horologio, sed hoc illi esse adaptandum. Quod vero hebdomadarum partem alteram attinet, quæ res Græcas Seleucidarum, Ægyptias Lagidarum ab Alexandri victoria ad usque pugnam Actiacam, Christum natum passumque, continet; quoniam hic omnes inter se consentiunt, cum omnibus consentimus. Omnes enim conveniant, Darium devictum esse ad Arbelam anno Iphyti 446., Olympiadis 112. secundo. Pugnam Actiacam commissam esse anno Olympiadicæ 747., Juliano 16. Christum natum esse anno Olympiadicæ 776., mortuum 808. In his, inquam, conveniunt, saltem ex hypothesi, ubicumque

demum cœperit prima Olympias; et recte, quia in Alexandri regno chronologia sacra et profana conveniunt. Igitur

55. *Prob. quoad 1<sup>am</sup>.*: Quia scriptores illi inter se ipsos quam maxime differunt, tum in numero regum Persiæ usque ad Alexandrum, tum in numero annorum, quibus imperarunt. Sic, duce Curtio, EUSEBIUS reges Persicos a Cyro usque ad Alexandrum M. numerat 14., alii 13., alii 11., alii 10., alii 4. His vero alii annos regiminis universim assignant usque ad Alexandrum 250., alii 233., alii 231., ut EUSEBIUS, alii 200., alii 118., etc. Sic, etsi subin in quibusdam regibus conveniant, longissime iterum discrepant in numero annorum, quo singuli regnarunt: atque aliter hos numerat Ctesias, aliter Metasthenes, aliter Herodotus, Dionysius, Diodorus Siculus. Habe exemplum: Cambyses Herodotus assignat annos regiminis 7. Ctesias 19. Artaxerxi Mnemoni idem annos 42. Metasthenes 55. Plutarchus 60. Alii 40., etc.: atqui in tali repugnantia, inquit Eusebius ipse adversarius potissimus L. 10. c. 3. (al. 9. et 10.) Præp. Evang. *quando ita confuse de temporibus (Regum Persiæ ante Alexandrum) scribitur, universa titubat historia;* ergo hoc fundamentum in illorum historicorum testimoniis prorsus incertum est; et proin ineptum ad decidendam priorem hebdomadarum partem.

56. *Conf. 1.* inde, quod scriptores illi se mutuo mendaciorum redarguant. Sic de Ctesia ait Plutarchus: *Oratio ejus ad fabulas, et scenica figmenta deflectit: fabularum incredibilia, atque stolidarum colluviem infarcit.* Sic, quod Herodotus affirmat, negat Xenophon, etc. et ne longior sim; tam de Plutarcho, quam de omnibus ante se, ait Josephus Judæus L. 4. cont. Appion. *Certe in suis libris alii alios plerumque refellunt, et iisdem de rebus diversissima scribere non dubitant.* Et de hoc ipso Josepho non tam P. Calini, quam critici alii, in specie Gravesonius hanc crisin tulit: *Cum igitur sub tot mendis cubet regum Persarum historia, a Josepho scripta, vel ab aliquo Judæo corrupta, nemini mirum videri debet, si, etc.* Quis ergo tali fundamento tuto innitatur?

57. *Conf. 2.* Afferendo causas tantæ varietatis et tot errorum: 1<sup>a</sup>. quam tradit Josephus Judæus: quod a primordio curatum non fuerit apud Græcos, ut annales conficerentur; id enim, inquit, *erroris causam et mentiendi licentiam præbuit iis, qui postea de rebus antiquis scribere voluerunt.* Plures idem cit. loc. refert; quibus addi jure potest 2<sup>a</sup>. scilicet mutatio nominum usitata Persis; sic Cambyses Cyri filius, etiam Assuerus, nomine alias Medis proprio, dictus est; estque idem ille, de quo 1. Esdræ 4. v. 6. *in diebus autem Assueri.* Sic Orophastus post Cambysen 9. mensium rex, etiam Artaxerxes dictus; estque idem ille, de quo 1. Esdræ 4. v. 7. *et in diebus Artaxerxis.* 3<sup>a</sup>. Consuetudo assumendi filios, ut regni consortes. 4<sup>a</sup>. Multitudo principum, seditionum, etc. Hinc factum, ut ex pluribus nominibus plures reges fingerent cum specialibus epochis; aut filiis conregnantibus divisas a patribus epochas darent; aut ex rebellibus, qui ad tempus purpuram assumpserant, veros reges cum propria annorum serie efformarent, ut EUSEBIUS; consequenter annos a Cyro ad Alexandrum nimium auferent;



adeo ut, si vera hæc essent, necesse foret, pridem ante Christum effluxisse hebdomadas, si harum initium sumatur a Cyro. Ex tanta igitur discordia recte

58. *Infertur* : Ex historicis antiquis præferendos esse hoc loco, qui propius ad S. Scripturam accedunt; tales vero sunt, qui a Cyro ad Alexandrum M. et reges et annos pauciores numerant; velut Herodotus, Ctesias, licet carpantur in aliis; item Trogius Pompeius, Justinus, recensentes reges duntaxat octo, cum multo minore quam historici cæteri annorum serie. Quod vero hi propius accedant ad Scripturam sacram, partim patebit ex Art. seq., partim constat ex Daniel. 10. v. 1.; ubi in anno Cyri tertio angelus revelavit Danieli reges Persiæ, Cyrum secuturos. *Eecce tres stabunt*, h. e. non erunt duntaxat tres exiguo tempore, quales fuere Cambyses vivo patri conregnans potius, quam regnans, teste Herodoto; Orophastus rex 9. mensium; Xerxes, qui potius foris bella gessit, quam regnaret, ejus filio Artaxerxe Longimano regnum moderante, ut ex Herodoto et Justino colligitur: sed *stabunt*, i. e. regnabunt longiore tempore; qui fuere *Darius Hystaspes*, *Artaxerxes Longimanus*, *Ochus*, adepto regno a Persis Artaxerxes, sive magnus bellator, a Græcis ob præstantem memoriam *Mnemon* vocatus. *Et quartus ditabitur opibus nimis* (Darius Codomannus) *et cum invaluerit divitiis, concitabit omnes adversus regnum Græciæ; surget vero rex fortis* (Alexander M.) *et dominabitur, etc.*

At vero, qui cum Eusebio ex Curtio ita reges multiplicant, non tantum *tres stantes*, sed plures, imo sex, contra prophetiam, statuere debent, ut exhibet series regum Persiæ juxta Eusebium ex Curtio et Julio Africano; nimirum: *Cyrus ann. 30. Cambyses 8. Smerdes mensib. 9. Darius Hystaspes ann. 39. Xerxes I. 20. Artabanus mens. 8. Artaxerxes Longimanus ann. 40. Xerxes II. mens. 4. Sogdianus ann. 4. Darius Nothus 19. Artaxerxes Mnemon 40. Artaxerxes Ochus 23. Arses 4. Codomannus 6.*

59. *Prob. II.* Scopus angeli erat, Danielelem, ut huic solatium afferret, instruere de tempore adventus Messiae: atqui nihil præstitisset angelus, si hebdomadæ initium sumerent non ab edicto Cyri, sed alterius regis Danieli incogniti, de quo, quis esset, nihil dixerat angelus; proin nihil scire poterat Daniel: e contra recte instruxisset Danielelem angelus, atque ille verum habuisset solatium, si ab edicto Cyri numerandæ essent hebdomadæ; ergo *Maj.* patet ex contextu prophetiæ; cum contestetur angelus: *Egressus sum, ut docerem te.... Veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es; ergo animadvertite et intellige.... Scito ergo, et animadvertite; ab exitu sermonis, etc.* *Min.* æque patet; nam si initium haberent hebdomadæ ab edicto Danieli incognito, dando primum post Danielis tempora, ut ab Artaxerxe Longimano anno regni ejus septimo, vel vigesimo (cum nesciret de hoc edicto aliquid Daniel, et multo minus sciret, quando dandum esset edictum hoc, a quo usque ad Christum superessent LXX. hebdomadæ), etiam nescivisset, quando esset Messias venturus; sed solum scivisset, exiturum *aliquando* edictum, a quo usque ad Christum fluent nonnisi LXX. hebdomadæ; quod in re plus non erat, quam venturum *aliquando* Messiam; at hoc tam ante revelationem Daniel a pueritia, Judæique omnes noverant;

et quid proinde solatii Danieli attulisset angelus? E contra vero si a Cyro fluere inciperent hebdomadæ, Daniel, desideriorum vir, maximo suo solatio intelligere poterat tempus adventus Messiae; nam ex Isaia noverat Cyrum regnaturum, noverat ex Isaia et Jeremia a Cyro edictum exiturum de restauranda urbe et templo; ergo ab hoc numerando hebdomadas, scire poterat Messiae tempus. Imo ex his

60. *Adde 1º.* quod angelus in errorem potius duxisset Danielelem, quam *docuisset*, si ab alio edicto, præterquam Cyri, hebdomades inciperent; nam cum ex Isaia et Jeremia constaret Danieli, a Cyro exiturum tale edictum, non poterat non judicare hoc esse edictum illud, a quo usque ad Christum fluent LXX. hebdomadæ; quia de alio edicto neque ex propheta aliquo constabat, neque ex sermone angeli; tum quia eo ipso tempore, quo apparebat angelus, Jeremiam Danielolvebat, ut proin oratio angeli non posset non *relative* intelligi *ad exitum sermonis*, quem Daniel legebat in Jeremia; igitur angelus, si aliud edictum intellexisset, de hoc docere debuisset; vel non tam docuisset Danielelem, quam in errorem duxisset.

*Adde 2º.* cum P. CALINI: Si ab alio edicto quam Cyri, initium hebdomadæ ducerent, sequi hoc ingens absurdum, quod historia sacra, secus ac constanter fecerat alias, per tria et amplius annorum millia in patriarchis, regibus, aliisque eventibus addendo chronologiam, hic in solo Christo neglexisset tempora, etsi ad hunc tota ordinetur sacra historia; et quidem neglexisset tunc, cum viciniore esset Christus, cumque per Gabrielem Archangelum maxime notare videretur temporum seriem: *animadvertite et intellige... Scito, etc.*

61. *Obj. I.* Edictum, a quo numerandæ sunt hebdomadæ, debet esse tale, ut vi illius facultas data sit, non tantum restaurandi templum; sed etiam urbem, juxta verba angeli: *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*: atqui tale non fuit edictum Cyri. *Prob. min.* Nam in edicto, 1. Esdr. 4. non fit mentio de restauranda urbe; sed solum de templo.

*R. N. min. Ad prob. R. D.* Nec fit mentio in aliis Scripturæ locis, Is. 44. et 45. Jerem. 30. *N.* in cit. L. Esdræ *subd.* Non fit mentio explicita de urbe, sicut de templo *C.* implicita et quoad rem *N.* Sic mentionem implicitam facit Esdras cit. loc. dum inquit: *Ut completeretur verbum Jeremiæ.* Atqui Jeremias non de templo solo, sed de urbe loquitur, et quidem hanc primo loco ponit, nec dicere potuisset Esdras, *ut completeretur*, si Cyrus tantum facultatem dedisset restaurandi templum; sic enim prophetia Jeremiæ verificata fuisset *secundum quid*, non vero *completa*. Unde citati loci Esdræ sensus est: Cyrum præter facultatem restaurandi urbem, dedisse facultatem *etiam* restaurandi templum, ut nimirum *completeretur* verbum Jeremiæ.

62. *Inst. 1.* Nullibi refertur, quando, aut ubi Cyrus dederit facultatem restaurandi urbem ante edictum de restaurando templo.

*R.* Non inde sequitur: ergo non dedit. Nam Cyrum dedisse facultatem illam, quomodocumque, ubi, quomodocumque dederit, nemo sine gravi injuria utriusque prophetæ Isaia et Jeremiæ facile negaverit. Vel igitur abituris



Judæis cum duce Zorobabele viva voce dedit, vel scripto, quod ab Esdra non refertur.

63. *Inst. 2.* Si Cyrus facultatem dedisset restaurandi urbem, hanc æque expressisset in decreto suo, ac facultatem restaurandi templum; illamque æque parum omisisset exprimere Esdras, quam alteram de templo; ergo, cum nec Cyrus illam expresserit, ut videre est in decreto postea Ecbatanis reperto, 1. Esdr. 6., nec Esdras; signum est, quod Cyrus talem non dederit.

R. 1<sup>o</sup>. et *retorq.* contra eos, qui hebdomadas ab anno Artaxerxis Longimani septimo ordiuntur. Si Artaxerxes Longimanus, anno regni sui septimo, Esdræ, 1. Esdr. 7., facultatem dedisset restaurandi urbem, hanc æque expressisset, quam cætera, quæ petierat Esdras, quæque ibid. in specie exprimuntur, illamque æque parum omisisset exprimere Esdras, quam cætera, quæ petierat, et obtinuerat; et multo minus omisisset, quia Esdras ipse res illas petierat; ergo, cum nec Artaxerxes illam expresserit in decreto, quod extat 1. Esdr. 7., nec Esdras; signum est, quod Artaxerxes talem non dederit. Unde argumentum hoc magis apposite contra hanc adversariorum classem movetur, quam contra nos, cum illi nec in libris Esdræ, nec alibi in sacra Scriptura tota explicitum habeant fundamentum concessæ a Longimano anno regni sui septimo facultatis restaurandi urbem, secus ac nos, ut ex Isaia et Jeremia citt. patet.

R. 2<sup>o</sup>. *D. A.* Si par fuisset ratio pro exprimenda explicite facultate urbis, quam templi *C.* vel *T.* ob rationes dandas. Cum par ratio non esset *N.* Cum Cyrus specialiter exprimeret facultatem restaurandi templi, specialis erat ratio, scilicet religio ex parte Cyri, ut se gratum præberet Deo pro obtentis victoriis; accedebat et præceptum Dei. Hanc causam Cyrus statim in edicti sui fronte exprimit, 1. Esdr. 1. v. 2. *Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cæli: et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem.* Hinc ad contestandam hanc gratitudinem inquit in edicto, quod suis illam sumptibus extrui velit: *Sumptus autem de domo regis dabuntur,* 1. Esdr. 6. secus ac pro extruenda urbe; licet et de hac præceptum extaret apud Isaiam cit. Inde etiam est, quod Esdras expresse referat facultatem de restaurando templo, contentus, si facultatem de restauranda urbe exprimeret quoad rem, quia ita fecerat Cyrus.

Porro cum Cyrus juberet Judæos *ascendere in Jerusalem,* 1. Esdr. 1. v. 3. ædificareque ibi domum Dei, idem quoad rem erat, quam dare facultatem simul restaurandæ urbis; neque enim aut verosimile, aut credibile est, Cyrum voluisse, ut templum hoc, quod ipse parabat religionis et gratitudinis causa, ad quod tam liberaliter sumptus decreverat, vasa aurea et argentea quinque millia quadringenta, 1. Esdr. 1. v. 11. dederat, esset in loco deserto, aut Judæos, quibus totus favebat, pœdum mœre degere ibi palantes sine civitate; ergo non erat necesse eandem facultatem explicite ponere.

*Neque dicas:* ex hoc solum sequi, quod occasione templi dederit quidem facultatem, ut ibi habitent sacerdotes, qui offerant sacrificia, aliique adjuutores; non autem ædificandi civitatem cum vallis, muris, politia politica. Nam 1<sup>o</sup>. non solos sacerdotes, horumque ministros voluit ire in Jerusalem, sed quotquot ex Judæis vellent; *quis est in vobis de universo populo ejus...*

*ascendat in Jerusalem,* 1. Esdr. 1. v. 3. 2<sup>o</sup>. De vallis, muris, fossis nihil locutus est angelus Danieli, sed solum de exitu sermonis, ut iterum *ædificetur Jerusalem;* ergo juxta angelum edictum, a quo numerandæ hebdomades, non necessario exigit, ut in ipso exprimat facultas quoad munimenta ejusmodi; sed de his plura inferius. 3<sup>o</sup>. Politiam habuisse Judæos in Jerusalem, hinc patet, quod Judæi Babylone reduces *Zorobabelem ducem* agnoscerent omnes et sequerentur, 1. Esdr. 1. v. 2. Hunc ceu caput et principem populi ante alios alloquitur Aggæus, c. 1. v. 1. c. 2. v. 3.

64. *Inst. 3.* Cyrus 1. Esdr. 6. v. 3. dans facultatem Judæis ædificandi templum, fabricam ita limitat: *Et ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta et latitudinem cubitorum sexaginta: ordines de lapidibus impolitis tres; et sic ordines de lignis novis:* e contra templum a Salomone constructum altum erat cubitis 120. 2. Paral. 3. Unde sic: ratio, cur Cyrus ita limitaret fabricam templi, nec nisi tres ordines ex lapidibus permetteret, erat hæc, ut caveret, ne templum Judæis pro arce servire posset; ergo multo minus facultatem indulsit extruendi urbem, et quidem cum propugnaculis.

R. 1<sup>o</sup>. cum P. Calini, hæc in medio edicti: *Et ut ponant fundamenta, etc.* spectare ad instaurationem urbis et mœnium, eo quod dimensio illa in sensu plano et obvio de templo intelligi non possit; cur enim decreto manco præscriberet rex latitudinem, et omitteret longitudinem? igitur intelligenda de mœnibus; cum murus latus et altus 60. cubitos, solidi munimenti sit, quale Judæi desideraverant. Certe dimensio ista in edicto nullo modo convenit cum dimensione illa templi secundi, quam anno vigesimo captivitatis viderat Ezechiel c. 40. et seqq., quamque annunciare jussus erat Judæis ad hos in captivitate solandos. Ezech. 40. v. 4.

R. 2<sup>o</sup>. Permisso, quod ad templum spectent, N. Cyrum ita limitasse fabricam ex allata ratione; nam quis hanc adversariis revelavit? Ex textu verior hæc causa eruitur: quia Cyrus suis sumptibus decreverat instaurari templum; *sumptus autem de domo regis dabuntur,* 1. Esdr. 6. Si vero Cyrus instaurare templum voluisset in altitudine, latitudine, longitudine ac magnificentia prima, qua illud Salomon extruxerat, sumptus immensos ea fabrica exegisset, vixque totum suffecisset ærarium Cyri.

65. *Inst. 4.* Si Cyrus dedisset facultatem restaurandi urbem; ergo Judæi certe ea usi fuissent: atqui usi non sunt; nullum enim hujus habetur fundamentum; imo contrarium colligitur ex 2. Esdr. 3. ubi recensentur domus primum extractæ post annum Artaxerxis Longimani vigesimum.

R. 1<sup>o</sup>. Si daremus etiam, Judæos hac facultate continuo usos non fuisse quacumque ex causa, sive quod ex studio religionis magis admovent manus ad templi fabricam; sive ob defectum sufficientis apparatus pro templo simul et urbe; nihil inde contra nos; quia adhuc verificabitur propositio angeli, qua dixit *ab exitu sermonis,* h. e. decreti, vi cujus liceat restaurare urbem: non vero *ab executione sermonis.* Sed

R. 2<sup>o</sup>. *N. min. et prob. 1<sup>am</sup>.* Fundamentum enim habetur partim Aggæi 1. partim 1. Esdr. 4. In priore loco Aggæus increpat Judæos, quod neglecta domo Dei, sibi domos construerent: *Numquid tempus vobis est, ut habitetis*



*in domibus laqueatis? Et domus ista deserta? v. 4. Domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam. v. 9. Nec dici potest, quod exstruxerint tantum tuguria et casas; per casas enim et tuguria non intelliguntur domus simpliciter tales; multo minus domus laqueatae. In altero loco a v. 8. Prætores trans-Euphratæi apud Persiæ regem accusabant Judæos, quod urbem ædificarent: Notum sit regi, quia Judæi qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem et pessimam, quam ædificant exstruentes muros ejus, et parietes componentes.*

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. Domus, de quibus cit. loc., ab illis constructæ sunt Judæis, quos Nehemias anno vigesimo Artaxerxis reduxerat; non ab illis, qui jam multo ante, duce Zorobabele, Cyri tempore Jerosolymam redierant, ut constat ex 2. Esdr. 2. et 4.*

*66. Inst. 3. Accusatio illa erat mendax et conficta a Judæorum hostibus; ergo. Prob. A. quia adornata fuit ab his ideo, quod Judæi illos nollent admittere tanquam socios in restaurando templo, ut colligitur ex 1. Esdr. 4. v. 1. et seqq.*

*R. N. A. Unde hoc probabunt adversarii, cum nihil de mendacio referat Esdras, ut alias ipsi facile fuisset, et fecisset probabilius? Interim accusationem eam confictam non fuisse, sane evincunt rationes sequentes: 1<sup>a</sup>. quia accusatio illa, etsi jam Cyri tempore facta fuisset, 1. Esdr. 4. v. 3. in aula Cyri nunquam locum invenit; sed neque apud Cambysen Cyri filium et successorem effectum habuit, quia nimirum sciebat voluntatem patris sui. 2<sup>a</sup>. Si, ex supposito, Judæi non cœpissent restaurare urbem cum muris, cui bono aut malo accusationem hanc adornassent? non nocuisset Judæis, nec profuisset Judæorum hostibus; facile enim eam explosissent Judæi dicendo, se nequaquam restaurare urbem cum muris. 3<sup>a</sup>. Quia, cum eandem accusationem postea detulissent ad Artaxerxem (sic dictum Persis, communi fere apud hos nomine, quod magnum illis bellatorem significat; cæterum idem est cum eo, qui ab Eusebio Smerdes, a Ctesia et aliis Orophastus magnus dicitur, qui se Smerdem esse dixerat Cambysis fratrem) rescripsit rex, quoniam urbs Jerusalem rebellis fuisset; prohiberentur viri isti, ut urbs illa non ædificetur, donec, etc. hoc vero edictum aerem quidem, sed non Judæos feriisset, si hi urbem non ædificassent. 4<sup>a</sup>. Ex modo accusationis; non enim inquit, id Judæos facere sine facultate, uti alias certe dixissent, ut tanto magis reges Judæis infensos redderent; sed tota ratio accusandi erat, quod urbs illa rebellis exstitisset, et dominata finitimis. Eadem quoque ratio regem movit ad prohibendam interim ejus restorationem, 1. Esdr. 4. v. 12. et 19. 5<sup>a</sup>. Quia Judæi, cum hoc ipsis objiceretur, non negabant a se urbem cum muris exstrui, quod alioquin haud dubie ad amoliendam a se rebellionis suspicionem ante omnia fecissent. 6<sup>a</sup>. Quia non sola plebs Samaritana et Cuthæa hoc de Judæis dicebat, sed ministri regii, gubernatores, de quibus præsumi non potest, quod regem maximo suo periculo circumvenire mendaciis voluerint.*

*Inst. 6. Hostes Judæorum decepti fuerant, erronee putantes, ædificari urbem, cum cernerent fundamenta templi, quia hæc valde spatiosa erant.*

*R. 1<sup>o</sup>. Secundum templum non adeo spatiosum fuisse, constat ex Judæorum fletu, 1. Esdr. 3.*

*R. 2<sup>o</sup>. Si sola plebs Samaritana et Cuthæa inspexisset fundamenta templi, concedi forte aliquid adversariis posset; verum, qui oculis suis inspexerant, erant gubernatores, sive prætores iique artis periti, qui facile discernebant inter fundamenta urbis et templi; cum longe alia sit structura integræ urbis, et unius templi.*

*67. Inst. 7. Viri Jerusalem, 2. Esdr. 1. v. 3. renunciarunt Nehemiæ Susis anno vigesimo Artaxerxis Longimani, muros Jerusalem dissipatos esse, et portas combustas; idemque Nehemias ipse testatur, 2. Esdr. 2. v. 13. cum impetrata a rege venia venisset Jerosolymam; ergo Judæi nondum cœperant ædificare urbem; et revera decepti erant Judæorum hostes visis templi fundamentis.*

*R. 1<sup>o</sup>. D. A. Renunciarunt dissipatos muros de novo a Samaritanis aliisque Judæorum hostibus; quos scilicet Judæi e captivitate reduces restaurare cœperant C. muros dissipatos a Nabuchodonosore, quando hic expugnata Jerosolyma, et capto Sedecia muros everti jusserat N. Certe anno Artaxerxis vigesimo non audivit murum dissipatum esse et exustas portas a Nabuchodonosore; id enim sciverat pridem. Igitur sermo est de muris dissipatis de novo, quos Judæi restaurare post captivitatem cœperant. Patet inde amplius, quod ad nuncium istud Nehemias percussus fuerit adeo, ut multis diebus fletet; igitur eo nuncio res nova ei allata fuerit, necesse est; non, quod a pueritia noverat, muros olim a Nabuchodonosore eversos fuisse.*

*R. 2<sup>o</sup>. Permisso etiam gratis Ant. N. Cons. Plus enim non sequeretur, quam muros non fuisse reparatos ex integro, nec portas; quo non obstante potuerunt Judæi ædificare velle muros et portas; sed, cum urgerent opus, continuo fuisse impeditos ab hostibus. Sic etiam ipse Nehemias in restauratione murorum adeo resistentes sibi hostes habuit, ut Judæi armati vacare operi deberent, 2. Esdr. 4. v. 13. Et quidem alterutram ex his responsionibus nobiscum amplecti debent, quotquot vel ab anno secundo Darii Hystaspis, vel ab anno septimo Artaxerxis Longimani ordiuntur hebdomadas. Cæterum responsionis postremæ fundamentum est, quod supra innuimus; videlicet angelum pro signo initii hebdomadarum posuisse concessionem decreti, vel facultatis restaurandi urbem; non vero perfectam decreti executionem.*

*Si dicas cum PETAVIO contra resp. ultimam: Angelum posuisse edictum tale, vi cujus statim urbs fuerit restaurata et perfecta: 1. Quia alias nimis cavillatorie locutus fuisset angelus. 2. Quia dixit: et rursum ædificabitur platea et muri in angustia temporum.*

*R. N. A. et prob.; Nam hoc ipso, quod angelus assignavit decreti concessionem, ab exitu sermonis, jam poterat Daniel numerare hebdomadas.*

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. D. Edificabitur platea et muri statim ab exitu sermonis N. intra illas 70. hebdomadas, tempore ab angelo non determinato C. Plus ex prophetia inferri nequit, ut legenti patebit. Ex his duabus responsionibus elige quam velis.*

*68. Obj. II. EUSEBIUS a Cyro usque ad Alexandrum M. numerat reges Persiæ 14., iisque annos tribuit 321.; ergo, si a Cyro ducatur hebdomadarum*



inilium, multo ante Christum tempore hebdomadæ jam completæ fuissent. *Prob. Cons.* Nam juxta illos, qui a Cyro ordiuntur hebdomadas, plus multo temporis fuit ab Alexandri M. victoria usque ad Christum, quam a Cyro usque ad Alexandrum; ergo cum jam a Cyro ad Alexandrum M. fluxerint anni 231., et hebdomadæ LXX. faciant annos 490., inque hebdomadis ultimæ dimidio, h. e., anno 486. mortuus sit Christus, necesse est, completas ante fuisse hebdomadas.

R. 1<sup>o</sup>. Herodotus, Ctesias, Trogus Pompeius, etc. longe pauciores reges numerant, aliqui tantum octo, iisque annos tribuunt longe pauciores.

R. 2<sup>o</sup>. D. A. Eusebius numerat tot reges erronee C. secus N. Nimirum plures reges intrusit, eorumque auxit annos. Sic intrusit *Artabanum, Xerxem II, Sogdianum, Arsetem*, cum vario annorum errore; nam relati ante auctores aiunt, hos fuisse duntaxat belli duces, nunquam reges. Item sic male divisit *Ochum Mnemonem* cum duplici annorum computo, cum fuerit unus idemque: nam teste Trogo, et Justino L. 10. c. 3. Ocho immediate successit Darius Codomannus. Sic quoque Eusebius *Dario Notho* tribuit annos 19. cum idem Justinus loco cit. et Trogus affirmant, Darium Nothum factum quidem regem, sed vivo adhucdum patre occisum. *Si jam quaeris*, cur horum potius scriptorum moveamur auctoritate, quam Eusebii? R. Quia propius accedunt S. Scripturæ. Vid. n. 38.

69. *Obj. III.* Huic sententiæ repugnat chronologia Olympiadum; ergo. *Prob. A. 1<sup>o</sup>.* Ut refert Eusebius ex Julio Africano, annus primus Cyri, regni ejus Persici, coincidit cum anno primo Olympiadis 55.; si ergo hebdomades controversas ordiaris a Cyro, baptismus Christi incidet in Olympiadem 177.: atqui juxta communem correspondet Olympiadi 202. 2<sup>o</sup>. Themistocles Atheniensium dux, teste Thucydide scriptore regibus Persicis cœvo, transiit ad Xerxem, datis ante ad Artaxerxem litteris; hicque transitus juxta Diodorum Siculum contigit Olympiade 77. h. e. anno octogesimo octavo, post annum primum Cyri: atqui in nostra sententia ab anno primo Cyri usque ad annum Artaxerxis Longimani vigesimum longe pauciores, necesse est, sint anni; et quidem a P. Calini tantum 49. numerantur.

R. N. *supp. Ant.* Scilicet posse ex chronologia Olympiadum ante Alexandrum M. peti solidum argumentum; quia ut ex illa probari aliquid posset, deberet nobis constare applicatio eventuum ad Olympiadas, e. g. initium Cyri ut Olympiadibus applicatum, h. e. prius constare deberet, quo anno regnare cœperit Cyrus in Persia, quam dicatur eum hac vel illa Olympiade regnasse. 2<sup>o</sup>. Ipse Olympiadis primæ character constare deberet: atqui neutrum constat: non 1<sup>um</sup>., ut patet ex dissensione illa auctorum veterum; qui proinde sicut in numero regum Persiæ, ac in numero annorum, quibus regnarunt singuli, variant; sic consequenter necessario variant in determinando anno Olympiastico, quo quilibet regnavit; et modo augere, modo minuire Olympiades pro majori, vel minori numero regum et annorum, quem sibi scriptor aliquis statuerat, necesse habuit. Non 2<sup>um</sup>., quia iterum non constat, a quo eventu prima Olympias initium sumpserit. Demus quod, ut vult Scaliger ex Ephoro, prima Olympias initium habuerit post Trojæ excidium annis 405. vel ut alii 406. vel ut Diodorus et Clemens 407.

vel ut Dionysius 408.; etc., quia tamen nihil incertius, quam in quod tempus Trojæ excidium incidit, sic consequenter nihil recti erui ex Olympiadibus pro eo tempore potest. Imo Varro et Censorinus totum Trojanum bellum inter fabulas numerant poetarum.

Addo palmare exemplum; in quo quilibet videat, quam parum certi quid habeatur ex chronologia Olympiadum. Queritur, quo anno Roma sit condita? Respondet Timæus: 35. annis ante Olympiadem primam, Cinnius anno 4. Olympiadis 12., Polybius et Diodorus anno 2. Olymp. 7., Catullus, Cornelius Nepos, Dionysius Halicarnassensis ejusd. Olymp. anno 1., Livius ejusd. Olymp. anno 4., Varro, Plinius anno 4. Olymp. 6., etc. Et quis jam definit, quo anno Olympiastico regnare cœperit Cyrus in Persia?

*Dices*: Sed hoc testatur EUSEBIUS ex Julio Africano qui fuit accuratissimus explanator temporum: item, Thucydides adhuc obstat scriptor cœvus regibus Persiæ.

R. 1<sup>o</sup>. Si ita moveantur fide et auctoritate Eusebii citantis Julium Africanum (nam ipsa Julii Africani scripta non extant; sed id unice ab Eusebii citantis auctoritate didicerunt adversarii) cur ergo cum eodem Eusebio consequenter hebdomadas non finiunt in Joanne Machabæo?

R. 2<sup>o</sup>. Si etiam Julius Africanus ita scripsisset, ut refertur ab Eusebio, nihil officit; scripsit enim post Christi tempora, proin majorem hac in re auctoritatem non obtinet, quam prisca illi scriptores, quos sequi necesse habuit, et quia ex discordibus illis scriptoribus de regibus Persiæ eos delegisse videtur, qui hos numero et annis multiplicant, addendo pro se annos Olympiasticos, annum primum Cyri Olympiadi 55. affixit. Quoad Thucydidem: ille quidem transitum refert Themistoclis, sed sine anno Olympiastico, quem primum Diodorus Siculus multis seculis posterior addidit, prout hoc chronologiæ suæ, cui repugnant alii, videbatur congruere.

Nimirum sicut chronographi nostri, stabilito primum Christi anno natali, tanquam cardine omnis systematis chronologici, sacræ historiæ eventus affigunt 194. Olympiadibus, et has eventibus retrogrado computu; sic et scriptores illi fecerunt, posito sui chronologici systematis fundamento, ascendendo per Olympiades usque ad Olympiadem primam, alligando eventibus Olympiades, et Olympiadibus eventus.

70. Hinc facile perspicitur, 1<sup>o</sup>. nimis incertum esse et lubricum fundamentum, quod pro explicandis LXX. hebdomadis ex Olympiadibus repetunt adversarii. 2<sup>o</sup>. Æque parum tutum haberi vestigium in auctoritate profana scriptorum veterum, quod et P. SCHWARTZ Coll. Hist. part. 1. q. 21. in fine, se propria testatur hausisse experientia, cum celebriores chronologos ipse evolvisset, ex veterum historicorum testimoniis, temporum characteribus discordantibus, tam sibi oppositis, tam sæpe falsis, tam sæpe nimium dubiis ac incertis determinantes monarchiæ Persiæ chronotaxin. 3<sup>o</sup>. Proin priorem hebdomadarum partem non posse aut planius, aut contra Judæum efficacius determinari, quam ex Scriptura sacra, ut supra diximus; quod sola hæc nostra sententia præ cæteris singulare habet, utpote Scripturæ divinæ satis concordans, quod elogium eidem præ aliis tribuit P. SCHWARTZ cit. ut eidem subscripsisset, nisi sola eum novitas detinuisset. Quanquam



non adeo nova dici possit, cum ea plures ante tenuisse referat CORNEL. A LAPIDE hic, inter quos ipse CLEM. ALEXANDRIN.

Ut verò dicta hactenus melius intelligantur, brevem hebdomadarum distributionem subjicimus.

## HEBDOMADARUM DANIELIS CHRONOLOGICA DISTRIBUTIO.

Ab anno primo Cyri, quo Judæi ex captivitate Babylonica reversi, usque ad annum vigesimum Artaxerxis II. sive Longimani. . . . .	An. 49.
Inde ad initium regni Alexandri M. in Græcia. . . . .	68.
Hinc ad mortem Darii Codomanni, regis illius opulenti, Dan. 10. ab Alexandro devicti. . . . .	6.
A morte Darii ad mortem Alexandri M. . . . .	6.
Quia 1. Mach. 1. v. 8. dicitur: et regnavit Alexander annis duodecim, et mortuus est; h. e. annis sex in Macedonia, juxta illud 1. Mach. 1. ubi dicitur, post sex annos egressus de terra Cethim, i. e. Macedonia, teste Epiphonio hæc. 30. et percussisse Darium: deinde sex annis in Asia.	
A morte Alexandri M. ad initium æræ Græcæ, sive Seleucidarum. . . . .	12.
Exinde ad mortem Simonis Machabæi in Doch occisi, juxta 1. Mach. ult. v. 14. 15. et 16. . . . .	178.
Hic finitur Historia sacra.	
A morte Simonis ad Christum natum. . . . .	134.
A nativitate Christi ad ejus mortem, quæ contigit anno ætatis ejus trigesimo quarto inchoato, proinde anni, sed non completi. . . . .	34.
Summa	487.

Quod est dimidium hebdomadæ ultimæ. Proinde mors Christi in hac sententia incidit in annum Olympiadicum 808., h. e. annum quartum Olympiadis 202. Nativitas vero in 776. h. e., annum quartum Olympiadis 194., ut vult sententia communis.

## ARTICULUS III.

IDEM MESSIE ADVENTUS EX EVERSIONE TEMPLI SECUNDI AMPLIUS JUDÆIS OSTENDITUR, ARGUMENTO PETITO EX AGGÆO ET MALACHIA PROPHEtis.

Cum visa templi secundi, quod duce Zorobabele, et Jesu Josedechi filio, soluta a Cyro captivitate Babylonica, restaurare cœperant Judæi, 1. Esdr. 3. angustia et paupertate, flerent Judæorum seniores, qui templi primi Salomonici magnificentiam et opulentiam viderant; Deus solaturus populum, et incitaturus, ut inceptæ fabricæ insistat, per Aggæum prænuñciat prærogativas templi secundi præ primo, quod ad secundum templum Messias ipse venturus esset, his Aggæi cap. 2. verbis: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel: confortare Jesu filii Josedec, Sacerdos magne, et confortare*

*omnis populus terræ... Quia hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria... Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ: ... et in loco isto dabo pacem.*

Malachiæ vero prophelarum ultimi c. 3. *Ecce ego, inquit Dominus, mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos queritis; et angelus testamenti, quem vos vultis.*

71. Dico. Ex utroque vaticinio Messiam pridem advenisse evidenter evincitur.

Prob. Vi utriusque vaticinii Messias ad templum secundum venire debuit; ergo stante adhuc templo secundo. Subs. Atqui templum secundum pridem a Tito, sub Vespasiano Augusto, funditus eversum est; ergo etiam pridem et ante factam a Tito eversionem Messias advenit.

Prob. Ant. quoad 1<sup>am</sup>. Qui in templum venturus hic prænuñciatur, Messias est; quia solus Messias dici proprie potest *desideratus cunctis gentibus*; sicque vocatur Gen. 49. v. 10. Nec obstat, quod paulo aliter legatur in hebraico, et apud LXX.; in hebraico: *veniet desiderium cunctæ gentes*; apud LXX. *veniet electa omnium gentium*; non enim lectiones illæ differunt a Vulgata latina quoad sensum; nam in hebraico in verbo *bau* est enallage numeri, hebræis perquam familiaris; dum verbum duobus additum substantivis, quorum unum regitur ab altero, ut fit in allato vaticinii textu, convenit cum posteriore: exempla habes Gen. 4. v. 10. *Vox sanguinum fratris tui clamant ad me.* Job. 15. v. 20., etc. Sicque in hebraico sensus est: *veniet desiderium cunctarum gentium, quod idem est, ac si diceret: veniet desideratus cunctis gentibus.* Apud LXX. vero *τὸ electa* idem est, ac desideria; recte autem Messias sic dicitur *gentium desideria*, quia hic completurus erat earum desideria. Deinde solus Messias perfecte promissam illam *pacem*, scilicet Deum inter et homines dare poterat. Item ab illo solo major templi secundi gloria desumi potuit, cum quoad cætera templo Salomonico esset longe inferius. Demum quem Judæi antonomastice *querebant, volebant*, solus Messias fuit.

Prob. Ant. quoad 2<sup>am</sup>. scilicet Messiam venturum prædici ad templum secundum. Nam 1<sup>o</sup>. hoc patet ex particula demonstrativa *istam*; implebo *domum istam gloria*; et ne esset ulla aliter interpretandi libertas, in hebraico energice ponitur, *hanc istam*. 2<sup>o</sup>. De illo templo hic sermo est, quod respectu primi Salomonici multo erat vilis et angustius, ut flerent etiam Judæorum seniores, 1. Esdr. 3.; ad quorum proinde erigendos animos Aggæus a Deo missus; sed templum hoc erat templum secundum post captivitatem Babylonicam sub duce Zorobabele restaurari cœptum. 3<sup>o</sup>. Quia Aggæus quidem ait, hæc a se prædicta post *modicum* eventura: *adhuc unum modicum, etc.* Malachias vero *statim* venturum: *et statim veniet*; si autem de templo alio, post secundi destructionem futuro, sermo esset, falso uterque locutus fuisset, cum jam ultra 17. secula destructum sit templum secundum, quin spes ulla affulgeat a longe, excitandi templi tertii; imo hoc nunquam futurum sit juxta Dan. 9. *Usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Hinc corrui Abarbanellæ Judæi recentioris interpretatio, vaticinium allatum de templo tertio explicare conantis.



non adeo nova dici possit, cum ea plures ante tenuisse referat CORNEL. A LAPIDE hic, inter quos ipse CLEM. ALEXANDRIN.

Ut verò dicta hactenus melius intelligantur, brevem hebdomadarum distributionem subjicimus.

## HEBDOMADARUM DANIELIS CHRONOLOGICA DISTRIBUTIO.

Ab anno primo Cyri, quo Judæi ex captivitate Babylonica reversi, usque ad annum vigesimum Artaxerxis II. sive Longimani. . . . .	An. 49.
Inde ad initium regni Alexandri M. in Græcia. . . . .	68.
Hinc ad mortem Darii Codomanni, regis illius opulenti, Dan. 10. ab Alexandro devicti. . . . .	6.
A morte Darii ad mortem Alexandri M. . . . .	6.
Quia 1. Mach. 1. v. 8. dicitur: et regnavit Alexander annis duodecim, et mortuus est; h. e. annis sex in Macedonia, juxta illud 1. Mach. 1. ubi dicitur, post sex annos egressus de terra Cethim, i. e. Macedonia, teste Epiphonio hæc. 30. et percussisse Darium: deinde sex annis in Asia.	
A morte Alexandri M. ad initium æræ Græcæ, sive Seleucidarum. 12.	
Exinde ad mortem Simonis Machabæi in Doch occisi, juxta 1. Mach. ult. v. 14. 15. et 16. . . . .	178.
Hic finitur Historia sacra.	
A morte Simonis ad Christum natum. . . . .	134.
A nativitate Christi ad ejus mortem, quæ contigit anno ætatis ejus trigesimo quarto inchoato, proinde anni, sed non completi. . . . .	34.
Summa	487.

Quod est dimidium hebdomadæ ultimæ. Proinde mors Christi in hac sententia incidit in annum Olympiadicum 808., h. e. annum quartum Olympiadis 202. Nativitas vero in 776. h. e., annum quartum Olympiadis 194., ut vult sententia communis.

## ARTICULUS III.

IDEM MESSIE ADVENTUS EX EVERSIONE TEMPLI SECUNDI AMPLIUS JUDÆIS OSTENDITUR, ARGUMENTO PETITO EX AGGÆO ET MALACHIA PROPHEtis.

Cum visa templi secundi, quod duce Zorobabele, et Jesu Josedechi filio, soluta a Cyro captivitate Babylonica, restaurare cœperant Judæi, 1. Esdr. 3. angustia et paupertate, flerent Judæorum seniores, qui templi primi Salomonici magnificentiam et opulentiam viderant; Deus solaturus populum, et incitaturus, ut inceptæ fabricæ insistat, per Aggæum prænuñciat prærogativas templi secundi præ primo, quod ad secundum templum Messias ipse venturus esset, his Aggæi cap. 2. verbis: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel: confortare Jesu fili Josedec, Sacerdos magne, et confortare*

*omnis populus terræ... Quia hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria... Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ: ... et in loco isto dabo pacem.*

Malachiæ vero prophelarum ultimi c. 3. *Ecce ego, inquit Dominus, mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos queritis; et angelus testamenti, quem vos vultis.*

71. Dico. Ex utroque vaticinio Messiam pridem advenisse evidenter evincitur.

Prob. Vi utriusque vaticinii Messias ad templum secundum venire debuit; ergo stante adhuc templo secundo. Subs. Atqui templum secundum pridem a Tito, sub Vespasiano Augusto, funditus eversum est; ergo etiam pridem et ante factam a Tito eversionem Messias advenit.

Prob. Ant. quoad 1<sup>am</sup>. Qui in templum venturus hic prænuñciatur, Messias est; quia solus Messias dici proprie potest *desideratus cunctis gentibus*; sicque vocatur Gen. 49. v. 10. Nec obstat, quod paulo aliter legatur in hebraico, et apud LXX.; in hebraico: *veniet desiderium cunctæ gentes*; apud LXX. *veniet electa omnium gentium*; non enim lectiones illæ differunt a Vulgata latina quoad sensum; nam in hebraico in verbo *bau* est enallage numeri, hebræis perquam familiaris; dum verbum duobus additum substantivis, quorum unum regitur ab altero, ut fit in allato vaticinii textu, convenit cum posteriore: exempla habes Gen. 4. v. 10. *Vox sanguinum fratris tui clamant ad me.* Job. 15. v. 20., etc. Sicque in hebraico sensus est: *veniet desiderium cunctarum gentium, quod idem est, ac si diceret: veniet desideratus cunctis gentibus.* Apud LXX. vero *τὸ electa* idem est, ac desideria; recte autem Messias sic dicitur *gentium desideria*, quia hic completurus erat earum desideria. Deinde solus Messias perfecte promissam illam *pacem*, scilicet Deum inter et homines dare poterat. Item ab illo solo major templi secundi gloria desumi potuit, cum quoad cætera templo Salomonico esset longe inferius. Demum quem Judæi antonomastice *querebant, volebant*, solus Messias fuit.

Prob. Ant. quoad 2<sup>am</sup>. scilicet Messiam venturum prædici ad templum secundum. Nam 1<sup>o</sup>. hoc patet ex particula demonstrativa *istam*; implebo *domum istam gloria*; et ne esset ulla aliter interpretandi libertas, in hebraico energice ponitur, *hanc istam*. 2<sup>o</sup>. De illo templo hic sermo est, quod respectu primi Salomonici multo erat vilis et angustius, ut flerent etiam Judæorum seniores, 1. Esdr. 3.; ad quorum proinde erigendos animos Aggæus a Deo missus; sed templum hoc erat templum secundum post captivitatem Babylonicam sub duce Zorobabele restaurari cœptum. 3<sup>o</sup>. Quia Aggæus quidem ait, hæc a se prædicta post *modicum* eventura: *adhuc unum modicum, etc.* Malachias vero *statim* venturum: *et statim veniet*; si autem de templo alio, post secundi destructionem futuro, sermo esset, falso uterque locutus fuisset, cum jam ultra 17. secula destructum sit templum secundum, quin spes ulla affulgeat a longe, excitandi templi tertii; imo hoc nunquam futurum sit juxta Dan. 9. *Usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Hinc corrui Abarbanellæ Judæi recentioris interpretatio, vaticinium allatum de templo tertio explicare conantis.



72. *Obj. I.* Vaticinium Aggæi intelligi potest de Herode Ascalonita; quia 1<sup>o</sup>. sub eo Deus adeo commovit terram, ut decem omnino hominum millia oppressa fuerint, teste Josepho L. 15. Antiq. Jud. c. 7. 2<sup>o</sup>. Quia hic templum a Zorobabele constructum diruit, novumque extruxit; vel certe ita ampliavit secundum, et ornavit, ut eodem Josepho teste L. 15. c. 14. Antiq. splendore antecelleret Salomonico.

R. N. A. Quia, qui in templum venturus prænuuntiat, dicitur *cunctis desideratus gentibus*; sed hic Herodes Ascalonita non fuit; neque *testamenti angelus*, quod Malachias exigit. Hinc

*Ad prob. 1<sup>am</sup>. N. Cons.* Deinde non de terræ aliquo motu duntaxat Propheta loquitur, sed et de commotione *cæli, maris, omniumque gentium*, qualis in illo terræ motu non fuit.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* Non diruit Zorobabelis templum Herodes, sed tantum, teste Josepho cit., antiquis fundamentis reliquis e templo Salomonico solutis nova imposuit; imo, teste eodem, L. 20. c. 8. porticus Salomonis intacta permansit. Porro templum ab Herode ampliatur splendore superasse Salomonicum vel oratoria hyperbole, vel adulatio fuit; patet inde: 1<sup>o</sup>. ex apparatu ad templum Salomonis adhibito, ad quod David bis mille quadringentos francorum aureorum miliones reliquerat Salomoni; tantam enim summam faciunt talenta illa 1. Paralip. 22.; præter ea, quæ Salomon ipse addidit, quibus omnes Herodis divitiæ comparari nequeunt, qui regni Judaici tantum partem precario tenebat; imo, teste ipsomet Josepho L. 20. Antiquit. c. 8. Herodes a Judæis rogatus, ut porticum Salomonis orientalem pariter restauraret, recusavit, quod fabrica illa pecunias plurimas exposceret. 2<sup>o</sup>. Sic Josephus idem L. 19. Antiq. c. 14. ait, regiam Herodis domum templo Salomonico fuisse augustiorem; sed hoc ne Judæorum quidem unus affirmare ausus.

73. *Obj. II.* cum Abarbanella Judæo recentiore. Accentus non sunt cœvi, nec primigenio cum hebræo idiomate nati, sed additi aliquot post Christum seculis; ergo vel plane detrahi, vel substitui possunt alii; proinde versus decimus sic interpungi, ut de tertio templo possit intelligi; velut: *magna erit gloria domus istius secunda*, quam nunc Judæi ædificatis. Deinde v. 10. *magna erit gloria domus istius novissimæ*, sive tertiæ, *plus quam primæ*.

R. Licet accentus hebraico idiomati cœvi non sint; non tamen idcirco pro cuiusvis arbitrio detrahi et mutari possunt, cum a Rabbis antiquioribus additi sint, qui, quomodo legendum esset, ex tradita a majoribus doctrina acceperant. Deinde N. quod præsens textus interpungi possit, ut Abarbanella vult; 1<sup>o</sup>. quia hæc interpunctio repugnat textui chaldaico, græco, et antiquis Rabbis. 2<sup>o</sup>. Quia contraria est textui hebraico ipsi; nam in hebraico non repetitur, *magna erit gloria*, uti repeti deberet cum particulis *et*, vel *item*, vel *sed*, vel simili; ergo hanc repetitionem ex suo cerebello Abarbanella confinxit. 3<sup>o</sup>. Quia Deus vult solari Zorobabelem, ut constat ex præcedentibus, quod domus, quam exstruebat ipse, gloriosior futura esset, quam prima, *et quid vos videtis hanc nunc?* v. 4. Ergo sermo est de domo secunda, non tertia post Zorobabelem ab alio exstruenda.

74. *Obj. III.* Major templi secundi gloria deduci potest inde: 1<sup>o</sup>. quod ad

illud pervenerint majores divitiæ, ornamenta et munera; vel 2<sup>o</sup>. quod diutius steterit, quam primum; ergo.

R. N. A. quoad utrumque. *Quoad 1<sup>am</sup>.* quia qualiacumque sint munera, quæ Cyrus, Darius, Artaxerxes, reges Persiæ, et postea Herodes, aliive principes in templum intulerint; nunquam æquare poterunt templi Salomonici opes; imo quidquid pretiosi illatum erat templo sive a regibus Persiæ, sive aliis, abstulit Antiochus, 1. Machab. 1. v. 23. 24. Deinde in templo Salomonico præter immensas opes erant arca fœderis, virga Aaron, præsentia Dei in propitiatorio, urim et tummim, ignis perpetuus, quorum nihil in templo secundo fuit. Denique Deus ipse declarat, se templi secundi gloriam non ab auro et argento repetere; quia 1<sup>o</sup>. propter hæc volebat commovere cælum, terram, mare, et aridam, omnes gentes, sed propter Messiam: *et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus*. 2<sup>o</sup>. Quia v. 9. ait: *Meum est argentum, meum est aurum*. Si enim contextus sumatur, hic sensus est, possem ornare templum istud opibus præ Salomonico; meum est enim argentum et aurum; sed ornabo illud Messiæ adventu, juxta antecedentia; *veniet desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloria*, nimirum *desiderati* illius præsentia.

*Quoad 2<sup>am</sup>.* Elsi diutius steterit templum secundum, non tamen declarat Deus, quod inde majorem illius gloriam repetat. Dein sæpius profanatum fuit ab Antiocho 1. Mach. 1., a Romanis, Pompeio, Cassio, teste Josepho L. 14. c. 8. 13.

*Obj. IV.* Cum veniet ille *desideratus*, commovebit Deus *cælum, terram, mare et aridam, et omnes gentes*. Sed hæc in ortu Jesu Nazareni non evenerunt; ergo hic saltem dici Messias nequit.

R. N. min. Sed singula hæc sub Jesu Nazareni, veri Christi, nati tempora evenerunt. Nam commovit Deus *cælum*, multitudine angelorum canentium ortumque ejus pastoribus nuntiantium, Luc. 2. Stella apparente Magis, Matth. 2. Dein totum mundum adeoque terram, mare et aridam, omnesque gentes commovit Deus in descriptione *orbis universi* ex imperio Cæsaris Augusti, Luc. 2., populis singulis terra marique suas ad urbes, vel provincias, quibus accensiti erant, tendentibus. Prodigia alia, quæ cælo et terra evenisse dicuntur, referunt Eusebius in Chronico, Orosius L. 6. c. 18. et 20: item L. 7. ex Dione, aliique varia. Verum cum ex his prodigiis a scriptoribus Christianis complura rejiciantur ut supposititia, alia dubiæ fidei sint, rem Christianam contra Judæos non multum promovébunt. Sed neque his indigemus, cum ante allata sufficiant.

## ARTICULUS IV.

MESSIAM ILLUM, QUI PRIDEM ADVENT, ESSE JESUM NAZARENUM VIRGINIS MARIE FILIUM A JUDÆIS CRUCIFIXUM OSTENDITUR.

Messiam advenisse pridem cum prophetiæ omnes, quibus ejus prænuuntiat adventus, impletæ evidentius clament, quam ut negari salva ratione possit; Judæorum varii, ne Jesum Nazarenum Messiam esse fateri cogantur, ad fabulas et deliria confugerunt. Messiam suum natum in die destructionis



templi, nondum tamen apparuisse dicunt *L. Berachot Hierosolymit.* Distinct. *Hajah.* Idem in prima *Bereschit Rabba*, legere est, diverso tamen modo, quia nunquam sibi constant mendacia; additurque, Messiam illum natum fuisse cruentatum sanguine ob ruinam sanctuarii; sed flantibus ventis deportatum ad mare magnum, ubi lateat quadringentis annis, et octoginta in ascensu fumi apud filios Core, et octoginta in portis Romæ, et dein revertetur. In *L. Sanhedrin Dist. Chelock* ad quæstionem, quid faciat Messias in porta Romæ? respondetur: *Sedet inter pauperes, patientes infirmitates, sive leprosos.* Verum dum infelices fictitium Messiam suum hactenus frustra quæsiverunt in fumo apud filios Core, interque leprosos Romæ, nos modo Messiam verum illis in sacrarum Scripturarum luce monstrare conabimur, juxta Christi monitum olim datum perfidis, Joan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Igitur

75. *Dico.* Messias qui in veteri lege promissus, jamque pridem advenit, est Jesus Nazareus, Mariæ Virginis filius, a Judæis crucifixus.

*Prob.* Quia in hoc solo impleta sunt omnia, quæ in vero Messia implenda prophetæ prænunciarunt. Ex his alia sunt, quæ ortum Messiae antecedere, alia, quæ comitari, alia, quæ subsequi oportuit: singula vero in Jesu Nazareno fuisse adimpleta nunc ostenditur.

ANTECEDENTIA ET COMITANTIA. Et quidem 1º. *nasci* debuit *ablato* ante *sceptro* a Juda, ut prophetia Jacobi patriarchæ vult, Gen. 49. Ante lapsas LXX. hebdomadas Danielis, in quarum ultimæ dimidio occidendum prædixerat Danieli Gabriel archangelus, Dan. 9. Utrumque vaticinium in Jesu Nazareno perfecte impletum fuisse, dant Articuli priores.

2º. *Ortum* trahere debuit *ex stirpe Abraham*, Gen. 12. v. 3., c. 22. v. 18., c. 28. v. 14. Descendere ex Davide, Is. 11. v. 10. *In die illa, radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.* Item Ps. 88. v. 4. Quod Judæi ipsi affirmabant, tum interroganti eos de Messia Christo, cujus filius esset Messias, sine cunctatione respondebant: *David.* Matth. 22. v. 42. Sed Jesum ex stirpe Abraham esse cjus Virgo mater, Luc. 1. 55. insinuat: ex progenie Davidis esse, clamant cæci, Matth. 9. v. 27. *Miserere nostri, fili David!* turbæ, Matth. 12. v. 20. *Numquid hic est filius David?* Chananaea, Matth. 15. v. 22. *Domine, fili David! turba plurima ipsa in urbe Jerosolyma et templo: Hosanna filio David!*

3º. *Nasci* debuit in *Bethlehem* juxta Mich. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata... ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* At Jesum nostrum natum esse in Bethlehem testatur Matth. c. 2. v. 1. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda.*

4º. *Nasci* Messias debuit *ex Virgine*, Is. 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Id impletum in Jesu nostro legimus Matth. 1. v. 18.

*Dicunt* equidem *Judæi* τὸ *halma* non præcise significare virginem, sed simpliciter puellam, seu juvenulam ætate, sive dein adhuc virgo sit, sive non. Sed contra est, 1. quod vox *halma*, quæ derivatur a *latendo*, *halam*, virginem nunquam a viro cognitam, semper in hebraico importet. Sic Gen. 24. v. 42. dicitur de Rebecca, nondum adhuc experta virum. Exod. 2. v. 8. de

sorore Moysis adhuc virgine. Ps. 67. v. 16. de virginibus illibatis, etc. 2. Sic vocem hanc interpretantur versio chaldaica, sive paraphrasæ Chaldaei Onkelos et Jonathan, summæ apud Judæos auctoritatis: LXX. Interpretes idiomatis hebraici peritissimi, qui clare sic reddunt; ἰδοὺ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱόν. 3. Quia Isaias eo loco, ut spem regis Achaz omnipotentiae divinæ intuitu erigat, miraculum promittit maximum; et tanquam insolitum subjicit, futurum scilicet, ut *virgo concipiat, et pariat filium*: Sed si per τὸ *halma* significare voluisset juvenulam duntaxat ætate, quæ experta virum conciperet, quid in eo novi, nedum prodigii insoliti dixisset?

5º. Messiam *præcedere* debuit, qui pararet vias ejus, Malach. 3. v. 1. *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos vultis.* Id S. Joannes Baptista præstitit, Matth. 2., Luc. 1. Messiae nomen futurum prædicatur *Jesus*, i. e. Salvator, Is. 12. 51. 62., etc. Item: *Emmanuel* Is. 7. Sed hoc Christi nomen fuit, Matth. 1. Luc. 1. Quin in titulo crucis legebatur: *Jesus Nazareus.*

6º. Omne morborum genus prædicatur *sanaturus*, patrando miracula, Is. 35. v. 4. 5. *Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Hæc autem præstitisse Christum, testantur Evangelistæ passim; similibusque aliis plena est historia Evangelica. Quin cum miraculorum ejus evidentiae oblectari non possent Judæi, arti illa diabolica tribuebant.

7º. Futuram Messiae *passionem et mortem* quoad singulas circumstantias tam distincte prænuntiaverunt Prophetæ, ac si adfuissent oculati testes. Consilium principum, sacerdotum et seniorum de perdendo Christo, et causam odii prædicit Sapiens c. 2., David Ps. 2. *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Vendendum triginta argenteis, iisque emendum agrum figuli, Zacharias c. 11. v. 12. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos; et dixit Dominus ad me: projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appetitus sum ab eis.* Conspnendum, cædendum in faciem, Jeremias Thren. 3. v. 30. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Isaias c. 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Flagellandum, et accusandum a falsis testibus, David Ps. 128. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Ps. 26. *Insurrexerunt in me testes iniqui.* Divisionem vestimentorum, Ps. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Felle et aceto potandum, Ps. 68. *Bederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Perforationem manuum et crucifixionem, Zacch. c. 13. v. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? et dicit: his plagatus sum in domo eorum, qui diligeant me.* c. 12 v. 10. *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Cætera opprobria, dolores, circumstantias, David Ps. 21., Isaias c. 53. prædixerant. Quæ vaticinia in Domino Jesu nostro ad apicem impleta fuisse, testes non solum libri Evangelistarum sunt, sed et ipsa urbs Jerosolyma, in cujus illa oculis evenerunt.

8º. Occisus Messias *resurgere* a mortuis debuit juxta Ps. 13. v. 10. *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corru-*



tionem. Quæ non alium, quam Messiam attinent; hic enim *Sanctus Dei* antonomastice dicitur; sicut Dan. 9. *Sanctus Sanctorum*. Certe de Davide intelligi non possunt, ut volunt Rabbinii recentiores; David enim defunctus corruptionem vidit, h. e. expertus est. Unde et Petrus Act. 2. v. 31. Paulus Act. 13. v. 35. hoc Davidis vaticinio sine metu contra Judæos usi. Deinde etsi permittatur Judæis, antecedentia in Ps. cit. Davidem de se ipso loqui; non tamen hoc de contextu subsequenti dici potest, ipso hoc indicante Davide, cum in antecedentibus fere loquatur in præterito, postea vero a v. 40. ut propheta in futuro. Jam vero Christum nostrum die tertio, velut ipse prædixerat, Matth. 12. v. 40., resurrexisse a mortuis referunt Evangelistæ uniformiter omnes: Apostoli prædicabant palam ubique, et coram principibus iisdem, qui Jesum condemnaverant, Act. 3. v. 13., Act. 4. v. 10.; quin ab his falsitatis redargui potuissent; aut haberent, quod Petro contradicerent, Act. 4. v. 13. 14.

9°. Demum *ascensionem* Christi prædixit David Ps. 67. v. 19. *Ascendisti in altum: cepisti captivitatem*. Ps. 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis. Missionem Spiritus sancti*, Joel c. 2. v. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filie vestrae*. Cum his vero confer, quæ de Christo nostro refert historia Evangelica Matth. ult., Item Marc., Luc. Act. 1. v. 9. Act. 2. etc.

## ARTICULUS V.

EX SIGNIS ET VATICINIIS ALIIS JESUM NAZARENUM ESSE VERUM MESSIAM IN LEGE PROMISSUM OSTENDITUR.

Hic illa comprehendimus, quæ ex Messiaæ adventu subsecutera præannuntiarunt Prophetae, e quibus cum alii varia, ut illustriss. HUETIUS in demonstr. Evang., noster THYRSUS GONZALEZ in Manud.; nos duntaxat sequentia magis efficacia delibamus.

76. 1<sup>um</sup>. est, Mosaicæ legis et fœderis rescissio; e contra legis novæ et novi pacti institutio. Disertis verbis utrumque a Jeremia prædictum c. 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Egypti: pactum, quod irritum fecerunt... Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*. Hinc primo conficitur, pacto et legi veteri revera subrogari debere legem novam cum pacto novo; proin cum alibi fœdus Mosaicum vocetur *legitimum sempiternum*, vel dicatur *æternum*; non posse hoc intelligi de æternitate absoluta, sed certa duratione temporis, ut amplius dicetur in *object*. Cæterum, qui potestate polleat abrogandi legem antiquam, et condendi novam, non alius esse quam Messias potest; is enim solus ex Rabbinorum veterum tum recentiorum consensu, cum venerit, toti mundo dominabitur, huic dando leges, juxta illud Ps. 71. *Adorabunt eum omnes reges terræ, et omnes gentes servient ei*. Et quod Isaias c. 33. de Messia dixit:

*Dominus Legifer noster*. Proin solum inquirendum, an immutatio illa jam e venerit, Jesum Nazarenum D. N. subsecuta? hic enim cardo vertitur, Judæis pro lege sua plus, quam pro aris et focis pugnantibus. Igitur

*Subsumo*: Atqui facta est illa immutatio, de qua Jer. 31., et subsecuta Jesum Nazarenum D. N. Ergo.

*Prob. subs. 1<sup>a</sup>. p.* Abrogata est Mosaica lex, si 1<sup>o</sup>. abrogatum sit sacerdotium Leviticum: 2<sup>o</sup>. Si abolita sacrificia: 3<sup>o</sup>. Si antiqui fœderis conditiones non amplius servet ipse Deus: 4<sup>o</sup>. Si usque adeo legis veteris observantiam Judæis fecerit impossibilem: atqui hæc ita se habent; ergo. *Maj.* in dubium vocari non potest a Judæo rationis compote; nam cum Mosaicæ legis potissima pars sita esset in sacerdotii Levitici cultu ac religione, illudque cum hac necessariam haberet connexionem; sublato sacerdotio lex ipsa subsistere non potuit. Idem ex sacrificiis abolitis sequitur; quorum abolitionem quidem Deus adventus Messiaæ signum manifestum posuit, ut ex professo dicitur infra. Ac demum si Deus ipse, inter paciscentes pars potior, stare amplius pacto nolit, vel ipso facto declaret, quod usque eo, non ultra, se servaturum pactum promiserit; imo faciat, ut pars altera implere pacti conditiones non possit; qua ratione pactum subsistet, quod non nisi conventionem duorum perficitur? Hinc

*Prob. min. quoad sing. membra. Quoad 1<sup>um</sup>.* quidem et 2<sup>um</sup>. infra ex professo. Hic igitur interim *prob. quoad 3<sup>um</sup>.* Vi pacti illius obstrinxerat se Deus ad regendam et protegendam Judæorum gentem, ceu *populum peculiarem*, h. e. speciali providentia, qua *peculium*, sive thesaurum tuetur; ut proin Judæorum gens antonomastice diceretur *populus Dei*, et forma regiminis ab initio esset pure *theocratica*. Licet autem postea maxime post captivitatem Babylonicam ab externa administratione Reipublicæ gradatim recesserit Deus, sicque Theocratia fuerit sensim imminuta; nunquam tamen rescissum est fœdus Sinaicum, nec consequenter Theocratia, per illud fœdus instituta, fuit prorsus abolita, usque ad Christum regem, sive Jesum Nazarenum. Non diffitentur hoc Judæi; et, si malitiose vellent, ipsis clare ostenditur.

Nam 1<sup>o</sup>. abolita non fuit Judicium et Regum tempore; cum horum electio ad Deum pertineret, non ad populum, juxta præceptum clarum Deut. 17. Deinde reges non habebant summam potestatem *legislativam*, quæ illi duntaxat competit, qui omnia supremæ majestatis jura habet; sed *executivam*, qua vicarii Dei, Deut. 17. v. 18. licet cætera aliis prærogativis pollerent, ac proinde Theocratia non nihil imminuta, non tamen penitus ablata fuerit; sicque explicari et conciliari debent textus 1. Reg. 8. et 1. Reg. 12. de quibus n. 27.

2<sup>o</sup>. Post captivitatem adeo pactum non sustulit Deus, ut potius renovavit Agg. 2. v. 3.

3<sup>o</sup>. Post Malachiaæ prophetarum ultimi tempora, licet quoad administrationem externam multis gradibus recesserit Deus; item spiritus cessaret propheticus; non tamen omnino omnia specialis suæ providentiæ pignora, etsi rara essent, sustulit Deus, ut ex historia Machabæorum liquet; usque dum nascituri Messiaæ appropinquaret tempus. Atqui a 1700. annis et ultra populi Judaici res prorsus deseruit, nec ullum obiit regis potestatis officium: nullum dedit providentiæ suæ prioris indicium; nullum ad Judæos prophetam



tionem. Quæ non alium, quam Messiam attinent; hic enim *Sanctus Dei* antonomastice dicitur; sicut Dan. 9. *Sanctus Sanctorum*. Certe de Davide intelligi non possunt, ut volunt Rabbinii recentiores; David enim defunctus corruptionem vidit, h. e. expertus est. Unde et Petrus Act. 2. v. 31. Paulus Act. 13. v. 35. hoc Davidis vaticinio sine metu contra Judæos usi. Deinde etsi permittatur Judæis, antecedentia in Ps. cit. Davidem de se ipso loqui; non tamen hoc de contextu subsequenti dici potest, ipso hoc indicante Davide, cum in antecedentibus fere loquatur in præterito, postea vero a v. 40. ut propheta in futuro. Jam vero Christum nostrum die tertio, velut ipse prædixerat, Matth. 12. v. 40., resurrexisse a mortuis referunt Evangelistæ uniformiter omnes: Apostoli prædicabant palam ubique, et coram principibus iisdem, qui Jesum condemnaverant, Act. 3. v. 13., Act. 4. v. 10.; quin ab his falsitatis redargui potuissent; aut haberent, quod Petro contradicerent, Act. 4. v. 13. 14.

9°. Demum *ascensionem* Christi prædixit David Ps. 67. v. 19. *Ascendisti in altum: cepisti captivitatem*. Ps. 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis. Missionem Spiritus sancti*, Joel c. 2. v. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filie vestrae*. Cum his vero confer, quæ de Christo nostro refert historia Evangelica Matth. ult., Item Marc., Luc. Act. 1. v. 9. Act. 2. etc.

## ARTICULUS V.

EX SIGNIS ET VATICINIIS ALIIS JESUM NAZARENUM ESSE VERUM MESSIAM IN LEGE PROMISSUM OSTENDITUR.

Hic illa comprehendimus, quæ ex Messiaæ adventu subsecutera præannuntiarunt Prophetae, e quibus cum alii varia, ut illustriss. HUETIUS in demonstr. Evang., noster THYRSUS GONZALEZ in Manud.; nos duntaxat sequentia magis efficacia delibamus.

76. 1<sup>um</sup>. est, Mosaicæ legis et fœderis rescissio; e contra legis novæ et novi pacti institutio. Disertis verbis utrumque a Jeremia prædictum c. 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Egypti: pactum, quod irritum fecerunt... Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*. Hinc primo conficitur, pacto et legi veteri revera subrogari debere legem novam cum pacto novo; proin cum alibi fœdus Mosaicum vocetur *legitimum sempiternum*, vel dicatur *æternum*; non posse hoc intelligi de æternitate absoluta, sed certa duratione temporis, ut amplius dicetur in object. Cæterum, qui potestate polleat abrogandi legem antiquam, et condendi novam, non alius esse quam Messias potest; is enim solus ex Rabbinorum veterum tum recentiorum consensu, cum venerit, toti mundo dominabitur, huic dando leges, juxta illud Ps. 71. *Adorabunt eum omnes reges terræ, et omnes gentes servient ei*. Et quod Isaias c. 33. de Messia dixit:

*Dominus Legifer noster*. Proin solum inquirendum, an immutatio illa jam e venerit, Jesum Nazarenum D. N. subsecuta? hic enim cardo vertitur, Judæis pro lege sua plus, quam pro aris et focis pugnantibus. Igitur

*Subsumo*: Atqui facta est illa immutatio, de qua Jer. 31., et subsecuta Jesum Nazarenum D. N. Ergo.

*Prob. subs. 1<sup>a</sup>. p.* Abrogata est Mosaica lex, si 1<sup>o</sup>. abrogatum sit sacerdotium Leviticum: 2<sup>o</sup>. Si abolita sacrificia: 3<sup>o</sup>. Si antiqui fœderis condiciones non amplius servet ipse Deus: 4<sup>o</sup>. Si usque adeo legis veteris observantiam Judæis fecerit impossibilem: atqui hæc ita se habent; ergo. *Maj.* in dubium vocari non potest a Judæo rationis compote; nam cum Mosaicæ legis potissima pars sita esset in sacerdotii Levitici cultu ac religione, illudque cum hac necessariam haberet connexionem; sublato sacerdotio lex ipsa subsistere non potuit. Idem ex sacrificiis abolitis sequitur; quorum abolitionem quidem Deus adventus Messiaæ signum manifestum posuit, ut ex professo dicitur infra. Ac demum si Deus ipse, inter paciscentes pars potior, stare amplius pacto nolit, vel ipso facto declaret, quod usque eo, non ultra, se servaturum pactum promiserit; imo faciat, ut pars altera implere pacti condiciones non possit; qua ratione pactum subsistet, quod non nisi conventionem duorum perficitur? Hinc

*Prob. min. quoad sing. membra. Quoad 1<sup>um</sup>.* quidem et 2<sup>um</sup>. infra ex professo. Hic igitur interim *prob. quoad 3<sup>um</sup>.* Vi pacti illius obstrinxerat se Deus ad regendam et protegendam Judæorum gentem, ceu *populum peculiarem*, h. e. speciali providentia, qua *peculium*, sive thesaurum tuetur; ut proin Judæorum gens antonomastice diceretur *populus Dei*, et forma regiminis ab initio esset pure *theocratica*. Licet autem postea maxime post captivitatem Babylonicam ab externa administratione Reipublicæ gradatim recesserit Deus, sicque Theocratia fuerit sensim imminuta; nunquam tamen rescissum est fœdus Sinaicum, nec consequenter Theocratia, per illud fœdus instituta, fuit prorsus abolita, usque ad Christum regem, sive Jesum Nazarenum. Non diffitentur hoc Judæi; et, si malitiose vellent, ipsis clare ostenditur.

Nam 1<sup>o</sup>. abolita non fuit Judicium et Regum tempore; cum horum electio ad Deum pertineret, non ad populum, juxta præceptum clarum Deut. 17. Deinde reges non habebant summam potestatem *legislativam*, quæ illi duntaxat competit, qui omnia supremæ majestatis jura habet; sed *executivam*, qua vicarii Dei, Deut. 17. v. 18. licet cætera aliis prærogativis pollerent, ac proinde Theocratia non nihil imminuta, non tamen penitus ablata fuerit; sicque explicari et conciliari debent textus 1. Reg. 8. et 1. Reg. 12. de quibus n. 27.

2<sup>o</sup>. Post captivitatem adeo pactum non sustulit Deus, ut potius renovavit Agg. 2. v. 3.

3<sup>o</sup>. Post Malachia prophetarum ultimi tempora, licet quoad administrationem externam multis gradibus recesserit Deus; item spiritus cessaret propheticus; non tamen omnino omnia specialis suæ providentiæ pignora, etsi rara essent, sustulit Deus, ut ex historia Machabæorum liquet; usque dum nascituri Messiaæ appropinquaret tempus. Atqui a 1700. annis et ultra populi Judaici res prorsus deseruit, nec ullum obiit regis potestatis officium: nullum dedit providentiæ suæ prioris indicium; nullum ad Judæos prophetam



misit : non dedit principem : non suot amplius in laudem et gloriam Dei sui : excidium universæ gentis passus est , quin dedisset , ut alias , solatium , restitutionis spem. Quin effecit , ut Judæis ipsis veteris legis observantia esset impossibilis ; nullam enim religionis ( quæ templo adeo alligata erat , ut extra illud peragere sacrificium sacrilegium esset ) possunt partem peragere ; nec , eversa civitate , judicarias exercere leges ; ergo.

*Prob. subs. 2<sup>a</sup>. p.* ex totius orbis consensu ; sublato enim a Judæis Jesu Nazareno , nece crudelissima , hæc mala evenerunt : a Tito eversa urbs : dispersa gens : inducta templi desolatio , quæ perstat hodie , perstatique semper.

77. II<sup>um</sup>. est sacerdotii Levitici abrogatio et substitutio novi , juxta Davidis vaticinium : *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* ; quæ alteri , præterquam Messiæ , aptari non possunt ; igitur sicut Melchisedechi sacerdotium , sic illud Messiæ et ab hoc instituendum , differre debet a Levitico. Clarius idem per Isaiam 66. v. 18. prædixit Deus : *Veni , ut congregem cum omnibus gentibus et linguis , et venient et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum , et mittam ex eis , qui salvati fuerint , ad gentes in mare , in Africam et Lybiam tendentes sagittam ; in Italiam et Græciam ad insulas longe... et assumam ex eis in sacerdotes et levitas.* Hic declarat Deus , quod ex gentibus quibusvis assumpturus sit sacerdotes ; ergo abrogandum erat sacerdotium vetus ; cum illo , non nisi nati ex Levitica stirpe , fungi possent ; et similiter substituendum erat novum. Atqui Jesus Nazareus fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedechi , instituens in pane et vino sacrificium , quod proprium erat Melchisedechi ; ita enim , auctore Jesu Nazareno , etiamnum toto in orbe offertur Deo sacrificium : Item , Jesus Nazareus misit in omnes mundi plagas , et ad gentes Apostolos suos , ex illisque assumpsit sacerdotes , quos suis hodie oculis vident Judæi ; ergo.

78. III<sup>um</sup>. est sacrificiorum abolitio. Connectitur hoc cum præcedenti ; sed in particulari prædictum 1<sup>o</sup>. a Daniele 9. : *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus... et in medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium.* 2<sup>o</sup>. A Malachia 1. v. 10. et 11. *Non est mihi voluntas in vobis... et munus non suspiciam de manu vestra ; ab ortu enim solis usque ad occasum , magnum est nomen meum in gentibus , et in omni loco sacrificatur , et offertur nomini meo oblatio munda : atqui occiso Jesu Nazareno , defecit hostia et sacrificium. Vid. n. 50. Item , jam in omnibus gentibus offertur Deo oblatio , non cruenta , sed munda in pane et vino ; ergo.*

79. IV<sup>um</sup>. est idololatriæ exterminium , gentiumque ad veri Dei cultum conversio. In singulis ferme prophetarum paginis signum hoc Messiæ legitur. Pacto Abrahamitico hæc adjecta promissio fuit , ut in semine ejus benedicerentur omnes gentes terræ , Gen. 22. Ideo Messiam Jacob vocat *expectationem gentium* , Gen. 49. Ipsi Doctores Hebræi semper de Messia intellexerunt illud Ps. 2. *Postula a me , et dabo tibi gentes hereditatem tuam , et possessionem tuam terminos terræ.* De Messia loquitur Isaias 49. v. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium , Et 2. v. 2. Erit in novissimis diebus preparatus mons domus*

*Domini... et fluent ad eum omnes gentes.* Item 11. v. 10. *In die illa radix Jesse , qui stat in signum populorum , ipsum gentes deprecabuntur.* Sophonias 3. v. 9. *Tunc reddam populis labium electum , ut invocent omnes in nomine Domini.* Zacharias 13. v. 2. *Et erit in die illa , dicit Dominus exercituum : Disperdam nomina idolorum de terra.* Sed manifestum est , factam esse conversionem illam gentium ad agnitionem veri Dei per Jesu Nazareni , Christi et Domini nostri Apostolos , horumque successores , cum vix ulla supersit gens , quæ vel tota , vel ex parte saltem non agnoscat et colat verum Deum , relicto idolorum cultu.

80. *Obj. I.* Verba Jeremiæ supra debere de renovatione antiqui fœderis post captivitatem Babylonicam intelligi ; quo scilicet tempore clarior erat , quam antea , Dei cognitio ob Synagogarum copiam , in quibus ter in hebdomade docebatur populus : fuit constantior Judæorum erga legem voluntas : majora comitabantur beneficia pacti renovationem , quam ejus olim promulgationem primam.

R. N. A. Non enim Jeremias de renovatione antiqui , sed institutione pacti prorsus novi loquitur ; ait enim *feriam , dabo* , etc. sed antiquum jam dederat , ferierat ; quodque renovatur tantum , non datur , aut fit simpliciter. Deinde pactum hoc novum , legemque novam , quam se daturum promittit Deus , opponit legi veteri : *Fadus novum , non secundum pactum , quod pepigi cum patribus eorum* ; at in data expositione adhuc fuisset pactum idem , quod olim pepigerat cum Judæis.

81. *Obj. II.* Ex præsentis Judæorum conditione non magis evincitur , rescissum esse pactum Mosaicum , quam in tempore captivitatis Babylonicæ ; carebant enim etiam tunc civitate , templo , sacrificio , etc. ; ergo.

R. N. A. Nam inter præsentem Judæorum statum , et illum tempore captivitatis nulla est proportio , 1<sup>o</sup>. ratione durationis ; nam status ille non nisi 70. duravit annis ; præsens jam septingentis supra mille perstitit : 2<sup>o</sup>. Tempore captivitatis remansit Jerosolymis et in Judæa pars populi , fecitque Deus , ut nullæ illuc transferrentur colonie nec vicini populi occuparent sedes vacuas ; nunc ad unum omnes terra Chanaan pulsi sunt. 3<sup>o</sup>. Babylone suos habebant Judices , qui juxta legem Moysis jus dicebant ; imo succedens Nabuchodonosori Evilmerodach thronum regis Joachim elevavit super cæterorum regum thronos , qui Babylone erant ; nunc alienis subsunt legibus , et principibus , plerumque Judaico nomini infensis. 4<sup>o</sup>. In priorè statu mittebat Prophetas Deus ; qui Judæos solarentur ; 70. annos determinaverat Jeremias ; Cyrus liberatorem prædixerat Isaias ; novæ urbis et templi formam descripserat Ezechiel ; certique erant Judæi de suo in patriam reditu : modo patria pulsi , sine lege , sine rege , sine templo , sine sacrificio , sine propheta , sine spe toto vagantur orbe ; verbo : primi fœderis habent nihil.

82. *Obj. III.* Lex Mosaica in Scripturis dicitur æterna ; ergo. *Prob. A.* Deut. 12. v. 32. Moyses ipse legem vocat *legitimum sempiternum*. Deut. 29. v. 29. vult *servari in sempiternum*. Similia extant alibi.

R. D. A. Dicitur æterna quoad præcepta moralia C. Quoad ceremonialia et judicialia *subd.* Æternitate absoluta N. relativa , quæ pertineat non ad



omnia futura tempora, sed ad definitum Reipublicæ ævum, videlicet usque ad Messiae adventum C. Quoad moralia, quæ legi Mosaicæ communia sunt cum lege nostra Evangelica, lex Moysis simpliciter æterna dici potest, et habere perennitatem cum mundo. Quoad ceremonialia et judicialia, quæ legi Mosaicæ propria sunt, hæc æternitatem habet non nisi relativam, h. e. quamdiu durabit Judæorum Respublica, nimirum usque ad Messiam. Patet ex allato Jeremiæ vaticinio, quo lex illa per Messiam abroganda asseritur: ex prophetiis, quibus prænuntiata fuit sacerdotii, sacrificiorum abrogatio; item ex Doctorum inter Judæos consensu, et vulgari Judæorum traditione. Sic in Talmude, posterioribus post legem seculis Messie doctrinam servari oportere, positive asseritur: in Midrasch Cohelet, legem, quam homo discit in hoc seculo, vanitatem esse præ lege Messie. R. Simeon in Jalkut, Deum per Messiam novam legem esse daturum. R. Maimonides ad illud Deut. 12. ubi Moyses legem vocat legitimum sempiternum; prohibens aliquid vel addi, vel demi, Hæc, subdit, nos admonent, ne addamus, vel detrahamus aliquid pro nostro libitu; sed nihil prohibent, quo minus ipse Benedictus (Messias) addat, vel demat pro sua sapientia. Unde et R. Joseph Albo pluribus abhinc seculis hanc putatitiam æternitatem legis cachinnis expolit.

Inst. Dum nos latine vertimus in sempiternum, æternum, etc. in hebraico est holam, etiam ubi de præceptis non moralibus agitur, quæ vox proprie dictam æternitatem importet.

R. Concessa 1<sup>a</sup>. p. A. N. 2<sup>am</sup>. p. et Cons. Nam vox holam, nisi aliud suadeat subjecta materia, alias plerumque tempus finitum, certum ævum denotat. Constat 1<sup>o</sup>. ex Rabbiniis peritissimis, R. Maimonide in more Nevochim, dum vocem hanc data opera exponit; R. Albo cit. et aliis. 2<sup>o</sup>. Ex Scriptura; sic 1. Reg. 22. v. 22. Samuel dicitur mansurus coram Domino ad holam, æternum, h. e. ut textus declarat, non recessurus a tabernaculo Domini per totam vitam. Sic Exod. 4. dicitur: Erit ei servus ad holam, in seculum, sed hoc est, usque ad annum Jubilæum. Sic porro sumitur Num. 8. 24., Prov. 22. 28., Is. 32. 14. et 45. 17. et 63. 60. Jer. 41. 10., Mal. 3. 4., in Ps. sepe et alibi. 3<sup>o</sup>. Ex celebri apud Synagogæ Doctores distinctione inter holam eze, et holam eba, præsens seculum et futurum, per holam eze seculum ante Messiam; per holam eba seculum regni Messie indicare volentes.

83. Obj. IV. Jesus Nazareus, Christus noster, fassus est ipsemet, ne videretur propheta falsus, se non venisse ad legem solvendam, sed adimplendam.

R. D. A. Non ad solvendam legem quoad præcepta moralia C. alia N. Hæc quidem etiam ipse adimplere voluit, proinde circumcidi, servare sabbatum, pascha, etc. sed adimplendo simul consummare, et substituere legem suam, figuræ figuratum.

84. Obj. V. 1<sup>o</sup>. Messias Is. 2. v. 2. venire debet in diebus novissimis. 2<sup>o</sup>. Adventum ejus præire Eliás: Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini, Malach. 4. v. 5. 3<sup>o</sup>. Afferre pacem: In diebus ejus orietur justitia et abundantia pacis, Ps. 71. v. 7. adeo ut lupus habitaturus sit cum agno, pardus cum hædo, vitulus cum leone, Is. 11. v. 6. 4<sup>o</sup>. Adveniente Messia lux lunæ sicut lux solis erit, et lux solis septuplo major quam

antea, Is. 30. v. 26. 5<sup>o</sup>. Messias erit fortis bello, sibi subjugabit gentes omnes, Ps. 2. v. 8. Ps. 44. v. 6.: atqui nihil horum hactenus impletum est; ergo.

R. N. min. Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. Per dies novissimos non intelligitur tempus mundi novissimum absolute, sed relative, vel comparative ad tempora præcedentia legis naturæ et legis Mosaicæ, respectu quorum tempus Messie novissimum dicitur, quia lex gratiæ, quam afferet, non habebit aliam post se. Nec Judæi dies absolute novissimos dicere possunt, cum sic plane corrumpat diuturnum illud Messie regnum, quod, ut Judæi fingunt, Messiasaget Jerusalemis in Davidis solio per longam posterorum suorum seriem.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. De secundo Christi adventu hoc dicitur, quo ad judicandum veniet; quia ait Propheta: Antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; primus vero Messie adventus non horribilis, sed amabilis est. Vel si de adventu Messie primo textum quis velit intelligi, explicandus est de Joanne Baptista, qui Elias dici potest spiritu, virtute, zelo, juxta illud Luc. 1. v. 17. Præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ. Unde et Christus aiebat: Elias jam venit, et non cognoverunt eum... Tum intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset, Matth. 17. v. 12.

Ad prob. 3<sup>am</sup>. R. Si etiam de temporali pace quis velit textum accipi, nato Christo nostro pax summa fuit non in Judæa solum, sed provinciis omnibus Romani imperii. Rectius tamen de pace spirituali et interna intelligitur, juxta canentes angelos: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, Luc. 2. Tum de pace Deum inter et hominem, quam attulit Christus mundum reconcilians Patri. Hæc: habitabit lupus cum agno, etc. allegorice dicta sunt, significantque gentes deposita barbarie, ad prædicationem doctrinæ Christi velut mansuetos agnos ad illius ovile perducendos esse. Hoc indicat ratio, quam propheta his, habitabit, etc. aliisque similibus, subdit: quia repleta est terra scientia Domini, h. e. cognitione Dei; et Messie; at lupus naturalis illius incapax est. Nec adeo delirabunt Judæi, ut de naturali lupo et agno contendant prophetam loqui; alioquin et reliqua, quæ de Messia ibidem prædicantur, sic naturaliter oportebit sumere; cumque dicat: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus... Justitia erit cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium ejus, etc. Messias erit virga naturalis, flos; justitia erit verum cingulum, etc. quo nihil ineptius.

Ad prob. 4<sup>am</sup>. Etiam hæc allegorice dicta sunt, denotantque mutationem futuram a terrenis ad cælestia, a carnalibus ad spiritualia; homines multo clariorem habituros cognitionem de Deo, rebusque supernaturalibus. Quæ expositio plane conformis est prophetæ, dum c. 63. v. 17. ait Dei nomine: Ecce ego creo caelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor; quæ necessario sunt accipienda metaphorice, ac cæli novi et terra nova religionem novam legemque clare significant; neque enim adveniente Messia cæli destruentur et terra, alioquin et incolæ et Judæi ipsi destrui deberent antequam creetur mundus novus. Sicut ergo cæli novi et terra nova sumuntur metaphorice, sic major illa lux lunæ et solis in novo hoc metaphorico cælo. Alii quoque textum de secundo Christi adventu exponunt.

Ad prob. 5<sup>am</sup>. R. Erit fortis bello non cruento, alioquin non expectatio gentium, desideratus cunctis gentibus prænuntiari potuisset; sed spirituali,



convertendo gentes gratia sua, luce, et sanctitate doctrinæ. Unde *ad ipsum fluent omnes gentes; secus fugitura. Neque Messias imperium agere debebat tyrannicum, aut mundanum, juxta vaticinium Zachariæ c. 11. Ipse pauper et ascendens super asinam. Ecce apparatus bellicum!* Quæ ergo de Messiaë victoriis canunt prophetæ, spirituales Messiaë progressus et Ecclesiæ triumphos significant.

85. *Obj. VI.* Messias juxta prophetarum oracula, restaurabit urbem, et templum Salomonis: colliget dispersos in orbe Judæos, ac reducet in Jerusalem: viventque ibi, et pristino ritu sacrificia offerent. Sed hoc nondum evenit. *Prob. M.* quoad singula. Ex Jeremia c. 29. v. 14. *Reducam captivitatem vestram, et reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci. Tum c. 30. et 31. sic restaurandam prædicit urbem, ut non evellatur et non destruat in sempiternum. Ezechiel c. 40. et seqq. templum a Messiaë restaurandum descripsit; collectionem Judæorum prædixit c. 34. v. 12. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum; sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis. Et educam eas de populis... et inducam eas in terram suam, et pascam eas... in montibus excelsis Israël erunt pascua earum. Idem prædixit Amos pluribus c. 9.*

*N. M. Ad prob. R.* Prophetæ ii singuli loquuntur de reductione Judæorum e captivitate Babylonica, et futura post illam restauratione urbis et templi secundi. Nam 1<sup>o</sup>. Jeremiam c. 29. de hac reductione et restauratione loqui evidens est ex singulis textibus, ac v. 10. clare inquit: *Cum ceperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, et suscitabo super vos verbum bonum, ut reducam vos, etc.* Hunc etiam esse scopum vaticinii Jeremiaë, c. 30. et 31. evidens fit ex 1. Esdr. 1. ubi Esdras ait: *ut completeretur verbum Jeremiaë.* 2<sup>o</sup>. Templum quoque, quod vidit et descripsit Ezechiel, erat illud, quod restaurandum post captivitatem; hocque illi ostendit Deus ad solandos in captivitate Judæos: *Annuntia omnia, quæ tu vides, domui Israël c. 40. v. 4. Vid. CORN. A LAP. hic. Quæ porro ex c. 34. Ezech. allata, pariter ad solandos Judæos dicta sunt; dixit enim hæc durante jam captivitate, ut constat ex c. præc. 33. v. 21. Factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmirationis nostræ, etc. postea causas tanti mali affert, et in c. 34. in specie reprehendit pastores domus Israel; ut proin sit connexio inter utrumque caput: a pastoribus vero delabitur ad oves, sive populum, quem citt. verbis solatur. Occasione vero pastorum, more prophetis usitato, rapitur ad pastorem Messiam v. 21. Eadem est responsio ad Amos c. 9.*

*Nec obstat, quod Jeremias dicat, civitatem cum templo restaurandam sic, ut non destruat in sempiternum: nam τὸ in sempiternum, hebr. had holam, ut dixi Art. præc. dum de rebus temporariis sermo est, nec æternitatem absolutam, nec præcise diurnitatem mundi importat. Vid. n. 82. Accedit, quod promissiones ejusmodi, de rebus temporalibus factæ, conditionatæ esse soleant. Hinc non est necessitas allatos textus exponendi in sensu mystico de perpetuitate Ecclesiæ.*

Porro urbem templumque secundo destructa nunquam postea esse ad

Judæorum usus paranda, claris prophetarum vaticiniis habetur Dan. 9. v. 26. *Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas; et post finem belli statuta desolatio... Et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. Osee 3. v. 4. Dies multos sedebunt filii Israël sine rege et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari et sine ephod et sine theraphin, et post hæc revertentur filii Israël, et quærent Dominum Deum suum... et pavebunt ad Dominum... in novissimo dierum.* At si usque ad finem perseveratura desolatio; item, si usque ad novissimum diem in eo statu Judæi sint permansuri; nulla restaurationis templi spes est.

86. *Obj. VII.* Messias 1<sup>o</sup>. eriget regnum Judæorum felicissimum, et Judæos cumulabit immensis opibus, ac summa rerum abundantia, Is. 60. v. 17. *Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum, et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum. 2<sup>o</sup>. Regnabit Jerosolymis æternum in Davidis solio, Is. 9. v. 7. Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum. Et Dan. 7. v. 14. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur; atqui hæc nondum habentur.*

*Ad 1<sup>um</sup>. R. D.* Eriget tale regnum temporale, refertum bonis temporalibus *N.* spirituale, refertum bonis spiritualibus et cælestibus *C.* Hæc metaphorice Isaias adumbrare voluit cit. loc. Sicut dum c. 54. v. 11. inquit: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua; et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Non enim putem adeo insanire Judæos, ut hæc de antiqua sede sua, Jerosolyma, dicta velint.

*Deinde Messiaë regnum non temporale futurum, juxta inveteratam Judæorum mentem, nec ejus gloriam in rerum terrenarum copia fundandam esse, Zacharias Judæis ad oculum, si videre velint, prænuntiat c. 9. v. 9. Exulta satis filia Sion, juba filia Jerusalem: ecce rex tuus (Messias) venit tibi justus et Salvator; ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ: et dispergam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli: loquetur (Messias) pacem gentibus; et potestas ejus a mari usque ad mare... tu quoque emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Ergo Messias rex Israel asina vehetur et pauper erit; non igitur illam afferet honorum terrestrium abundantiam, sed spiritualium, justitiæ et salutis, procul dubio maxime animarum. Item: igitur sine apparatu regio, sine arcu belli, aut equis triumphos aget, educet vinctos, non de regum terræ carceribus, sed de lacu, in quo non est aqua, ab inferis. Huc adde prophetiam Danielis c. 9. et alias allatas, quæ cum hoc imaginario Judæorum regno nullo modo concordant. Unde*

*Ad 2<sup>um</sup>. R.* Etiam de regno æterno Messiaë spirituali et cælesti intelligi debent, ex datis rationibus; quia in Scriptura Messias dicitur *pauper, humilis, vir dolorum, sciens infirmitatem, occidendus* Is. 53. *Desolatio perseveratura usque ad finem, etc.* quæ cum regno in materiali Davidis solio combinari non possunt.

87. *Obj. VIII.* Auctoritatem Judæorum veterum. Plerique olim in Jesu



Nazareno Messiam non agnoverunt; ergo non habuit Messiae notas. *Prob.* Abhorret a divina bonitate in re tanti momenti Judæos incertos relinquere, et talibus notis delineare Messiam, ut, cum veniret, a suis non agnosceretur.

R. 1<sup>o</sup>. Judæis incredulis oppono alios, qui nomina Christo dederunt. Item, auctoritatem orbis universi, qui ad Christum evidenti completionem oraculorum perductus est.

R. 2<sup>o</sup>. *D. A.* Non agnoverunt, neque, si voluissent, agnoscere poterant. *N.* non agnoverunt, vel quia salutis incurri negligebant prædicationem Christi; vel, audita miraculorum fama, in eum non inquirebant ignavi; vel quia, in illum invidia et odio succensi, positive nolebant. *C.* Potuerant et hi detegere in illo veri Messiae notas, sicut multi alii detexerunt; et modo agnoscit orbis. Ejusmodi vero relinquere incertos, a divina bonitate nullo modo abhorret.

## SECTIO II.

### DE JESU NAZARENI, VERI CHRISTI ET DOMINI NOSTRI DIVINITATE CONTRA JUDÆOS ET HÆRETICOS.

Recentiores Judæorum Doctores ex inolita inter eosdem opinione, Messiam purum hominem fore, tametsi majores eorum plerique aliter senserint teste GALATINO L. 6. de Arcan. fid., Jesu Christo Domino nostro, quem verum Messiam probavimus, divinitatem funditus abnegant. Idem hæreticorum non pauci præstiterunt; præ cæteris Arius quo hæreticorum nemo, ut Verbi divini, sic Christi divinitatem valentius impugnavit. Arii impietatem seculo XVI. redivivam stilit *Sociniana hæresis*; relicto Theologis documento, quam non perfunctorie, et velut decurrendo pertractanda sint dogmata, quod vix sit tam abominanda, et protrita licet Ecclesiae auctoritate hæresis, quæ non reviviscat æque facile, quam olim difficile fuerat eandem subvertere. Quare ad stabilendum de divinitate Christi dogma catholicum, quod in mysterio Incarnationis caput est, Articulis sequentibus 1<sup>o</sup>. Messiae divinitatem contra Judæos simul et hæreticos probabimus ex T. V. 2<sup>o</sup>. Contra hæreticos insuper ex T. N. et ad argumenta contraria respondebimus. Demum 3<sup>o</sup>. eruditorum gratia, utrum LIBERIUS S. P. alicui formulæ Syrmienti; vel S. ATHANASII condemnationi subscripserit? inquiramus.

## ARTICULUS I.

### SYNOPSIS HISTORICA HÆRESIS ARIANÆ, TUM SOCINIANÆ.

#### §. I.

##### *Arii ortus et initia.*

88. *Arius*, teste S. Epiphano hæc. 69. n. 1. natus in ea Libyæ parte, quæ Egypto vicina, et Alexandria accensita, ut proinde passim ab aliis vocetur patria Alexandrinus, externa corporis specie eam præferbat morum gravitatem, qua facile hominibus illuderet; tum comitatem et blanditias in verbis, ut multorum animos caperet. Dialecticis in argutiis apprime versatus fuit. Ex S. LUCIANI, Antiocheni martyris, schola eum prodiisse inde probabile fit, quod Eusebium Nicomediensem *Contucianistam* appellet, quo nomine S. LUCIANI discipuli gloriari soliti. Schismaticus ante, quam hæresiarcha fuit. Meletii enim schismatici partes ante secutus, teste Sozom. L. 1. c. 13. postea vero, deserto Meletio, a Petro Alexandrinorum Episcopo ordinatus est diaconus. Rursus tamen Ecclesia ejectus ab eodem, quod Meletianis se rursus adjungeret. Petro mortuo, Achillæ et Alexandri presbyterorum ope in communionem receptus, et ad ipsum presbyteratus ordinem promotus fuit. Verum cum ALEXANDER in Petri defuncti sedem promotus esset, ARIUS, qui illam ambiverat, id invidiose ferens, cum in Alexandri, viri probi et perdocti, vita nihil haberet quod carpere posset, teste Theodoro L. 1. c. 2. ejus doctrinæ contradicere cœpit, in eamque, quam proferemus, hæresin prorupit.

#### §. II.

##### *Hæresis.*

Cum ALEXANDER in conventu quodam de SS. Trinitate dissereret, et Filium Patri honore parem, ac ejusdem omnino substantiæ cum illo assereret; Arius dogma catholicum continuo impugnare cœpit, ac contra docere: *Filium Dei non esse Deum verum de Deo vero; non esse ab æterno, non Patri consubstantialem; sed isto minorem: a Patre creatum ex nihilo; in quo capitalis Arii error versabatur, quem latius expressit in carmine, quod Thalian vocavit. Deum tamen dicebat Filium, sed solum in sensu improprio, nimirum propter excellentiam, quod sit creaturarum omnium prima et præstantissima, per quam, velut instrumentum, Deus Pater cæteras creaturas procreasset.*

Ad firmandum errorem illum, Filium patibilem esse dicebat, et revera passum in carne; quæque in Scriptura de Christo homine dicuntur, quod sitim, labores, dolores, etc. passus sit, ipsi Verbo, considerato secundum se, attribuit, ut Filius tanto inferior haberetur Patre, atque alterius prorsus et



Nazareno Messiam non agnoverunt; ergo non habuit Messiae notas. *Prob.* Abhorret a divina bonitate in re tanti momenti Judæos incertos relinquere, et talibus notis delineare Messiam, ut, cum veniret, a suis non agnosceretur.

R. 1<sup>o</sup>. Judæis incredulis oppono alios, qui nomina Christo dederunt. Item, auctoritatem orbis universi, qui ad Christum evidenti completionem oraculorum perductus est.

R. 2<sup>o</sup>. *D. A.* Non agnoverunt, neque, si voluissent, agnoscere poterant. *N.* non agnoverunt, vel quia salutis incurri negligebant prædicationem Christi; vel, audita miraculorum fama, in eum non inquirebant ignavi; vel quia, in illum invidia et odio succensi, positive nolebant. *C.* Potuerant et hi detegere in illo veri Messiae notas, sicut multi alii detexerunt; et modo agnoscebat orbis. Ejusmodi vero relinquere incertos, a divina bonitate nullo modo abhorret.

## SECTIO II.

### DE JESU NAZARENI, VERI CHRISTI ET DOMINI NOSTRI DIVINITATE CONTRA JUDÆOS ET HÆRETICOS.

Recentiores Judæorum Doctores ex inolita inter eosdem opinione, Messiam purum hominem fore, tametsi majores eorum plerique aliter senserint teste GALATINO L. 6. de Arcan. fid., Jesu Christo Domino nostro, quem verum Messiam probavimus, divinitatem funditus abnegant. Idem hæreticorum non pauci præstiterunt; præ cæteris Arius quo hæreticorum nemo, ut Verbi divini, sic Christi divinitatem valentius impugnavit. Arii impietatem seculo XVI. redivivam stilit *Sociniana hæresis*; relicto Theologis documento, quam non perfunctorie, et velut decurrendo pertractanda sint dogmata, quod vix sit tam abominanda, et protrita licet Ecclesiae auctoritate hæresis, quæ non reviviscat æque facile, quam olim difficile fuerat eandem subvertere. Quare ad stabilendum de divinitate Christi dogma catholicum, quod in mysterio Incarnationis caput est, Articulis sequentibus 1<sup>o</sup>. Messiae divinitatem contra Judæos simul et hæreticos probabimus ex T. V. 2<sup>o</sup>. Contra hæreticos insuper ex T. N. et ad argumenta contraria respondebimus. Demum 3<sup>o</sup>. eruditorum gratia, utrum LIBERIUS S. P. alicui formulæ Syrmienti; vel S. ATHANASII condemnationi subscripserit? inquiramus.

## ARTICULUS I.

### SYNOPSIS HISTORICA HÆRESIS ARIANÆ, TUM SOCINIANÆ.

#### §. I.

##### *Arii ortus et initia.*

88. *Arius*, teste S. Epiphano hæc. 69. n. 1. natus in ea Libyæ parte, quæ Egypto vicina, et Alexandria accensita, ut proinde passim ab aliis vocetur patria Alexandrinus, externa corporis specie eam præferbat morum gravitatem, qua facile hominibus illuderet; tum comitatem et blanditias in verbis, ut multorum animos caperet. Dialecticis in argutiis apprime versatus fuit. Ex S. LUCIANI, Antiocheni martyris, schola eum prodiisse inde probabile fit, quod Eusebium Nicomediensem *Contucianistam* appellet, quo nomine S. LUCIANI discipuli gloriari soliti. Schismaticus ante, quam hæresiarcha fuit. Meletii enim schismatici partes ante secutus, teste Sozom. L. 1. c. 15. postea vero, deserto Meletio, a Petro Alexandrinorum Episcopo ordinatus est diaconus. Rursus tamen Ecclesia ejectus ab eodem, quod Meletianis se rursus adjungeret. Petro mortuo, Achillæ et Alexandri presbyterorum ope in communionem receptus, et ad ipsum presbyteratus ordinem promotus fuit. Verum cum ALEXANDER in Petri defuncti sedem promotus esset, ARIUS, qui illam ambiverat, id invidiose ferens, cum in Alexandri, viri probi et perdocti, vita nihil haberet quod carpere posset, teste Theodoro L. 1. c. 2. ejus doctrinæ contradicere cœpit, in eamque, quam proferemus, hæresin prorupit.

#### §. II.

##### *Hæresis.*

Cum ALEXANDER in conventu quodam de SS. Trinitate dissereret, et Filium Patri honore parem, ac ejusdem omnino substantiæ cum illo assereret; Arius dogma catholicum continuo impugnare cœpit, ac contra docere: *Filium Dei non esse Deum verum de Deo vero; non esse ab æterno, non Patri consubstantialem; sed isto minorem: a Patre creatum ex nihilo; in quo capitalis Arii error versabatur, quem latius expressit in carmine, quod Thalian vocavit. Deum tamen dicebat Filium, sed solum in sensu improprio, nimirum propter excellentiam, quod sit creaturarum omnium prima et præstantissima, per quam, velut instrumentum, Deus Pater cæteras creaturas procreasset.*

Ad firmandum errorem illum, Filium patibilem esse dicebat, et revera passum in carne; quæque in Scriptura de Christo homine dicuntur, quod sitim, labores, dolores, etc. passus sit, ipsi Verbo, considerato secundum se, attribuit, ut Filius tanto inferior haberetur Patre, atque alterius prorsus et



dissimilis substantiæ vel essentiæ; cum substantia Patris passionum ejusmodi capax non sit. Atque ut etiam hoc melius persuaderet, a Verbo solam carnem sine anima assumptam; animæ vero loco, corpori assumpto fuisse secundariam illam divinitatem Verbi asseruit. Hoc plerique in *Ario* observarunt, S. ATHANAS. passim, S. AUGUSTIN. de Hæresib. n. 73. EPIPH. Hæc. 69. n. 49. THEODORET. Hæc. fabul. L. 5. c. 41. (opp. t. 4. p. 278. D.), et in specie S. GREG. NYSS. L. 2. cont. Eunom. (opp. t. 2. p. 481. D.) *hunc scopum hæresis istius fuisse, docet, ut ostenderent, humiliores voces, quas ex humana natura loquitur Christus, ab ipsa divinitate profectas videri, ut hac ratione validiorem efficerent blasphemiam.*

Verum, sive quod posterior hic de Incarnatione error non ita notus esset, ut S. Aug. cit. putat; sive quod solum appendix esset prioris de divinitate Filii, ideo tum a Nicænis Patribus neglectus, tum a plerisque, qui Arianam hæresin impugnavere, vel prorsus dissimulatus, vel levius tantum perstrictus fuit; cum, ut fit, omnes intenti essent ad extinguendum, quod latius grassabatur, et periculosius, de divinitate Filii erroris incendium.

## §. III.

*Arii condemnatio.*

Cum Arii blasphemia, Alexandriae primum prolata, mox per Ægyptum omnem, Lybiam ac superiorem Thebaidem serperet, ALEXANDER mature malo occurrendum censuit. Quare, collecto multorum Episcoporum Concilio, *Arium* gradu movit, illum e presbyterorum ordine ejiciens, una et fautores illius, data ad Episcopos epistola synodica, quam refert SOCRATES L. 4. c. 6. in qua præcipuus Arii patronus Eusebius Nicomediensis asseritur.

Verum *Arius* gradu dejectus, et anathemate ab ALEXANDRO percussus in Palæstinam se contulit, ibique tentans Episcoporum animos, alios sibi adversantes invenit, alios nihilominus sibi, suoque errori adjunxit. Scissa igitur hoc modo in partes Ecclesia, ut efficacius malo in dies latius serpenti remedium afferrent, S. SYLVESTER Rom. Pontif. et CONSTANTINUS M. Nicææ in Bythinia Concilium indicunt, anno juxta Bellarm. 327. juxta Baron. 325. Confluxere ad illud ex oriente Episcopi 318. Ex occidente advenere Apostolicæ Sedis Legati tres, OSIUS Cordubensis Episcopus, VITUS et VINCENTIUS Ecl. Rom. Presbyteri; tum NICASIVS Episcopus Diniensis in Gallia. Interfuit CONSTANTINUS M. ipse. Exitus Concilii hic fuit: damnatus, una cum blasphema hæresi sua asseclisque, Arius: fidei symbolum ab Osio conscriptum, quod a loco Concilii Nicænum dicitur, quo vera Filii divinitas asseritur, diciturque *Deus de Deo, lumen de lumine. Deus verus de Deo vero, genitus non factus, ὁμοούσιος*, h. e. *consubstantialis Patri.*

Fidem in Concilio firmatam litteris ubique promulgavit Constantinus; *Arium*, ejusque sectatores mulctavit exilio, ac perpetua notans infamia, *Porphyrianos* vocari jussit, a Porphyrio apostata, ut, cujus imitarentur mores, etiam nomen gererent. Arii *Thallam* quoque, cæterosque libros ejus hæreticos flammis addixit, poena mortis lata in eos, qui occultasse Arii libros deprehensi. EUSEB. L. de vita Constant., SOCRAT. L. 1. c. 8., THEODORET. L. 1. c. 7.

Quinquennio tamen post, Constantia Imperatoris sorore morti proxima id postulante, Arius in aulam revocatur, emissaque æquivoce professione fidei, qua illudit pientissimo principi, redeundi Alexandriam facultatem obtinuit. At restitit S. ATHANASIVS, tunc Alexandrinus Patriarcha, et Imperatorem litteris docuit, fieri non posse, ut, qui fidem violassent, et anathemate percussi essent, reciperentur non probata ante per poenitentiam fide; neque cum Imperator id graviter ferret, hujus minis flecti potuit, ut *Arium*, ejus subdolum animum noverat, in communionem reciperet. Unde persecutionis in S. ATHANASIVM motæ initium extitit; Eusebiani enim Arii asseclæ occasione temporis utendum rati, varia S. ATHANASIO affinxerunt crimina: et in pseudo-Synodo Tyria, maxime ab his ipsis conflata, licet comperta fuisset S. ATHANASII innocentia, eundem deposuerunt, *Arium* in communionem recipientes anno 335. in Concilio postea Jerosolymis habito.

Alexandrina tamen Ecclesia cum constanter *Arium* repelleret, Imperator *Arium*, urgentibus Arianis, qui Constantinopoli contra Marcellum Ancyranum fidei Nicænae propugnatores convenerant, vocavit Constantinopolim. Ibi oblata Cæsari fidei Nicænae formula, ita se credere juramento professus est, sed restrictione mentali juramentum ad aliam formulam hæreticam, teste Socrate, referens, quam sub ala habebat reconditam.

Hinc S. ALEXANDER Constantinopolitanæ tunc Ecclesiæ Præsul, prævidens triumphaturum *Arium*, cum S. Jacobo Nisibi Episcopo ad jejunia et preces confugit, eventu memorabili. *Arium* divina ultio sustulit; sabbato enim præcedente Dominicam, qua sperabat Arius se in ecclesiam introducendum, egressus e palatio imperiali cum pompa, Eusebianis satellitum instar eum stipantibus, in fori Constantini latrinis relaxata alvo, animam cum visceribus omnibus effudit, teste S. ATHAN. epist. ad Serapionem n. 3., S. EPIPHAN. HÆC. 69., SOCRATE L. 4. c. 15. et aliis.

## §. IV.

*Sectæ Arianorum.*

89. Demortuo subin Constantino, in hujus successore Constantio patronum nacta Ariana hæresis, iis turbis concussit Ecclesiam, quibus plena est omnis historia. Quidam tamen sive moti Conc. Nicæni I. auctoritate, sive ut Catholicis illuderent, crudam nimis Arii hæresin temperandam putarunt. Hinc in tres sectas se diviserunt.

Prima quidem eorum fuit, qui Ario tenacius adhærentes, ejus hæresin ex integro constanter professi, *rigidi Ariani* dicti sunt; alias etiam *Anomæi*, quod Filium Patri in omnibus dissimilem esse contenderent, ut Arius. Hujus sectæ duces *Aetius* et *Eunomius* extiterunt, ut proinde etiam *Aetiani*, *Eunomiani* vocarentur.

Alteri eorum fuit, qui *Semi-Ariani* nuncupati sunt. Rejiciebant illi vocem *ὁμοούσιον*, *consubstantialem*; Filium contra *ὁμοούσιον*, h. e. Patri in omnibus, proinde et in *essentia similem* prædicabant, sic aliquo modo temperantes Arii hæresin, simulque unius *iota* adjectione immutantes sensum Nicæni catholice dogmatis. Hujus factionis principes fuere *Basilius* Ancy-



ranus, *Georgius* Laodicenus, *Macedonius* Constantinopolitanus, idem ille, qui postea divinitatem quoque Spiritus sancti aperta hæresi impugnavit. An vero omnes, qui vulgo Semi-Ariani dicebantur, Verbi divinitatem vere negaverint; vel an vocem *ὁμοούσιον*, *consubstantiali*em, rejecerint in sensu Pauli Samosatani, quæstio critica est, quam tractatam vide in Tr. de Deo Trino, auctore P. KILBER, et apud D. COLLET Tr. de Trinit., SIMONET. et alios.

*Tertia* demum istorum erat, qui Filium Dei nec *consubstantiali*em aiebant cum Catholicis, nec *similem in omnibus* cum Semi-Arianis; neque etiam dissimilem cum Aetianis et Eunomianis, sed *ὁμοιον similem* non in essentia, sed quadam velut representatione; eo fere modo, quo sculptores ad similitudinem prototypi efformant simulacra, quæ quoad substantiam prototypo dissimilia sunt, illudque solum representant: ita, aiebant, Pater sibi similem procreavit Filium, non ejusdem tamen secum substantiæ, divinitatis, æternitatis, sed quoad hæc dissimilem. Sectæ hujus caput fuit *Acacius* Cæsarensis Episcopus.

## §. V.

*Hæresis Sociniana.*

90. Auctorem habuit *Laelium Socinum*; propagatorem vero præcipuum *Faustum Socinum*, prioris ex fratre nepotem; a quo utroque *hæresis Sociniana* nomen traxit, orta circa medium sec. XVI.

*Laelius Socinus*, Senis in Italia oriundus, intemperanti critica et petulantia ingenio, Calvinianæ doctrinæ placitis haustus, quo illa per se ducunt, eo extendit, ut, sprete Ecclesiæ auctoritate, religionis mysteria ad solam rationem humanam, ac philosophiam examinans, præcipua dogmata de SS. Trinitate et Incarnatione niteretur subvertere. Docuit enim 1º. cum *Valentino*, *Prævea*, *Sabellio*, etc. tres in Deo non esse distinctas personas, sed unum solummodo natura et persona Deum. 2º. Verbum, sive Filium, Patris meram esse creaturam, aliis licet creaturis nobiliorem, quod erat *rigidus Arianismus*. 3º. Christum esse merum hominem, qui nulla sui parte extitisset ante conceptionem ex Josepho et Maria, nisi in mente Dei. 4º. Christum quidem a Deo missum ad salutem hominum; non tamen proprie pro homine satisfecisse. 5º. Christum tamen appellari posse Deum, non natura, sed gratia ac adoptione, propterque excellentem potestatem, qua fuit a Deo Patre instructus; scilicet, ut Moyses dictus est *Deus Pharaonis*, alique viri magni aliquando in Scripturis Dii appellantur, non in sensu proprio, sed improprio. Quo tutius pestiferam doctrinam spargeret, Italia egressus, in Poloniam se contulit; sed inde expulsus in Helvetiam venit, ubi Tiguri extinctus anno 1362. ætatis suæ 37.

*Faustus Socinus* vero patris hæresin, quam hic morte præventus spargere non poterat, propagandam sumpsit. Basileam se contulit, ubi contra divinitatem Christi librum conscripsit. Inde vocatus in Transylvaniam plures blasphemæ hæresis sectatores brevi licet tempore habuit; unde in Poloniam digrediens, tandem in Palatinatus Cracoviensis ignobili vico morte sublatus est anno 1604.

## ARTICULUS II.

## MESSIE DIVINITAS CONTRA JUDEOS ET HÆRETICOS EX VETERI TESTAMENTO OSTENDITUR.

Quoniam Judæi veteris Testamenti, utpote quod solum recipiunt, auctoritate maxime moventur; hinc, eorum gratia, Art. præsentis pro divinitate Christi ex illo argumenta depromimus, valitura etiam simul contra Hæreticos. E compluribus vero, quibus abundant veteris Testamenti tabulæ, sequentia duntaxat, quod vel sola sufficiant, seligimus.

91. ARGUMENTUM I. Ps. 2. v. 7. nomine Christi ait David: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nam

1º. Psalmum hunc de Messia intelligendum esse, consentiunt Rabbini veteres, teste Galatino L. 3. c. 7. Unde et Paulus Antiochiæ in Synagoga Act. 13. et scribens ad Hebræos c. 1. textu illo in hoc sensu utitur, quod non fecisset, nisi ab Hebræis ipsis de Messia intelligi novisset. Deinde si verba sequentia, maxime versus finem ponderentur, evidens fit, non posse alteri, præterquam Messiæ aptari; subdit enim v. 8. *Dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ;* sed nec David, nec ullus Judæorum rex unquam illa habuit: habebit tamen Messias solus, Judæis confidentibus; v. 12. autem monet: *apprehendite disciplinam*, Hebræi legunt: *osculamini filium*; ratio datur v. 13. sequenti, eo quod *beati omnes, qui confidunt in eo*; sed non omnes beati, qui in Davide confidunt, aut alio homine puro. Multo minus vero a Socinianis negari potest, cit. Psalmo de Christo agi, cum Paulus ipse supra citatis locis eundem de Christo interpretetur; diserte ad Hebr. c. 1. v. 4. *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit; cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?*

2º. Christus eo loco dicitur Dei Filius *verus et naturalis*, non gratia, adoptione, participatione talis; quia dicitur *genitus*, quod filio vere et natura tali tantum convenit. Porro dum dicitur: *genui te*, intelligi debet *ex utero*, h. e. *substantia mea*, non vero ex nihilo; juxta Ps. 109. v. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Denique per *hodie* τὸ generatio æterna exprimitur et ante Luciferum, ut sensus sit *hodie*, hoc est, ab æterno genui te; cum enim æternitas divina contineat omnes temporis differentias, existatque semper tota, ut in ea nihil sit præteritum, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, ut ait in hunc Ps. Aug., optime per τὸ *hodie* vel *nunc* exprimitur.

Dices 1º. Cum Judæis: Psalmum cit. de Davide, non Messia loqui, 1º. Quia sermo est in præterito: *Quare fremuerunt... astiterunt*; si vero de Messia sermo esset, loqui decuisset in futuro. 2º. Quia etiam David *Christus Dei* dicitur, ut Ps. 17. 3º. Quia etiam v. 8. bene de Davide explicari potest; Moabitarum enim, Amalecitarum, aliarumque *gentium hereditatem* obtinuit, quarum regna dici poterant *termini terræ* Israeliticæ. 4º. Quia confidentes in Davide saltem temporaliter *beati* dici poterant.



ranus, *Georgius* Laodicenus, *Macedonius* Constantinopolitanus, idem ille, qui postea divinitatem quoque Spiritus sancti aperta hæresi impugnavit. An vero omnes, qui vulgo Semi-Ariani dicebantur, Verbi divinitatem vere negaverint; vel an vocem *ὁμοούσιον*, *consubstantiali*, rejecerint in sensu Pauli Samosatani, quæstio critica est, quam tractatam vide in Tr. de Deo Trino, auctore P. KILBER, et apud D. COLLET Tr. de Trinit., SIMONET. et alios.

*Tertia* demum istorum erat, qui Filium Dei nec *consubstantiali* aiebant cum Catholicis, nec *similem in omnibus* cum Semi-Arianis; neque etiam dissimilem cum Aetianis et Eunomianis, sed *ὁμοιον similem* non in essentia, sed quadam velut representatione; eo fere modo, quo sculptores ad similitudinem prototypi efformant simulacra, quæ quoad substantiam prototypo dissimilia sunt, illudque solum representant: ita, aiebant, Pater sibi similem procreavit Filium, non ejusdem tamen secum substantiæ, divinitatis, æternitatis, sed quoad hæc dissimilem. Sectæ hujus caput fuit *Acacius* Cæsarensis Episcopus.

## §. V.

*Hæresis Sociniana.*

90. Auctorem habuit *Laelium Socinum*; propagatorem vero præcipuum *Faustum Socinum*, prioris ex fratre nepotem; a quo utroque *hæresis Sociniana* nomen traxit, orta circa medium sæc. XVI.

*Laelius Socinus*, Senis in Italia oriundus, intemperanti critica et petulantia ingenio, Calvinianæ doctrinæ placitis haustus, quo illa per se ducunt, eo extendit, ut, sprete Ecclesiæ auctoritate, religionis mysteria ad solam rationem humanam, ac philosophiam examinans, præcipua dogmata de SS. Trinitate et Incarnatione niteretur subvertere. Docuit enim 1º. cum *Valentino*, *Prævea*, *Sabellio*, etc. tres in Deo non esse distinctas personas, sed unum solummodo natura et persona Deum. 2º. Verbum, sive Filium, Patris meram esse creaturam, aliis licet creaturis nobiliorem, quod erat *rigidus Arianismus*. 3º. Christum esse merum hominem, qui nulla sui parte extitisset ante conceptionem ex Josepho et Maria, nisi in mente Dei. 4º. Christum quidem a Deo missum ad salutem hominum; non tamen proprie pro homine satisfecisse. 5º. Christum tamen appellari posse Deum, non natura, sed gratia ac adoptione, propterque excellentem potestatem, qua fuit a Deo Patre instructus; scilicet, ut *Moyses* dictus est *Deus Pharaonis*, alique viri magni aliquando in Scripturis Dii appellantur, non in sensu proprio, sed improprio. Quo tutius pestiferam doctrinam spargeret, Italia egressus, in Poloniam se contulit; sed inde expulsus in Helvetiam venit, ubi Tiguri extinctus anno 1362. ætatis suæ 37.

*Faustus Socinus* vero patris hæresin, quam hic morte præventus spargere non poterat, propagandam sumpsit. Basileam se contulit, ubi contra divinitatem Christi librum conscripsit. Inde vocatus in Transylvaniam plures blasphemæ hæresis sectatores brevi licet tempore habuit; unde in Poloniam digrediens, tandem in Palatinatus Cracoviensis ignobili vico morte sublatus est anno 1604.

## ARTICULUS II.

## MESSIE DIVINITAS CONTRA JUDEOS ET HÆRETICOS EX VETERI TESTAMENTO OSTENDITUR.

Quoniam Judæi veteris Testamenti, utpote quod solum recipiunt, auctoritate maxime moventur; hinc, eorum gratia, Art. præsentis pro divinitate Christi ex illo argumenta depromimus, valitura etiam simul contra Hæreticos. E compluribus vero, quibus abundant veteris Testamenti tabulæ, sequentia duntaxat, quod vel sola sufficiant, seligimus.

91. ARGUMENTUM I. Ps. 2. v. 7. nomine Christi ait David: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nam

1º. Psalmum hunc de Messia intelligendum esse, consentiunt Rabbini veteres, teste Galatino L. 3. c. 7. Unde et Paulus Antiochiæ in Synagoga Act. 13. et scribens ad Hebræos c. 1. textu illo in hoc sensu utitur, quod non fecisset, nisi ab Hebræis ipsis de Messia intelligi novisset. Deinde si verba sequentia, maxime versus finem ponderentur, evidens fit, non posse alteri, præterquam Messiæ aptari; subdit enim v. 8. *Dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ;* sed nec David, nec ullus Judæorum rex unquam illa habuit: habebit tamen Messias solus, Judæis confidentibus; v. 12. autem monet: *apprehendite disciplinam,* Hebræi legunt: *osculamini filium;* ratio datur v. 13. sequenti, eo quod *beati omnes, qui confidunt in eo;* sed non omnes beati, qui in Davide confidunt, aut alio homine puro. Multo minus vero a Socinianis negari potest, cit. Psalmo de Christo agi, cum Paulus ipse supra citatis locis eundem de Christo interpretetur; diserte ad Hebr. c. 1. v. 4. *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit; cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?*

2º. Christus eo loco dicitur Dei Filius *verus et naturalis*, non gratia, adoptione, participatione talis; quia dicitur *genitus*, quod filio vere et natura tali tantum convenit. Porro dum dicitur: *genui te*, intelligi debet *ex utero*, h. e. *substantia mea*, non vero ex nihilo; juxta Ps. 109. v. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Denique per *hodie* τὸ generatio æterna exprimitur et ante Luciferum, ut sensus sit *hodie*, hoc est, ab æterno genui te; cum enim æternitas divina contineat omnes temporis differentias, existatque semper tota, ut in ea nihil sit præteritum, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, ut ait in hunc Ps. Aug., optime per τὸ *hodie* vel *nunc* exprimitur.

*Dices* 1º. Cum Judæis: Psalmum cit. de Davide, non Messia loqui, 1º. Quia sermo est in præterito: *Quare fremuerunt... astiterunt;* si vero de Messia sermo esset, loqui decuisset in futuro. 2º. Quia etiam David *Christus Dei* dicitur, ut Ps. 17. 3º. Quia etiam v. 8. bene de Davide explicari potest; Moabitarum enim, Amalecitarum, aliarumque *gentium hereditatem* obtinuit, quarum regna dici poterant *termini terræ* Israeliticæ. 4º. Quia confidentes in Davide saltem temporaliter *beati* dici poterant.



R. N. Ass. ex dictis supra. Præterea qua proprietate, vel verisimilitudine quis dicat de Davide, quod sit a Deo *genitus*, et quidem *hodie*?

Ad prob. 1<sup>am</sup>. D. Sermo est in præterito, sed cum significatione futuri, Prophetarum phrasi et more communi C. secus N. Solent Prophetæ res futuras efferre tum in præsentia, tum in præterito, cujus rei exemplis abundant Prophetarum paginæ. Nimirum, quia futura intuebantur ut sibi præsentia, quæque, se velut videntibus et coram oculis evenirent, hinc loquebantur postea de his in præterito, respective ad revelationes et visiones præhabitas, quæ erant præteritæ; nihilominus futura adhucdum significabant.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. D. Dicitur Christus Dei antonomastice et per excellentiam, ut Messias N. in sensu minus communi et vulgari C. Per Christum hoc loco Davidem intelligi, totus Psalmus reclamatur.

Ad prob. 3<sup>am</sup>. R. N. Per terminos enim terræ absolute et simpliciter non intelliguntur unius duntaxat regni fines. Deinde loquitur in futuro, *postula et dabo tibi*, etc. sed terminos terræ Israeliticæ jam David possidebat. Sed et gentium earum regna non erant *hereditas* Davidis; illa enim sibi primum adjecerat jure belli: ait e contra textus, *dabo tibi gentes hereditatem tuam*; ergo de Messia sermo est, qui jure filiationis suæ divinæ earum potestatem, uti totius mundi, accipiet; indeque in Scriptura sæpe *rex, desiderium, expectatio gentium* dicitur.

Ad prob. 4<sup>am</sup>. R. N. Nec enim David ipse ita semper beatus fuit, ac proin multo minus in eo confidentes, nec, etsi temporaliter beatus semper fuisset, reddere sic omnes beatos potuisset. Sed neque antecedentia hanc interpretationem sustinent; immediate enim in hebraico præcedit Messias. *Osculamini filium, ne quando irascatur, scilicet iste Dei filius, cum enim exarserit ira ejus (filii), beati omnes, qui confidunt in illo*; igitur in illo antecedentia respicit, *ejus, filium*. Denique Dei solius est, vere beatos facere, qui in ipso confidunt: et Jeremias *maledictum* pronuntiat, *qui confidit in homine*.

92. Dices 2<sup>o</sup>. Cum Socinianis: 1<sup>o</sup>. Ex illo Psalmi loco saltem generatio Christi æterna et divina non evincitur; sed de resurrectione Christi, vel generatione ejus in tempore facta debet intelligi; ergo. Prob. A. Paulus ipse Act. 13. v. 32. de Christi resurrectione verba illa, *ego hodie genui te*, exponit. Imo Hebr. 5. v. 5. de Christi sacerdote. Alii vero ex Patribus de temporali generatione Christi ex matre accipiunt. 2<sup>o</sup>. Nullibi Scriptura sacra vocem *hodie* ad designandam æternitatem adhibet. Verum etiam hæc frivola sunt; nam

R. N. A. Certe enim non per hoc præcise, quod mortalium hominum instar sit natus ex matre in tempore, et resurrexerit a mortuis, est *melior angelis effectus*, qui nequidem sic nati, nec mori potuerunt; ergo ob personam suam divinam ab æterno genitam, qua illud habet præ angelis, quod sit Dei Filius natura, non adoptione et gratia ut angeli.

Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. N. Cons. 1<sup>o</sup>. enim omnes hos sensus littera amplectitur; verissime enim idem secundum naturam humanam procreatus fuit in tempore, et excitatus a mortuis, et tamen secundum divinitatem ab æterno genitus; quod clare ad litteram docet Michæas c. 5. v. 2. *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur* (juxta naturam

humanam) *qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*, juxta generationem divinam. 2<sup>o</sup>. Quia generatio Christi æterna et divina est radix et origo omnis in Christo excellentiæ, ut sacerdotii, etc. Et hoc duntaxat sensu Paulus Hebr. 5. verba illa, *genui te*, accipit.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. N. Cons. Ex hoc enim plus non sequitur, quam sublimem esse hunc loquendi modum; sicut hunc alterum, *ego sum, qui sum*, Exod. 3. Quo tamen non obstante, sicut per hunc Exod. 3. licet illo Scriptura sacra nullibi amplius utatur, recte indicamus essentiam divinam sublimissimam: ita per priorem *hodie genui te*, divinam æternamque generationem Filii.

93. ARGUMENTUM II. Ex Isaïæ 9. v. 6. et 7. ubi: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus: Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. v. 7. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum ejus sedebit, ... amodo et usque in sempiternum*. Ex quo sic: Hoc loco sermo de Messia est: atqui Messias hic prædicatur Deus; ergo. M. prob. nam 1<sup>o</sup>. versio Chaldaica expresse addit nomen Messia. 2<sup>o</sup>. Eadem mens fuit Rabbiorum veterum, teste Galatino L. 3. c. 19. 3<sup>o</sup>. Quia prædicata, quæ tribuuntur illi parvulo, nemini, præterquam Messia conveniunt, maxime quod de eodem v. 7. dicitur; omnium enim Judæorum consensu, Messias solus adeo multiplicabit imperium suum; pacem æternam afferet, sedebit super solium David in sempiternum. Min. constat ex textu. Latius hoc argumentum urget Eccl. L. 7. Demonstr. Evang. c. 4. et L. 9. c. 8., Chrysost. hom. 5. de incompreh. Dei natura.

Respondent partim Judæi, partim Sociniani 1<sup>o</sup>. Prophetam loqui de Ezechia rege; is enim admirabilis dici potest ab insigni illo miraculo in horologio regis Achaz, 4. Reg. 20. v. 2. 2<sup>o</sup>. Vox hebraica *El*, quam nos Deum vertimus, non significat Deum, sed fortem. 3<sup>o</sup>. In hebraico non est *vocabitur*; sed, *vocabit*; ut proin prædicata illa, inter quæ *El Deus* est, non parvulo illi, sed Deo convenient. 4<sup>o</sup>. Saltem prædicata illa in Jesu Nazareno locum non habent; vel 5<sup>o</sup>. etsi permittatur, de Messia hoc textu agi; nomen Dei hoc loco non proprie sumitur; sed late pro viro magno et excellenti, quo sensu Moyses dicitur Deus: *Constitui te Deum*, Exod. 7. v. 1. Item Ps. 81. v. 6. *Ego dixi: Dii estis et filii excelsi omnes*. Sed

Contra 1<sup>am</sup>. est: quod Ezechias nec dici possit *pater futuri seculi*; nec princeps pacis, *cujus non erit finis*; cum ipse gravia bella cum Assyriis gesserit, et post ipsum graviora tulerint Judæi; quin a Nabuchodonosore, capta et diruta Jerosolyma, Babylonem captivi ducti; solutaque captivitate continuo a finitimis gentibus infestati, tandem a Romanis plane subversi sint, quin per tot secula frui ipsis pace licuisset. Præterea quomodo regnum Ezechia sempiternum fuit, quod post a Babyloniis dissipatum? Item, quomodo, prophetante hæc Isaïa, Ezechias *parvulus*, qui multo ante natus erat? Sed neque ob miraculum illud Ezechias dici *admirabilis* potest, nisi impropriissime, cum proprie et vere admirabilis sit is, qui admirabilia efficit; at miraculum hoc Ezechias non patravat.

Contra 2<sup>am</sup>. est: 1<sup>o</sup>. quod *τὸ Gibbor* in textu hebraico jam significet for-



tem; ergo  $\tau\delta$  *El* saltem hoc loco idem non significat, vel secus tantologia foret: 2<sup>o</sup>. quod pro hebr. *El*, Deum reddant versiones pleraque alie, LXX., Chaldaica, Syriaca, Arabica: 3<sup>o</sup>. quia  $\tau\delta$  *El* per accentum conjungitur cum adjectivo *Gibbor*; ergo ipsum substantivi locum tenet: 4<sup>o</sup>. quia *El* substantivi partes gerens, in singulari significat semper Deum verum; est enim contractum ex *Eloah*.

Contra 3<sup>um</sup>. iterum est: 1<sup>o</sup>. quod ante novam falsorum punctorum suppositionem, veteres Rabbinii legerint in futuro passivo *ikkare*, vocabitur; testes hujus sunt versio Chaldaica, Syriaca, Arabica, et Rabbinii veteres apud Galatinum. 2<sup>o</sup>. Legendum esse in passivo, non in activo *vocabit*, ipse textus demonstrat; nam  $\tau\delta$  *nomen*, sicut predicata caetera, in hebraico in nominativo positum est; verbum igitur in passivo sit, oportet. 3<sup>o</sup>. Tam haec, *Deus fortis*, quam predicata caetera eodem in casu expressa sunt; igitur vel singula convenire debent illi parvulo, vel nullum. Sed hoc ultimum dici nequit; quia sic, in data interpretatione adversaria, parvulus ille nullum haberet nomen; quem tamen describere hic intendit Isaias, ejusque indicare nomen.

Contra 4<sup>um</sup>. est: quod in Jesu Nazareno singula conveniant. Nam *admirabilis* fuit tum in conceptione et nativitate ex Virgine per inoperationem S. Spiritus, juxta illud angeli, Luc. 1. v. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te*: tum in potentia et operatione, totaque vita. *Consiliarius* 1<sup>o</sup>. ob sapientiam et scientiam: 2<sup>o</sup>. quia docuit homines arcana Dei, caeteraque salutis media: 3<sup>o</sup>. et magis proprie fidelissime implevit consilium oeconomicae Dei de redemptione hominis. *Deus* ob unitam personam naturamque divinam. *Fortis* in passione. *Pater futuri seculi*, scilicet 1<sup>o</sup>. legis Evangelicae, quam instituit; 2<sup>o</sup>. vitae aeternae, cujus praemia nobis meruit, januamque resurgens et in caelum ascendens patefecit. *Princeps pacis*, quam Deum inter et hominem restituit. *Multiplicabitur ejus imperium*, Christi enim nostri regnum toto diffusum orbe est. Non tamen aliter haec accipienda esse, quam de pace et regno spirituali, diximus Sect. praec.

Contra 3<sup>um</sup> est: 1<sup>o</sup>. quia  $\tau\delta$  *El*, ut dictum paulo superius, substantivum in singulari positum, semper Deum, proprie sic a Judaeis vocatum, designat, utpote contractum ex *Eloah*: 2<sup>o</sup>. quia LXX. clare habent  $\Theta\epsilon\acute{o}\varsigma$ , ut proin perfide Aquila, Symmachus, Theodotion, et Lutherus susulerint nomen *Deus*: 3<sup>o</sup>. quia in Scriptura appellatio Dei simpliciter et absolute, sine ullo diminvente vel restringente, non tribuitur, nisi Deo vero; et praesertim conjuncta cum appellatione *fortis*, aut aliis ex nominibus divinis, e quibus etiam est *admirabilis*, ut constat Exod. 15. v. 11., Ps. 77. v. 13. et ex collatione Jud. 13. v. 18. Hinc patet *disparitas* ad allata exempla: Moyses, cit. loc. dicitur *Deus*; at non absolute, sed cum restrictione *Pharaonis*, ob patranda coram eo prodigia. Unde Chald. habet: *Constitui te terrorem Pharaonis*, omisso Dei nomine.

94. ARGUMENTUM III. Ex Is. 35. v. 4. et seqq. *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt; tunc saliet, sicut cervus, claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Ex quo sic argumentor: Qui hoc loco predicatur venturus, est Deus verus: sed Christus noster hoc loco predicatur venturus; ergo.

*Major prob. 1<sup>o</sup>.* Quia Deus absolute et simpliciter positus in Scriptura Deum verum significat, ut dixi in praec.: 2<sup>o</sup>. ex pronomine *ipse*, *Deus ipse* veniet, quae expressio alias frustranea esset: 3<sup>o</sup>. quia dicitur: *Ecce Deus vester*, Israelitarum; at per Israelitarum Deum in Scriptura non nisi Deus summus et verus designatur.

*Min. prob. 1<sup>o</sup>.* Quia signa illa, quae in adventu suo praenuntiat operaturus, soli Christo nostro conveniunt. Nullus Prophetarum veterum illa edidit; sed solus Jesus Nazareus, Christus et Dominus noster, tantoque numero, ut illis plena sit Evangelica historia: 2<sup>o</sup>. in specie contra Soci-nianos, Arianos novos; quia Christus ipse hanc Isaiæ prophetiam sibi applicat, Matth. 11. v. 4. discipulis a Joanne missis, an ipse Messias esset, quaerentibus respondens: *Euntes renuntiate Joanni, quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, etc.* Urgent argumentum hoc S. ATHAN. de Incarn. Verbi Dei. n. 38., S. CYPR. L. 2. cont. Jud. c. 7., EUSEB. L. 6. Demonst. c. 21. (edit. Parisiens. 1628. p. 300.)

*Dices 1<sup>o</sup>.* In hebraico  $\tau\delta$  *Deus* per accentum sejungitur a pronomine *ipse*; ergo non satis evincitur hic praenuntiarum Messiam, Deum hominem. 2<sup>o</sup>. Propheta hic alludit ad historiam Sennacherib regis (de quo c. 36. 37. seqq.) a quo Deus vere salvavit Judaeos, mittens angelum, a quo deletus Sennacherib exercitus; ergo. 3<sup>o</sup>. Quae in contextu habentur, saltem in Jesu Nazareno verificata non sunt; ergo.

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. In hebraico veteri hanc interpunctionem non esse; neque adhuc in paraphrasi Chaldaica, neque in Targum Jonathae.

Deinde permessa hac interpunctione, quid adversariis prodest? sensus enim manet nihilominus idem, eademque energia; quia pronomen *ipse* neminem alium, nisi Deum verum, respicit; quia de nemine alio, praeterquam illo, mentio praecedat.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. N. A. Quia sic Deus non *ipse* venisset; at juxta textum *Deus ipse* veniet, quod in sensu obvio, et communi interpretatione hominum idem sonat, ac veniet in persona propria. Hinc dum Deus subinde misit angelum, nunquam in Scriptura *Deus ipse* venisse dicitur.

*Ad 3<sup>am</sup>.* R. D. Non verificantur in sensu materiali C. spirituali N. Neque enim adeo insanire adversarios crediderim, ut, quae eo capite dicuntur, singula in sensu materiali accipienda putent, velut v. 1. *Latabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, etc.* alioquin et haec Ps. 113. *Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium*, ita oportebit intelligere; sed ubi Judaei ita saltantes montes viderunt? Certe neque Rabbinii, vel leviter experti, data Isaiæ verba ita crude accipiunt. In sensu vero spirituali quam optime verificata illa in Jesu Nazareno Christo nostro conspicimus: siquidem *deserta* ista, *invia*, *solitudo*, *arida*, h. e. gentilitas lege illius instituta ad veri Dei cultum, floret quasi lilium, etc. omni virtutum genere.

95. ARGUMENTUM IV. Ex Is. 45. v. 14. 15. *Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.* Ex quo haec conficitur argumentatio: haec de nullo alio, quam Messia, dicuntur; ergo hic verus Deus est, per naturam et essentiam. *Ant. prob.* Non enim haec verba ipsius Prophetæ sunt ad Deum velut per apostrophem, aut admirationem; quia Propheta praemittit: *haec dicit Dominus, Jehova*; ergo haec



dixit *Jehova*; sed ad quem, nisi Messiam? quia solus hic Salvator ille a Judæis expectatus. Igitur verba Patris sunt ad Christum. *Prob. etiam Cons.* 1°. Quia absolute et simpliciter appellatur Deus. 2°. Quia ita appellatur Deus, ut absque illo Deus non sit. 3°. Quia appellatur Deus Israelis, quo nomine verus natura et essentia Deus intelligitur communi Judæorum phrasi, et novorum consensu Arianorum, teste Bellarm. L. 4. de Christo. c. 4.

*Dices* 1°. Allata verba Cyrum spectant, de eo enim cit. Is. capite agitur. 2°. Si ad Christum pertinerent; sequeretur nimium, et contra nos, quod nec Pater, nec Spiritus sanctus esset Deus; sed Christus solus, quia dicitur, *tantum in te Deus*. 3°. Reliqua in textu non satis de Christo exponi possunt.

*Ad 1<sup>um</sup>*. R. N. A. Etsi enim ibi agatur de Cyro; isque etiam suo modo Judæorum salvator dici possit, ob donatam Judæis libertatem; non tamen Cyrus absolute et simpliciter appellari Deus potest; multo minus ita, ut absque Cyro Deus non sit. Igitur occasione Cyri, qui typus erat salvatoris Judæorum antonomastice sic dicti, h. e. Messiae, Isaias, prophetarum more, a typo ad rem significatam, a Cyro ad Messiam, rapitur.

*Ad 2<sup>um</sup>*. R. N. *seq.* Particula enim exclusiva *tantum* solum idola, angelos, aliaque etiam creata excludit, ut sensus sit: non est alia in mundo divinitas, quam illa, quæ est in te, quæ tamen simul est in Patre et Spiritu sancto. Hinc generalis est Theologorum regula: cum voces exclusivæ adduntur personis divinis in attributis essentialibus, sive communibus, illæ solum excludunt res alias, quæ aliam habent a Deo essentiam; non vero alias personas divinas; cum enim hæ eandem habeant essentiam, eadem etiam habent attributa.

*Ad 3<sup>um</sup>*. R. N. A. Nam 1°. Christo propriissime accommodatur: *in te est Deus*, quia Christi humanitati persona divina immediate unita est, illaque mediante, divina natura, ut exponit CYRILL. L. 1. in Joann. (opp. t. 4. p. 95. E.), EPIPH. hær. 57. n. 7., alique; tum quia in Christo qua Deo, etiam Pater est, ut ait S. AMBR. L. 4. de fide c. 3. n. 33., CYRILL. ALEX. in Joan. L. 1. (opp. t. 4. p. 46. C.), EPIPH. hær. 57. n. 7., ATHANAS. orat. in illud: *Omnia mihi tradita sunt a Patre*. n. 5. 2°. Recte etiam dicitur Filio: *Non est Deus absque te*, ob naturæ unitatem, quia nec Pater est Deus absque Filio, neque est alius Deus a Filio, ut exponit S. GREG. NAZIAN. orat. 49. (al. de fide orthodox. tract. 1. n. 13.) circa finem. 3°. Vere etiam appellatur *Deus absconditus* ob assumptæ humanitatis sacramentum, ait S. HIER. Item Deus Israel, Salvator, h. e. Jesus. Sic ex hac prophetia argumentatur TERTULL. cont. Praxeam. c. 43., EUSEB. L. 5. Præpar. c. 4., HILARIUS L. 4. de Trinit. n. 38. et seqq.

ARGUMENTA alia pluraque pertractant alii, maxime EUSEB. LL. Demonstr. et Præparat., S. CYPR. cont. Judæos., S. CHRYS. hom. quod Christus sit Deus., hom. 5. de incompreh. natura Dei., S. AMBR. L. 2. de Fide c. 3., S. AUG. L. 20. de Civ. c. ult. quos consulat, qui alia, præter allata, desiderat.

## ARTICULUS III.

VERA JESU CHRISTI DIVINITAS DEMONSTRATUR AMPLIUS CONTRA HÆRETICOS EX TESTAMENTO NOVO ET ANTE-NICÆNIS PATRIBUS.

Ex pluribus novi Testamenti testimoniis de vera Jesu Christi divinitate ea iterum duntaxat, quæ sequuntur, quia abunde sufficiunt, delibamus. Et quoniam Sociniani veram divinitatem Filii, sicut totius Trinitatis dogma, ignoratam fuisse clamitant ante Concilium Nicænum, sed ab hoc primum intemperanti in Arium odio decretam, injuriosa hæc eorum assertio impune, ac sine confutatione transmitti non potuit. Proinde sit

96. ARGUMENTUM I. Ex Joan. 1. v. 1. ubi, dum divinam Christi generationem, quod nullus ante Evangelistarum fecerat, declarandam sumit, ita de illo inquit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, etc. Unde sic: Hic sermo est de Christo, confitentibus Socinianis, Arianis novis, et antiquis; nam sermo est de Verbo, quod caro factum est. *Subs.* Atqui Verbum caro factum hic assertitur Deus verus; ergo Christus est Deus verus. *Prob. subs.* quia appellatur Deus absolute et simpliciter, sine addito restringente vel diminutive, *et Deus erat Verbum*. Juxta regulam vero priore Articulo datam, vox *Deus* ita simpliciter posita nulli nisi Deo vero et summo in Scriptura tribuitur.

*Respondent* 1°. S. Evangelista ante dixerat, *et Verbum erat apud Deum*, sed præpositio *apud* diversitatem sonat; nihil enim, ut recte S. CYRILL. in Joan. (L. 1. p. 13. D.) ait, apud semetipsum esse dicitur; ergo Verbum a Patre diversum est; proin non consubstantiale, nec verus Deus. Sed

*Contra est*, quod præpositio *apud* hic revera diversitatem, h. e. distinctionem sonet, non quidem naturæ, sed personæ; ideoque a S. Joanne adhibita, ut illam personarum distinctionem innueret. Hocque ipsum est, quod S. CYRILLUS spectat, ex hoc textu Sabellianos impugnans, qui unam duntaxat eandemque in Patre et Filio, sicut in Trinitate universim, personam assererant. Unde argumentum S. CYRILLI erat: si Filius, sicut naturam eandem cum Patre, ita etiam habeat eandem cum illo personam, quomodo de Verbo dici potest: erat apud Deum? *Quomodo enim, quod unum numero est, ipsum apud seipsum esse intelligitur*. At vero S. Joannes, ne quis ex dicto suo, *Verbum erat apud Deum*, inferret: ergo ipsum non erat Deus; provide hoc antevertit dicens: *Et Deus erat Verbum*; innuens esse idem simul cum Patre Deum, eandem cum illo habens naturam.

*Respondent* 2°. In græco ante vocem Θεός, *Deus*, non habetur articulus emphaticus ὁ, qui tamen semper præponi solet, et tantum, quando de Deo vero et summo sermo est. At

*Contra est* 1°. Falsum est illud adversariæ partis suppositum; nam 1°. nequidem in hoc ipso c. 1. Joan. semper ille articulus præfigitur Deo vero et summo, velut v. 6. *Fuit homo missus a Deo*. Item nec v. 12. 13. 18. nec semper alibi, Matth. 14. v. 13., Rom. 1. v. 7. etc. 2°. Etiam articulus ille sæpe



dixit *Jehova*; sed ad quem, nisi Messiam? quia solus hic Salvator ille a Judæis expectatus. Igitur verba Patris sunt ad Christum. *Prob. etiam Cons.* 1°. Quia absolute et simpliciter appellatur Deus. 2°. Quia ita appellatur Deus, ut absque illo Deus non sit. 3°. Quia appellatur Deus Israelis, quo nomine verus natura et essentia Deus intelligitur communi Judæorum phrasi, et novorum consensu Arianorum, teste Bellarm. L. 4. de Christo. c. 4.

*Dices* 1°. Allata verba Cyrum spectant, de eo enim cit. Is. capite agitur. 2°. Si ad Christum pertinerent; sequeretur nimium, et contra nos, quod nec Pater, nec Spiritus sanctus esset Deus; sed Christus solus, quia dicitur, *tantum in te Deus*. 3°. Reliqua in textu non satis de Christo exponi possunt.

*Ad 1<sup>um</sup>*. R. N. A. Etsi enim ibi agatur de Cyro; isque etiam suo modo Judæorum salvator dici possit, ob donatam Judæis libertatem; non tamen Cyrus absolute et simpliciter appellari Deus potest; multo minus ita, ut absque Cyro Deus non sit. Igitur occasione Cyri, qui typus erat salvatoris Judæorum antonomastice sic dicti, h. e. Messiae, Isaias, prophetarum more, a typo ad rem significatam, a Cyro ad Messiam, rapitur.

*Ad 2<sup>um</sup>*. R. N. *seq.* Particula enim exclusiva *tantum* solum idola, angelos, aliaque etiam creata excludit, ut sensus sit: non est alia in mundo divinitas, quam illa, quæ est in te, quæ tamen simul est in Patre et Spiritu sancto. Hinc generalis est Theologorum regula: cum voces exclusivæ adduntur personis divinis in attributis essentialibus, sive communibus, illæ solum excludunt res alias, quæ aliam habent a Deo essentiam; non vero alias personas divinas; cum enim hæ eandem habeant essentiam, eadem etiam habent attributa.

*Ad 3<sup>um</sup>*. R. N. A. Nam 1°. Christo propriissime accommodatur: *in te est Deus*, quia Christi humanitati persona divina immediate unita est, illaque mediante, divina natura, ut exponit CYRILL. L. 1. in Joann. (opp. t. 4. p. 95. E.), EPIPH. hær. 57. n. 7., alique; tum quia in Christo qua Deo, etiam Pater est, ut ait S. AMBR. L. 4. de fide c. 3. n. 33., CYRILL. ALEX. in Joan. L. 1. (opp. t. 4. p. 46. C.), EPIPH. hær. 57. n. 7., ATHANAS. orat. in illud: *Omnia mihi tradita sunt a Patre*. n. 5. 2°. Recte etiam dicitur Filio: *Non est Deus absque te*, ob naturæ unitatem, quia nec Pater est Deus absque Filio, neque est alius Deus a Filio, ut exponit S. GREG. NAZIAN. orat. 49. (al. de fide orthodox. tract. 1. n. 13.) circa finem. 3°. Vere etiam appellatur *Deus absconditus* ob assumptæ humanitatis sacramentum, ait S. HIER. Item Deus Israel, Salvator, h. e. Jesus. Sic ex hac prophetia argumentatur TERTULL. cont. Praxeam. c. 43., EUSEB. L. 5. Præpar. c. 4., HILARIUS L. 4. de Trinit. n. 38. et seqq.

ARGUMENTA alia pluraque pertractant alii, maxime EUSEB. LL. Demonstr. et Præparat., S. CYPR. cont. Judæos., S. CHRYS. hom. quod Christus sit Deus., hom. 5. de incompreh. natura Dei., S. AMBR. L. 2. de Fide c. 3., S. AUG. L. 20. de Civ. c. ult. quos consulat, qui alia, præter allata, desiderat.

## ARTICULUS III.

VERA JESU CHRISTI DIVINITAS DEMONSTRATUR AMPLIUS CONTRA HÆRETICOS EX TESTAMENTO NOVO ET ANTE-NICÆNIS PATRIBUS.

Ex pluribus novi Testamenti testimoniis de vera Jesu Christi divinitate ea iterum duntaxat, quæ sequuntur, quia abunde sufficiunt, delibamus. Et quoniam Sociniani veram divinitatem Filii, sicut totius Trinitatis dogma, ignoratam fuisse clamitant ante Concilium Nicænum, sed ab hoc primum intemperanti in Arium odio decretam, injuriosa hæc eorum assertio impune, ac sine confutatione transmitti non potuit. Proinde sit

96. ARGUMENTUM I. Ex Joan. 1. v. 1. ubi, dum divinam Christi generationem, quod nullus ante Evangelistarum fecerat, declarandam sumit, ita de illo inquit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, etc. Unde sic: Hic sermo est de Christo, confitentibus Socinianis, Arianis novis, et antiquis; nam sermo est de Verbo, quod caro factum est. *Subs.* Atqui Verbum caro factum hic asseritur Deus verus; ergo Christus est Deus verus. *Prob. subs.* quia appellatur Deus absolute et simpliciter, sine addito restringente vel diminutive, *et Deus erat Verbum*. Juxta regulam vero priore Articulo datam, vox *Deus* ita simpliciter posita nulli nisi Deo vero et summo in Scriptura tribuitur.

*Respondent* 1°. S. Evangelista ante dixerat, *et Verbum erat apud Deum*, sed præpositio *apud* diversitatem sonat; nihil enim, ut recte S. CYRILL. in Joan. (L. 1. p. 13. D.) ait, apud semetipsum esse dicitur; ergo Verbum a Patre diversum est; proin non consubstantiale, nec verus Deus. Sed *Contra est*, quod præpositio *apud* hic revera diversitatem, h. e. distinctionem sonet, non quidem naturæ, sed personæ; ideoque a S. Joanne adhibita, ut illam personarum distinctionem innueret. Hocque ipsum est, quod S. CYRILLUS spectat, ex hoc textu Sabellianos impugnans, qui unam duntaxat eandemque in Patre et Filio, sicut in Trinitate universim, personam asseriebant. Unde argumentum S. CYRILLI erat: si Filius, sicut naturam eandem cum Patre, ita etiam habeat eandem cum illo personam, quomodo de Verbo dici potest: *erat apud Deum? Quomodo enim, quod unum numero est, ipsum apud seipsum esse intelligitur*. At vero S. Joannes, ne quis ex dicto suo, *Verbum erat apud Deum*, inferret: ergo ipsum non erat Deus; provide hoc antevertit dicens: *Et Deus erat Verbum*; innuens esse idem simul cum Patre Deum, eandem cum illo habens naturam.

*Respondent* 2°. In græco ante vocem Θεός, *Deus*, non habetur articulus emphaticus ὁ, qui tamen semper præponi solet, et tantum, quando de Deo vero et summo sermo est. At

*Contra est* 1°. Falsum est illud adversariæ partis suppositum; nam 1°. nequidem in hoc ipso c. 1. Joan. semper ille articulus præfigitur Deo vero et summo, velut v. 6. *Fuit homo missus a Deo*. Item nec v. 12. 13. 18. nec semper alibi, Matth. 14. v. 13., Rom. 1. v. 7. etc. 2°. Etiam articulus ille sæpe



præfigitur, licet de Diis falsus sermo sit, Act. 7. v. 43., 2. Cor. 4. v. 4., Gal. 4. v. 8. 3°. Atqui saltem alibi Christum ille articulus præit, Rom. 9. v. 5, de quo loco statim infra agemus.

*Contra est* 2°. Præscindendo etiam a modo dictis, ratio omissi illius articuli apte redditur, quod Græci articulum præponere soleant magis subjecto, quam prædicato; hic vero *Deus*, licet ponatur initio, prædicati locum, *Verbum* vero subjecti tenet.

97. ARGUMENTUM II. Ex Joan. 10. v. 30. ubi inquit Christus: *Ego et Pater unum sumus*; ex quo tale ducitur argumentum: Christus per ea verba declarat, se habere unam cum Patre essentiam; ergo. *Prob. A.* 1°. Hic enim est sensus obuius et naturalis istorum, *unum sumus*; præsertim si jungantur illa v. 38. *Pater in me est, et ego in Patre.* 2°. Ex scopo Christi ea verba proferentis; argumentum enim Christi eo loco erat hoc: nemo potest rapere oves de manu Patris, quia Pater est major omnibus; ergo neque de manu mea; quia *Ego et Pater unum sumus*, h. e. eandem habemus manum, sive ejusdem sumus potentia: sed potentia Dei est essentia; ergo idem erat, ac dicere: quia *eandem habemus essentiam.* 3°. Adeo clare hic Christus prædicabat essentia suæ cum Patre unitatem, ut idcirco lapidibus eum obruere Judæi decernerent v. 33. *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Et tamen 4°. hanc Judæorum opinionem non corripuit Christus; sed confirmabat argumentis novis, petitis ex operibus suis v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite.* Sic quoque hac in causa Joan. 5. v. 18. non corripuit Judæos, sed sua amplius in opinione confirmabat.

*Dicunt* 1°. Christus Joan. 10. ait, se ita esse unum cum Patre, et se esse in Patre et Patrem in ipso, sicut (Joan. 17. v. 41.) orabat pro discipulis Patrem, ut sint unum sicut nos, et sicut se Christus ait esse in eis v. 23.: atqui hic intelligit tantum unitatem concordia; ergo.

*R. N. M.* Joan. 10. Christum non intelligere unitatem concordia, sed essentia, patet ex scopo Christi ibid. et rationibus datis. Præterea si Christus posterioribus verbis significare duntaxat voluisset, se esse in Patre et Patrem in ipso, eo modo, quo justii dicuntur esse in Deo, et hic in illis unione morali per gratiam, non necesse habuisset confugere ad opera sua: *operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre*; cum enim Judæi putarent Christum esse purum hominem, non alio modo credebant Christum esse in Deo, quam quo sunt homines ceteri.

*Dicunt* 2°. Christus Joan. 10. revera intellexit tantum unitatem moralem, et eo duntaxat modo se esse in Patre, quo filii adoptivi. Ait enim v. 34. quod eo solum modo se dixisset Filium Dei, quo olim Judicis et Prophetæ dicti sunt *Dii*: ita enim porro refert S. Evangelista: *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi: Dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est: ... quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemias: quia dixi, Filius Dei sum.*

*R. N. A. et prob.* Illa enim Christi argumentatio non est *a pari*, ut Sociniani putant, sed est *a minori ad majus*; et sensus est: si homines a Deo principes constituti, et prophetæ, in lege appellantur *Dii*; quanto magis ego

me dico *Deum*, utpote qui sanctificatus sum a Patre, sanctitate substantiali, per unionem hypostaticam; et ab eo missus in mundum ad vitam largiendam hominibus. Deinde ad miracula provocat: *Si non facio opera Patris mei*, etc. Sed ad probandam sanctitatem accidentalem, unitatem moralem cum Deo per gratiam, hoc frustra fecisset; neque enim propterea a Judæis blasphemus habebatur, neque haberi poterat.

98. ARGUMENTUM III. Ex 1. Joan. 5. v. 20. *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.* Ex quo hæc duplex conficitur ratiocinatio: 1°. Christus hic prædicatur veri Dei *verus Filius*, quod idem sonat ac *naturalis*, nunquam enim filii adoptivi dici possunt filii veri. *Infero*: ergo est vere Deus; verus enim Filius ejusdem debet nature esse, cujus est Pater. 2°. Etiam Socinianorum consensu per *verum Deum* designatur Deus summus et verus; inde enim voluit nomen veri Dei proprium esse Patris. *Subs.* Atqui etiam Christus hoc textu asseritur Deus verus: *et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus*; ergo.

*Respondent*: hæc: *Hic est verus Deus*, non pertinere ad Filium, sed ad Patrem, de quo etiam in hoc textu fit mentio, ut sensus sit iste: et simus in vero Filio ejus, h. e. Patris, qui *Pater est verus Deus.* Sed

*Contra est* 1°. Quod, stante expositione illa, textus fieret identicus et negatorius; sensus enim fieret: *ut cognoscamus verum Deum. Hic est verus Deus.* 2°. Ex textu græco illa interpretatio refellitur; in hoc enim ante demonstrativum hic præcedit Jesu Christi expressum nomen: *in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus.* Igitur ultima verba illa: *Hic est verus Deus, Filium, non Patrem, respiciunt.*

99. ARGUMENTUM IV. Ad Rom. 9. v. 5. de Christo sic disserit Paulus: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Ex quo ita decretorie contra Socinianos concluditur: Deus, qui est *super omnia*, est *Deus verus et summus*; nihil enim, nisi summus Deus est *super omnia*: sed Christus est Deus *super omnia*, sic enim verba sonant; ergo.

*Respondent*: Christum hoc loco non dici Deum verum, quia de eo prædicatur Deus cum addito, *super omnia*, scilicet creata; ut vero vox *Deus*, phrasi Scripturæ, denotet Deum verum, simpliciter et absolute poni debet sine addito. Verum

*Contra est*: quod, ut vox *Deus* designet Deum summum et verum, debeat quidem poni sine addito *restringente*, vel *imminente*; non tamen sine tali addito, quo magis ipsa Dei essentia, et attributa exprimuntur; alioquin neque ipse Pater Deus summus et verus dici posset; eodem enim modo de illo ait Apostolus ad Ephes. 4. v. 6. *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes.* Per illa vero, *super omnia* summa Dei perfectio exprimitur. Numquid etiam in lege Deus summus frequenter additis variis nominibus ponitur, aliisque prædicatis, ut *Deus fortis*, *Deus Israel*, *Deus Jacob*, etc.? quia tamen hæc similia non sunt restringentia vocis *Dei*, sed singularem energiam continent, vero Deo non officiant.

Neque alicujus momenti est, quod circa illum textum: *qui est super omnia*



*Deus*, arguitur Erasmus apud Bellarminum hic; posse verba ea referri ad Patrem per exclamationem; si post illa: *ex quibus est Christus*, pro comitate substituatur punctum; et vero ita legi apud S. CHRYSOSTOMUM.

Nam 1<sup>o</sup>. neque res subjecta, neque verba hanc ad Patrem exclamationem patiuntur; articulus enim  $\delta$  cum participio  $\delta\upsilon$ , *qui est*, sive *hic existens* relativus est, sententiam non inchoans, sed continuans. 2<sup>o</sup>. In editione Veronensi S. CHRYSOSTOMI hoc punctum non reperitur, quæ tamen editio emendatior est: sed extat tantum in versione CHRYSOSTOMI latina, auctore Germano Brixio; qua vero ratione in hanc irreperit, incertum est; certe contra mentem S. CHRYSOSTOMI id factum, qui hom. 3. in Joan. verba illa, *qui est super omnia Deus*, non ad Patrem, sed ad Christum ipse refert. Demum esto, in S. CHRYSOSTOMO latino Germani Brixii habeatur punctum; an propterea corrigendi omnes Bibliorum codices, græci et latini, qui pariformiter comma vel virgulam, non punctum referunt? vel annon potius ab his corrigendus latinus CHRYSOSTOMI editor, cum nihil facilius, quam scriptoris unius incertia irreperere punctulum, imo quod usque adeo, ut addit Bellarminus, ab insidente musca relinqui potuit?

ARGUMENTUM V. Ex Ante-Nicænis Patribus; quo pateat impudentia mendacii Socinianorum, dogma de divinitate Christi ante Concilii Nicæni tempus nunquam creditum fuisse in Ecclesia. Sit ex illis primus

S. IGNATIUS M., qui Antiochiæ sedere cœpit anno Christi 71. Is vero epist. ad Magnesianos, n. 8. *Unus, inquit, est Deus, qui se ipsum manifestum reddidit per Jesum Christum Filium suum, qui est ipsius Verbum sempiternum, non post silentium progressum.* Quibus diserte significat, ab omni æternitate processisse a Deo Patre Filium, eundemque esse Verbum; nam *progredi*, procedere, hic nihil est aliud, quam esse genitum. Neque potest locus hic detorqueri ad Socinianorum placitum, dum Christum alias aiunt appellari *Verbum*, vel *sermonem metonymice*, quod Dei summi verique sermones asportantur hominibus. Nam S. IGNATIUS ait hunc Jesum Christum esse *Verbum sempiternum*, quia *non progressum post silentium*, more scilicet verbi humani, quod post silentium ruptum oritur, et deficit in silentium; cui proinde Christum, Verbum, opponit; at si *metonymice* in dato sensu duntaxat *verbum* esset; neque esset progressum *post silentium*, neque oppositum verbo humano. Et epist. ad Philipp. (Biblioth. magn. PP. t. 11. p. 17. A. et E.) *Non in unum trinominem, nec in tres incarnatos, sed in tres ejusdem honoris credendum esse; ac inferius: Si Deus et homo est, cur iniquum vocas Dominum glorie?*

S. JUSTINUS, qui sec. II. floruit, in Apologia 2<sup>a</sup>. ad Senatam, n. 6. *Filius ejus, ait, qui solus proprie dicitur Filius; Verbum simul cum illo ante creaturas et existens, et nascens, quoniam per eum primitus cuncta condidit et ornavit.* Quo testimonio nihil pro generatione divina Christi potest dici expressius. Amplius eundem Filium vere Deum esse, consubstantialem Patri, ostendit in Dialogo cum Tryphone, traditque Christum in T. V. *Deum et Dominum, Dominum virtutum, Deum Israelis*, quæ Socinianis consentientibus vero summo Deo propria sunt nomina, compellari: ipsumque esse, qui Abraham, Moysi et Patriarchis apparuit; quique nomine tetragrammato a Spiritu sancto nuncupatur.

S. IRENEUS, qui eodem vixit seculo, L. 3. cont. Hæreses c. 6. n. 4. late

probat divinitatem Christi; *Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli cum, qui non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset vere Deus... Quis Deus? de quo dixit, Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit, hoc est filius.* Hocque uberius urget c. 8. 12. et seqq. Ac tandem c. 20. (al. 18. n. 2.) *Exclusa est, ait, omnis contradictio dicentium: si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Christus; ostendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei, existens semper apud Patrem.*

CLEMENS ALEXANDRIN. in Admonit. ad Græcos, seu gentes (opp. p. 5. D. et 68. D. edit. Paris 1629.) *Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus et Homo... Verbum divinum, qui revera est Deus manifestissimus, qui est universorum Domino exæquatus; quoniam erat ejus Filius, et Verbum erat in Deo.* Et L. 1. Pædag. c. 8. (opp. p. 113. C.) *Nihil odio habet Deus, neque Verbum; utrumque enim unum est, nempe Deus.*

His addi potest ANTIOCHENA SYNODUS habita sec. III. hanc esse traditionem, ab Apostolis usque eo, de Christo vero Deo in Ecclesia fideliter servatam, affirmans; dum e contra testatur ATHANASIUS epist. de decretis Nicænæ Synodi n. 27. Arianos ne unum ex veteribus pro suo impio dogmate afferre potuisse. Plures vero Patrum sententias leges in Bellarm. hic, in Petavio, t. 2. Theol. Dogm. aliisque.

Nota. Argumenta contra dogma catholicum sumunt adversarii tum ex SCRIPTURA SACRA, tum ex PATRIBUS, tum ex RATIONE. Scripturæ textus, qui opponi solent, omnes ad tres classes reducimus. Prima est eorum, quibus solus Pater asserti videtur Deus summus et verus. Altera illorum, quibus de Christo affirmari videntur, quæ vero Deo convenire non possunt. Tertia denique aliorum, quibus abnegari Christo videntur, quæ vero Deo sunt essentialia. Igitur

100. Obj. I. Cum Crellio Socinianorum Achille. Solus Pater, etiam cum exclusionem Filii et Spiritus sancti, in S. Scripturis assertitur Deus; ergo. Prob. Ant. 1<sup>o</sup>. Joan. 17. v. 3. Christus ipse inquit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Atqui hic solus Pater assertitur Deus, etiam cum exclusionem Filii et Spiritus sancti; ergo. Prob. min. Particula exclusiva *solum* excludit a communione prædicati omnes, præter eum, cui apponitur: atqui cui apponitur, est Pater; ergo. 2<sup>o</sup>. Ex 1. Cor. 8. v. 6. *Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos per illum; et unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Sed hic Apostolus explicat, quis sit ille unus Deus, et simpliciter ait esse Patrem; ergo. 3<sup>o</sup>. Ex 1. Tim. 2. v. 5. *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Atqui hic per unum Deum intelligitur Pater; nam primo inter hunc et homines Christus Mediator est. Secundo si Christus etiam esset ille unus, et idem cum Patre Deus; ergo esset Mediator etiam inter semetipsum et homines: sed hoc est absurdum; ergo.

R. N. Ant. Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. N. Supp. quod particula exclusiva *solum* appellet super pronomen *te*, quod pertinet ad Patrem; sed afficit hæc sequentia, *verum Deum*, cumque his connecti debet, ut sensus sit, *ut cognoscant te, qui solus es verus Deus*; nam in textu græco inter particulam *solum* et inter



verum Deum interponitur articulus  $\tau\acute{o}\nu$  illum hoc modo, ut cognoscant te solum illum verum Deum; sic vero, opera intervenientis illius articuli, particula *solus* se jungitur a pronomine *te*, trahiturque ad sequentia, *verum Deum*. Sed ita præcipua Crellii machina corrumpitur; non enim ideo, quia Pater est ille Deus, qui solus est verus Deus, excluditur Filius; nam diversissima hæc sunt: solus Pater est Deus, vel habet veram divinitatem: et Pater est ille Deus, qui est solus verus Deus; vel, habet eam divinitatem, quæ est sola vera divinitas. Licet igitur etiam Filius et Spiritus sanctus dicantur verus Deus; manebit tamen, quod sit unus solus verus Deus, una sola vera divinitas; eo quod eandem numero habeant cum Patre divinam essentiam. Favet etiam huic responsioni versio latina, quæ post pronomen *te* habet comma, ut cognoscant te, solum Deum verum.

R. 2<sup>o</sup>. Permisso, non concesso, quod particula exclusiva *solus* Patrem afficiat; N. min. Prob. D. Excludit a communione prædicati omnes personas extraneas, alienas, ut falsos gentilium Deos C. Personas Deo internas; quæ sunt ejusdem cum illo naturæ N. Neque enim particula exclusiva *solus* semper omnia omnino a communione prædicati excludit: sed subinde res, vel personas determinatas, propter quas excludendas prædicato opponitur. Luc. 9. v. 6. voce de cælo facta, *hic est Filius meus dilectus...* de Christo dicitur: *inventus est Jesus solus*; ubi per  $\tau\acute{o}$  *solus* excluduntur Moyses et Elias, qui non amplius videbantur; non vero Petrus, Joannes et Jacobus, qui nihilominus aderant. Sic Joan. 16. v. 32. dum ait Christus: *me solum reliquistis*, soli excluduntur discipuli, ut patet ex adjectis: *et non sum solus, quia Pater mecum est*. Sicut igitur hic Christus se dixit relictum solum, et non solum diverso respectu; ita Pater dicitur solus verus Deus respectu falsorum numinum; non vero solus respectu Filii et Spiritus sancti ejusdem secum naturæ. Similia exempla alia passim in Scripturis extant. Sic 1. Cor. 2. v. 2. ait Paulus: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum*, h. e. hunc solum. Act. 4. v. 12. *Non est in aliquo alio salus, nisi in Christo*; nullibi excludit Patrem.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. D. min. Explicat quis sit unus Deus, excludendo Deos falsos C. secus N. Opponit enim eo loco Apostolus Deo vero Deos falsos: *Scimus*, inquit immediate ante, *quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus*: Nam etsi sunt, qui dicantur dii sive in cælo, sive in terra (*siquidem sunt dii multi et domini multi*) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum, etc. Eo igitur modo unum Deum hic vocat Apostolus Patrem, quo modo unum Dominum ait esse Jesum Christum; sicut ergo dum Christum dicit unum Dominum, non ab hoc titulo excludit Patrem, sed alios tantum; ita dum unum Deum dicit Patrem, non propterea a divinitatis consortio excludit Filium et Spiritum sanctum, sed falsa tantum numina.

Ad prob. 3<sup>am</sup>. R. N. min. Neque divinitati Filii quidquam officit titulus Mediatoris; neque in hoc absurdum quid est, quod Christus qua homo sit Mediator inter homines et se ipsum, qua Deus est. Nimirum Mediator est Christus, ut est homo subsistens persona Verbi; ita ut principium elicivum operationum nos Deo reconciliantium sit natura humana; dignificativum vero duntaxat persona Verbi; nihil vero in hoc absurdi. Quin addo contra adversarios in hoc præsentis decretorum ordine, quo Deus hominem non

nisi via condignæ satisfactionis reparare statuit, Mediator esse non posset, nisi Deus esset homo, vel creatura rationalis; quia alias actiones theandricæ fieri non possent, neque proin condignæ.

101. Obj. II. Multa in Scripturis divinis affirmantur de Christo, quæ vero Deo convenire non possunt; ergo. Prob. Ant. 1<sup>o</sup>. Dicitur *creatus*, Prov. 7. v. 22. *Dominus creavit me initio viarum suarum*, ut habent LXX. Item Eccl. 24. *ab initio et ante secula creata sum*. Tribuuntur autem verba hæc incarnatæ Sapientiæ, quæ Christus est. Dicitur *factus*, Joan. 1. v. 15. *Qui post me venturus est, ante me factus est*, aiebat S. Joannes Baptista: item Gal. 4. Dicitur *primogenitus omnium creaturæ*, Coloss. 1. v. 15. Igitur et ipse creatura est. 2<sup>o</sup>. Christus ipse se Patre minorem profitebatur, Joan. 14. 28. *Pater major me est*. Unde et illius præceptis subjectus fuit, Joan. 15. v. 10. et 1. Cor. 15. v. 28. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse subjectus erit ei*. Item, supplices preces Patri obtulit. Hæc vero inferioritatem aliquam in Christo arguunt. 3<sup>o</sup>. Sepe in Scripturis Christus simpliciter dicitur *homo, filius hominis, sacerdos*, a Patre missus. Quæ singula prædicari de Deo summo et vero non possunt.

R. D. Ant. Multa sic affirmantur de Christo secundum naturam ejus humanam C. secundum divinitatem N. Ita quod sit minor Patre, passus, et similia, de Christo juxta naturam ejus humanam prædicantur. Sub hac distinctione transmissio Antecedente, in specie

Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. 1<sup>o</sup>. Si Christus sit creatus ante secula,  $\tau\acute{o}$  *creatus* sumendo pro productione rei ex nihilo, quomodo igitur subsistet adversarium dogma, Christum non extitisse ante Mariam?

R. 2<sup>o</sup>. D. Dicitur *creatus, factus*, secundum naturam humanam, et quidem in tempore C. secundum divinitatem Subd. *Creatus, factus*, h. e. genitus C. Productus e nihilo N.

Nam 1.  $\tau\acute{o}$  *creare* apud Hebræos etiam largius sumitur, ita ut eorum phrasi *creari* dicatur, quidquid ab alio, modo quocumque, originem accipit: sic sumitur Ps. 50. *Cor mundum crea in me Deus*; et Ps. 101. *Populus, qui creabitur, laudabit Dominum*. 2. Apud Græcos vero *creare* et *generare* promiscue usurpantur, ut Ps. 89. v. 2., Deut. 32. v. 48. in quibus locis verbum græcum idem nunc creationem, nunc generationem apud LXX. significat. 3. Etiam apud Latinos, observante Hieron. in c. 4. ad Ephes.; unde et parentes dicuntur *procreare* liberos. Cur vero *processio* Verbi nunc *generatio* dicatur, nunc *creatio*, rationem dat S. THOMAS 4. cont. gent. c. 8. ex S. HILAR. L. de Synod. n. 17. Ut ita Verbo tribuatur, quidquid est perfectionis; removeatur e contra, quod est imperfectionis: *In generatione*, ait S. Doctor, *quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est; sed in generationibus quæ sunt apud nos, generans ipse mutatur, quod imperfectionis est: in creatione vero creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo simul Filius creatus et genitus, ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, ex generatione unitas naturæ in Patre et Filio.*

Dum vero ante S. Joannem Baptistam *factus* dicitur, sensus est, quod illum in prædicando præcedat dignitate, ut patet ex causali immediate subjecta: *quia prior me erat*; scilicet generatione æternâ (nam generatione



humana vel temporali prior erat Joannes), ideoque longe me dignior, *cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, v. 27.

Postremum etiam D. Dicitur primogenitus omnis creaturæ, hoc sensu, quod sit creaturarum prima N. quod sit genitus, antequam fieret ulla creatura C. Nam Joan. 1. v. 18. *unigenitus dicitur, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*; sed si esset creaturarum una, non esset unigenitus. Recte etiam, secundum generationem ejus in tempore, juxta naturam humanam *primogenitus omnis creaturæ* dici potuit ab Apostolo, non quidem eo sensu, quod omnes præeat tempore, sed quia primatu et dignitate, *ut sit ipse primatum tenens in omnibus*, v. 18. *ibid.*

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. D. 1<sup>am</sup>. Patre se *minorem* profitetur ratione humanitatis assumptæ C. divinitatis suæ N. Secundum hanc enim æqualem se Patri docet: *ego et Pater unum sumus*, Joan. 10. Quod vero priore loco se *minorem* solummodo dicat ratione humanitatis suæ, patet inde, quia loquitur de suo ad Patrem reditu; ergo ea sub ratione se dicit *minorem* Patre, sub qua erat ad illum rediturus sub ratione divinitatis suæ, vel naturæ divinæ; secundum hanc enim semper in Patre fuit, et hic in illo, Joan. 10.; sed tantum ratione humanitatis; ergo.

Sic quoque, ratione humanitatis tantummodo, Patri *subjectus fuit*; ad eum *preces supplices fudit*; *præcepta implevit*; qualia tamen hæc præcepta fuerint, quomodo libere impleverit, suo loco dicemus, cum ea pertractare nondum hujus loci sit. Ac demum hoc sensu explica, quæ in prob. 3<sup>a</sup>. afferbantur.

102. Obj. III. illos Scripturæ textus, quibus quædam abnegari videntur Christo, quæ tamen Deo vero competunt, hoc modo: Deo vero et summo essentialis est omnipotentia, summa potestas, bonitas, perfecta scientia: atqui hæc Scripturæ divinæ Christo denegant; ergo. Prob. *min.* per partes. Nam 1<sup>o</sup>. denegatur omnipotentia, Joan. 5. v. 19. *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*; ergo. 2<sup>o</sup>. Summa potestas, Matth. 20. v. 23. *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis*. 3<sup>o</sup>. Bonitas, Matth. 10. v. 18. *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus*. 4<sup>o</sup>. Perfecta scientia, Marc. 13. v. 32. *De die illo, vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater*; ergo.

R. N. *min.* Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. N. *Cons.* Statim enim subdit Christus; *quæcumque enim ille (Pater) fecerit, hæc et Filius similiter facit*. Filius ergo nihil facere a se ipso dicitur; tum quia, quidquid habet Filius, id a Patre per generationem accipit; tum quia est eadem utriusque Patris et Filii voluntas et natura, ut proin Filius nihil a se, h. e. solo, faciat sine Patre; opera enim ad extra, de quibus Joan. 5. loquitur Christus, indivisa sunt, et tribus personis communia.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. D. Non est meum, h. e. non est æquitatis meæ, vel decentiæ, dare vobis jure propinquitatis, vel ex affectu sanguinis et carnis, ut postulatis C. non est meæ potestatis absolute dare vobis N. Christum reipsa omnem habere potestatem, diserte docet ipse, Matth. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*; sed quia mater filiorum Zebedæi primas sedes petebat pro filiis, propinquitatis præcise titulo, et ambitione muliebri; sapienter respondit Christus, non esse suum, primas in regno

suo sedes ita, ut cogitabant, distribuere; sed se, exemplo Patris, non carnales affectus attendere, sed merita: hinc prius passionis calicem ipsis hauriendum obtulit.

Ad prob. 3<sup>am</sup>. R. Non hic *se bonum* negat; sed ita respondebat apposite ad informandum adolescentem illum divitem: cum enim is Christum purum esse hominem putaret, eum tamen *bonum* compellaret; innuit Christus, non puro homini, sed soli Deo hoc prædicatum competere: *quid me bonum dicis, quem purum hominem putas? nemo bonus, nisi unus Deus*; i. e. si bonum vocas, ergo me Deum crede, vel bonum me non appella, ut ait S. Aug. L. 2. cont. Maxim. c. 23. n. 5.

Ad prob. 4<sup>am</sup>. R. D. Ait se nescire diem illum, vel horam cum restrictione et relative ad circumstantias C. se nescire simpliciter et absolute N. *Quomodo enim nescivit judicii diem*, ait S. Ambros. de Fide L. 5. c. 16. n. 203. *qui et horam judicii, et locum, et signa expressit et causas? horam, Luc. 17., locum, Matth. 24., signa præambula ad apicem, Luc. 21. et quidem hoc ipso Marc. 13. v. 24.? Ait igitur, se nescire, tanquam Magister et Doctor, ea scientia, qua uti posset, vel communicabili discipulis ipsum interrogantibus: Dic nobis, quando ista fient? et quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari? Ad ultimum respondit v. 24.; prius se nescire ait, sed scilicet ita, ut hoc æque ipsis tanquam Magister, quem consulebant, aperire non possit, eo quod hoc non expediat.*

Inst. 1. Juxta verba solus Pater scit, *nemo... nisi Pater*; ergo Christus absolute ab hac scientia excluditur. 2. Si Christus ideo se nescire dicat, quod scientiam illam tanquam Magister communicare non possit; ergo nec dicere potuisset, *nisi Pater*; si enim non expediat, ut Filius hanc scientiam communicet, neque expediet, ut id faciat Pater.

Ad 1<sup>am</sup>. R. Particula illa exclusiva non afficit personas divinas, quasi hæc ab illa notitia excluderentur; sicut dixi ad Obj. primam: Filius enim habet omnia, quæ habet Pater, Joan. 16.; igitur et hanc scientiam: est in Patre et Pater in illo, Joan. 10.; ergo hac scientia excludi non potest: sed solum afficit creaturas, *angelos*, etc.

Ad 2<sup>am</sup>. R. N. *seq.* Quia Pater per semetipsum nobis immediate non loquitur, nec per seipsum manifestat quidquam, sed singula per Filium suum, in quo *novissime diebus istis locutus est nobis*, Hebr. 1. quem videlicet nobis Magistrum et Doctorem misit; ergo non Pater, sed Filius dici potest nescisse diem illum eo quo dictum modo.

103. Obj. IV. Auctoritatem Patrum Ante-Nicænorum eo quo sequuntur ordine:

I. S. IGNATIUS M. epist. ad Magnesianos (Bibl. magna PP. t. 11. p. 12.) *unum, inquit, et verum Deum Patrem suum annuntiavit*. Epist. vero ad Tarsenses (ibid. p. 14. A.): *Christum esse Creatoris Filium, nec illum, qui est super omnia Deus, sed Filium ejus*.

Ante responsum ad hunc cæterosque Patres in genere, præmitto, dissimulari non posse, eos ante Nicænam Synodum de Verbo ejusque divinitate minus accurate hic illic scripsisse, nec semper singulos apices, terminosque ad libellæ vocasse rigorem; cujus causa est, quod nulla tunc esset circa divinitatem Filii enata hæresis, quæ tanta vi aggrederetur dogma illud



catholicum, ut postea Ariana pestis; quæque proin strictissimam scribendi rationem exigeret; ut merito dicas de illis, quod S. AUG. L. 1. cont. Julian. c. 6. de Patribus ante hæresis Pelagianæ ortum: *Vobis Pelagianis nondum litigantibus securius loquebantur.* Cæterum tamen singulorum orthodoxa mens aliunde patet, juxta quam, tum scopum in scribendo, ac subjectam materiam, eos explicamus. Igitur

Ad 1<sup>am</sup>. R. D. Patrem annunciavit unum et verum Deum, ut a divinitatis consortio excludantur Dii falsi C. ut excludantur personæ divinæ aliæ, Filius et Spiritus sanctus, qui ob eandem cum Patre essentiam sunt cum eodem unus solus verus Deus N. Non excludi Filium constat ex eadem ejus epist. cit. n. 99.

Ad 2<sup>am</sup>. R. D. Dicit Christum Filium Creatoris, nec esse illum, qui est super omnia Deus, ratione humanitatis C. divinitatis N. Secundum hanc enim Filium unum cum Patre, ejusdemque honoris, vere Deum prædicat epist. ad Philipp. cit. n. 99.

104. II. S. JUSTINUS multa tradit, quæ cum Christi divinitate non coherent. Nam in dialogo cum Tryphone 1<sup>o</sup>. Patrem dicit esse causam Filii; hunc esse Deum alium a Patre n. 56. 2<sup>o</sup>. In Testamento veteri fuisse Patris nuncium, et paternæ voluntatis administrum n. 61. 123. 127. et 128. 3<sup>o</sup>. Non Patrem, sed Filium locutum Patriarchis, et ab his visum n. 127. 4<sup>o</sup>. Filium esse Deum Patris consilio et voluntate n. 127. Imo Patrem vocat Dominum ipsius Christi n. 126. In Apol. 2. (al. 4. n. 13.) autem inquit: *Filium secundo loco, Spiritum propheticum tertio ordine a Christianis non sine ratione coli.*

R. His loquendi formulis, etsi nonnihil duriuscule sonantibus, revera tamen aliud non intendit, quam ut contra Judæos, qualis erat Trypho, unicam admittentes in Deo personam, ostendat necessario admittendas esse personas plures, numero distinctas, in eadem licet unitate et identitate naturæ. Hinc ejusmodi loquendi formulis utitur, quibus illam personarum distinctionem adstruat; ubi, dum simul Patri prærogativas præ Filio videtur tribuere, ad summum vult, Patrem, non quatenus Deus est, sed quatenus est Pater, habere aliquam prærogativam supra Filium, sed solum *relativam* et *notionalem*, etsi quoad *absoluta* et *essentialia* sit inter eos summa æqualitas. Confer, quæ ex S. JUSTINO dicta n. 99.

Ex hoc JUSTINI scopo plana fiunt pleraque ex eo allata. 1<sup>o</sup>. Patrem ait *causam Filii*, id est, principium, ratione generationis; hinc nulla hic indicatur prioritas naturæ, vel temporis; sed tantum originis. Sic vocem *causa* intellexerant veteres, et adhuc post Conc. Nicæn. Patres, S. DAMASC. L. 3. Orthod. fid. c. 5. S. GREG. NAZ. orat. 29. (al. 20. n. 7.), vocat *Deum alium*, non natura, sed persona. 2<sup>o</sup>. Patris *nuncium* et *administrum*, quia Pater per appropriationem dicitur conditor omnium, quatenus est principium sine principio, et condidit omnia per potentiam a nullo acceptam; Filius vero simul, sed per potentiam a Patre generatione acceptam. Hinc iis vocibus Filium esse persona alterum a Patre significat. 3<sup>o</sup>. *Filium visibilem* olim Patriarchis fuisse, *non Patrem*; quia JUSTINI et aliorum hæc erat opinio, Deum, qui olim apparuisset, et dictus Deus Israelis, fuisse Filium; hunc assumpsisse corpus, quia ad hominis redemptionem destinatus; unde sic

impugnabat Judæos et Patripassianos: invisibilis distinguitur persona ab eo, qui est visibilis; sed Filius fuit visibilis, non Pater; ergo. 4<sup>o</sup>. *Esse Deum ex voluntate Patris*; sed necessaria, quatenus Pater non coacte vel invitus, sed necessario generat Filium. *Patrem Dominum Christi* ait, ratione humanitatis; vel *τὸ Dominum* sumit improprie *pro principio*, cui conjuncta est quasi quædam præcellentia *relativa* et *rationalis*, quæ in absolutis æqualitatem non impedit. 5<sup>o</sup>. Denique *Filium secundo loco coli*, ut personam secundam et posteriorem origine; et Spiritum sanctum ut personam tertiam ab utroque precedentem.

105. III. ORIGENES L. 6. cont. Celsum n. 60. Patrem ait *præcepisse* Filio, ut mundum conderet; quod idem S. IRENÆUS dicit L. 3. c. 8. n. 3. Dein idem ORIGENES L. 8. cont. Celsum n. 14. Christum a quibusdam, inquit, *universorum Deum tenere affirmari, quod nos non facimus, qui credimus ipsi dicenti: Pater major me est. Alias ministrum Patris*, uti et IRENÆUS; item *instrumentum* vocat.

R. Quæ mens ORIGENIS fuerit hac in re, dubium reddunt oppositæ invicem sententiæ. SS. HIER. epist. ad Avit., AUGUSTIN. L. de Hæresib. c. 48., EPIPHAN. Hær. 64. postque illos alii ab Origene negatam esse divinitatem Verbi affirmant; vel certe eum vel maxime suspectum habent. S. ATHANASIUS tamen non paucos ex Origenis contra Celsum libris textus contra Arianos protulit. Unde alii, duce S. BASILIO L. de Spiritu sancto c. 29. ORIGENEM inconstantiam arguunt, qui nunc traditionis auctoritate compulsus orthodoxe de SS. Trinitate, nunc hæretice ex suo in Platonis doctrinam studio scripserit.

Prioribus singulis oppositi alii ORIGENEM quoad hoc dogma ex toto orthodoxe sensisse asserunt; itaque explicant: Patrem ait Filio *præcepisse*, tum Filium *ministrum* fuisse; sed utrumque improprie: prius hoc sensu, quatenus generatione æterna Pater Filio suam communicavit voluntatem creandi mundum, uti et potentiam. Posterius in sensu eodem, quo supra S. JUSTINUS Filium vocavit administrum. Eodem sensu etiam *instrumentum* dicitur. In L. 8. autem, dum Filium ait non esse *illum universorum Deum*, sensus est, non esse Patrem *persona*; contra Noetianos enim ibi agit, Filium unam cum Patre personam esse asserentes: proinde cum Filium dicit, non esse illum universorum Deum, Patris personam intelligit in sensu Noetianorum, quos impugnat, non vero essentiam. Cum deinde Patrem dicat Filio majorem; vel de hujus humanitate id dixit; vel, si de divinitate dictum fuisse quis contendat, iterum *τὸ majorem* sumit improprie, pro sola prærogativa originis, quam habet Pater, utpote divinitatis totius origo, et principium sine principio. Quod denique ex Origene L. 1. in Job obmovent Sociniani; quo rotunde negare videtur divinitatem Filii, Arianorum irrepsit perfidia post Nicænum Concilium et Syn. V. tum quia non concordat cum cætera doctrina Origenis in libris contra Celsum; tum quod nunquam error hic in Concilio aliquo, nequidem Generali V., ubi damnati Origenis errores reliqui, fuerit objectus.

106. IV. TERTULLIANUS certe Christi divinitatem non credidit. *Prob.* Nam 1<sup>o</sup>. L. cont. Hermogenem c. 3. negat Filium esse ab æterno. En verba: *Quia et Pater Deus est; et Judex Deus est; non tamen ideo Pater et Judex semper;*



quia Deus semper : Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum; fuit autem tempus, cum et delictum et Filius non fuit, quod Judicem et qui Patrem Dominum faceret. 2<sup>o</sup>. Filium esse conditum in creatione mundi vel paulo ante docet L. cont Hermog. c. 18. et L. cont. Praxeam c. 6.

R. N. Asserti. et addo, vix unum e singulis Ante-Nicænis Patribus aut clarior, aut expressius tradidisse hoc dogma catholicum, quod toto cont. Praxeam libro data opera demonstrat : ac quidem c. 5. æternam generationem Filii ita diserte tradit : *Ante omnia Deus erat solus... solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet, qua Verbum denotare solet. Et c. 8. Sermo (Verbum) ergo et in Patre semper, sicut dicit : Ego in Patre; et apud Deum semper, sicut scriptum est : Et Sermo erat apud Deum. Et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre : quia Ego et Pater unum sumus. c. 2. vero hanc fidei regulam posuerat : Custodiatur æconomia sacramentum, quæ unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie : unius autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis, quia unus Deus. Ubi clare tres personas unius docet esse substantiæ, status, potestatis; per gradus vero ordinem originis exprimit : per formas vero et species, non naturam aut substantiam, ut ex oppositione, quam facit, palam est; sed personas et varios subsistendi modos, quos relationes seu personalitates appellamus. Unde*

*Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. N. A. Ad huj. prob. R. Permisso hic de Verbo loqui TERTULLIANUM, posteriora verba, in quibus vis ponitur D. Fuit tempus... cum Filius non fuit, quoad generationem ad intra N. quoad generationem ad extra C. Duplicem Verbi divini generationem distinguebant Veteres, unam proprie dictam, veramque, sive internam, qua Pater ab æterno et intra se Verbum genuit; alteram improprie talem, sive externam Verbi, quæ nihil est aliud quam ejus manifestatio; qua dicitur Pater generasse Verbum ad extra, quando per illud producendo creaturas, hoc, quod antea latuerat in sinu Patris, mundo manifestavit in principio temporum : more vulgari hominum loquendi, qui generari, gigni, pro nasci exterius sumunt; tuncque dicunt Filium genitum, quando emissus ex utero matris.*

Hanc ultimam vero generationem intelligit TERTULLIANUS, cum dicit, *fuit tempus, cum Filius non fuit*, ut colligitur ex ejus cum Hermogene controversia et ex contextu illius capituli. Hermogenes enim admittebat materiam æternam, improproductam, sine omni actu tamen et forma, usque dum Deus, producendo mundum, illam varias in formas et species divideret : illamque propugnabat hoc ratiocinio : Deus fuit ab æterno; ergo etiam fuit ab æterno Dominus; Deus enim esse non potest, quin simul sit Dominus : atqui si materia illa extra Deum non fuisset æterna, Deus non fuisset ab æterno Dominus, quia sic nihil fuisset, cui dominaretur; ergo.

At Hermogenem ita refutabat TERTULLIANUS : si Deus ideo præcise est ab æterno Dominus, quia est ab æterno Deus; ergo etiam ex eadem ratione erit ab æterno Judex et Pater; Deus enim æque Judex et Pater est, ac Dominus : atqui tamen non fuit ab æterno Judex et Pater; non Judex, quia nulla ab æterno delicta extiterunt, in quæ justitiam exerceret; non Pater, quia Filium, quem intra se conceperat ac jam perfectum habebat velut in sinu,

tunc primum emisit in lucem, cum per illum mundum conderet; ergo nec fuit ab æterno Dominus, in sensu Hermogenis, quia non fuit extra Deum illa materia, cui actu dominaretur.

Dixi supra : *permisso*, etc. nam nequidem hic sermonem esse de Verbo, vel Christo, respondent alii, volentes per *filium* hic intelligi adoptivum, hominem, vel Angelum.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. Eadem est responsio.*

107. *Inst. 1. TERTULLIANUS L. cont. Hermog. c. 18. de Sophia ait : Denique ut necessariam sensit ad opera mundi, statim eam condit et generat in semetipso; ergo vult tunc primum generatione interna esse Verbum genitum, cum esset mundum conditurus. 2. In creatione mundi Filium factum esse Patri parem, c. 7. cont. Praxeam; ergo nondum fuerat ad intra genitus, quia alias jam ante par fuisset. 3. Loc. cit. contra Hermog. sic argumentatur : si materia esset æterna, ergo præferenda esset Filio, ut quid antiquius : quale est, ut Filio, Dei sermone unigenito et primogenito, aliquid fuerit præter Patrem antiquius?... Ita et hoc nomine materiam Deo præponit Hermogenes, præponendo eam Filio, etc.*

*Ad 1<sup>am</sup>. R. N. Cons. Neque enim hoc intendit TERTULLIANUS, quasi tunc primum, paulo antequam esset mundum conditurus, generatione interna produxisset Verbum, ut constat ex ejus verbis supra. Sicut neque adeo crude quis accipiet TERTULLIANUM, quasi paulo ante creationem mundi tunc primum sensisset, h. e. cognovisset Deus Sophiam ad mundi opera necessariam, cum omnia sciverit ab æterno. Sed quod prius, prioritatem originis ante productionem Verbi, cognoverit Deus creaturas ut possibiles, et per Verbum producibiles prius, quam Verbum sit productum, et cognoscatur esse æternum et necessarium, per quod possibilia sunt entia contingentia; juxta ea, quæ dici solent Tr. de Deo Trino, ubi de processione Verbi. TERTULLIANUS enim hic agit porro contra Hermogenem ejusque materiam improproductam; estque hoc ejus præcise argumentum : Verbum, quod ex ipso Deo, et in Deo est, produci debuit, per quod tamen produci debuit, quidquid fieret extra Deum; ergo multo magis materia illa æterna Hermogenis producta dici debet, quia extra Deum. En ipsa, quæ hoc planum faciunt, TERTULLIANI verba immediate subjecta : *Agnoscat ergo Hermogenes, idcirco etiam Sophiam Dei natam et conditam (productam) prædicari; ne quid innatum et inconditum (improductum) præter solum Deum (Patrem) crederemus. Si enim intra Dominum, quod ex ipso, et in ipso fuit, sine initio (origine, productione) non fuit, Sophia scilicet ipsius, ... multo magis non capit sine initio quidquam fuisse, quod extra Dominum fuerit.**

*Ad 2<sup>am</sup>. R. Dicit esse factum parem Patri, hoc est, demonstratum parem in creatione, quia per Filium, h. e. potentiam ipsi a Patre communicatam, conditus est mundus; et Filius eum produxit cum Patre potentia pari.*

*Ad 3<sup>am</sup>. R. N. ita argui a TERTULLIANO : si materia illa esset æterna, esset antiquior Filio; sed quod esset præferenda Filio; adeoque ipsi Deo, cum Filius Dei sit Deus: ideo vero huic esset præferenda, quia materia illa dicitur improducta, carens omni principio, cum tamen Dei Filius, qui Deus est, productus sit, procedatque a Patre, principio suo et origine. Dum vero dicit : quale est, ut Filio Dei aliquid fuerit præter Patrem antiquius, solum*



vult, Filium esse a Patre productum, et hunc illo esse priorem origine. Simili modo multæ aliæ locutiones metaphoricæ, quibus abundat TERTULLIANUS, exponendæ sunt: uti et, quæ ex THEOPHILO ANTIOCHENO, L. 2. ad Autolyceum proferuntur, qui iisdem fere, quibus TERTULLIANUS, verbis usus fuit.

108. V. ATHENAGORAS, CLEMENS ALEXANDRINUS, DIONYSIUS ALEXANDRIN. divinitati Christi adversantur. Nam 1<sup>o</sup>. ATHENAGORAS generaliter inquit, Legat. pro Christ. n. 8. omne genitum aliquando incēpisse: ex quo inferitur; ergo et Verbum proin æternum non est. Idem ibid. n. 10. Verbum vocat *primam Patris progeniem*, eo quod Verbum profuisset a Patre, ut esset actus creaturarum, easque educeret e nihilo. 2<sup>o</sup>. CLEMENS ALEXANDRIN. L. 7. Strom. (opp. p. 702. A.) *naturam Filii esse soli omnipotenti propinquissimam docet*. 3<sup>o</sup>. DIONYSIUS vero apertius adhuc loquitur epist. ad Euphranorem et Ammonium (ap. Athanas. L. de sentent. Dionysii n. 4.), *Dei Filium opus factitium nuncupans; Patremque se habere relative ad Filium, uti agricola ad vitem, fabricator navis ad navem; et concludit: igitur non erat, antequam fieret.*

R. N. Assert. Nam 1<sup>o</sup>. ATHENAGORAS priori loco tantum de creatis loquitur, in quibus solis ea illius tenet regula. In altero vero loco de generatione illa Filii externa loquitur, ejus paulo ante meminimus. 2<sup>o</sup>. CLEMENS ALEXANDR. græce habet φύσις, quæ vox quidem communi acceptione *naturam* Latinis nunc significat, ipse tamen pro *persona* adhibet, more in primis quatuor seculis non infrequenti, in quibus naturam et personam, φύσιν et ὑπόστασιν promiscue usurpabant, de quo vid. PETAVIUM Tom. IV. Theol. dogm. L. 2. c. 3. et alibi; sic φύσιν *naturam*, pro persona sumit S. ALEXANDER Alexandrin. epist. ad Alexandrum Constantinopolitanum, SYNESIUS in hymno 3. v. 219., etc. 3<sup>o</sup>. DIONYSIUM quod attinet, verba ejus minus castigate prolata, ut jacent, equidem Arianismum redolent; catholice tamen sensit et explicavit; Arianismi enim propterea accusatus apud Dionysium Rom. Pontif. suam illi apologiam misit, qua se longissime abesse professus ab Ariana fæce, dicta sua, quæ ex nimio contra Sabellianos zelo, ut contra hos personarum distinctionem evinceret, incauto exciderant, orthodoxo in sensu exposuit. V. P. KILBER, Tract. de Deo uno et trino, disp. 3. c. 1. a. 2. n. 293.

109. Obj. V. 1<sup>o</sup>. Synodus Antiochena anno 270. habita rejecit vocem *ὁμοούσιος* consubstantialis. 2<sup>o</sup>. Idem fecit Antiochena alia an. 343. in qua et depositus ATHANASIVS. 3<sup>o</sup>. Filium non esse consubstantialem Patri definivit Conc. Sardicense an. 347. et Sirmiense an. 356. cui subscripsit ipse OSIVS CORDEBENSIS. 4<sup>o</sup>. Episcopi illi, qui Semi-Ariani dicti, in Synodo Ancyrana sub pœna anathematis vetuerunt usum vocis *consubstantialis*; et tamen orthodoxi habentur a S. ATHANASIO L. de Synod. n. 41., imo laudantur a S. HILARIO L. de Syn. seu de fide Orientalium n. 78. tanquam de re orthodoxa bene meriti. 5<sup>o</sup>. Eadem vox *consubstantialis* in Ariminensi Synodo Episcoporum 600. exempta fuit e Nicæno Symbolo, et suppressa. Et 6<sup>o</sup>. contra illam, sanctumque ATHANASIVM subscripsit LIBERIUS S. P. in formula Sirmiensi.

Ad 1<sup>um</sup>. R. D. Rejecit in sensu Catholicorum N. in sensu Pauli Samosatani C. Hic vero impius et hæreticus erat; nam, ut ex S. ATHANASIO L. de Synodis n. 43. discimus, uti unicam in Deo essentiam, sic unicam cum

Sabellio personam asserebat; unde inferebat impossibile esse, Filium et Spiritum sanctum duas esse personas a Patre distinctas; quod ut ostenderet contra Catholicos, istud ejus erat ratiocinium, a paritate cum rebus creatis desumptum: Si Filius est genitus ab æterno ex substantia Patris, ergo erit Patri consubstantialis, pariterque Spiritus sanctus ab utroque procedens; ergo tres erunt in Deo substantiæ; sicut in creatis, quia filius est ex substantia patris, est huic consubstantialis, quia habet eandem specie cum patre substantiam, sed tamen hoc ipso sunt duæ diversæ numero substantiæ; sic in divinis erunt substantiæ tres numero diversæ. Igitur Antiochena Synodus negat Filium esse consubstantialem Patri in eo sensu, in quo id male inferebat Paulus ex catholico dogmate; nimirum consubstantialem per divisionem substantiæ, quasi Filius haberet substantiam æqualem Patri, sed ab hujus substantia numero diversam.

Ad 2<sup>um</sup>. R. Antiochena illa Synodus *Arianorum conciliabulum* fuit, rejectum a JULIO S. P. et nullius unquam auctoritatis; nihil ergo Socinianis prodest argumentum inde petitum, utpote ab Arianis, suæ causæ et hæresis sociis.

Ad 3<sup>um</sup>. R. N. Ita definivisse Concilium Sardicense; sed fuit Philippopolitanum, cui Ariani mala fraude Concilii Sardicensis affixerunt nomen. Res ita se habuit. Cum demortuo Constantino, sub Constantio illius successore, et fautore Arianorum, vires resumeret Ariana hæresis, JULIUS S. P. Sardicæ, Illyrici urbe, Synodum generalem indixerat an. 347. ad Concilii Nicæni confirmandam fidem, ut proinde Conc. Sardicense dicatur adhucdum *appendix Concilii Nicæni*; quin olim sub ipsius Concilii Nicæni nomine veniret. Aderat etiam ATHANASIVS, ut falsa objecta sibi ab Arianis crimina dilueret; quem cum Orientalium nonnulli pati nollent in Concilio; Occidentales tamen, utpote jam Alexandriæ Episcopum, excludere nollent, priores illi sectatores ac patroni, Sardicæ Philippopolim se contulerunt, vicinam urbem; ibique, ab aliis separati conflabant Concilium, cui dolose dederunt nomen Concilii Sardicensis. Decretum vero istud conciliabuli Philippopolitani, decreto contrario subvertit Synodus Sardicensis catholica. Ex hoc fonte ortum est illud inter historicos dissidium, dum illi cum Baronio statuant Concilia Sardicensia duo, unum generale et œcumenicum, quod revera celebratum Sardicæ, præside Osio legato JULII; alterum reprobatum, quod est illud ipsum Philippopolis. Alii vero unum dicunt Conc. Sardicense, partim approbatum; partim reprobatum, per quod vero proprie intelligi debet ille Philippopolitanus conventus.

Quod *Sirmiense* Conc. spectat, formula, quæ in eo prodiit an. 357. secunda Sirmiense fuit, sed fabricata ab Arianis, horum continens blasphemiam. Subscripsit equidem illi Osius, sed verberibus, tormentisque compulsus; ut proin subscriptio illa contra ipsos pugnet Socinianos. Ad sua vero reversus Osius, teste S. Athanasio Epist. ad Monachos, *Arianam hæresin feriit anathemate*.

Ad 4<sup>um</sup>. R. Ita esse; quin et hodie excusari a non paucis, quod erudite prælat Tournely Tr. de SS. Trinit. Q. 4. a. 1. Sect. 4<sup>a</sup>. Juxta hos vero Episcopi illi a voce abstinebant *consubstantialis*, de cætero rem voce illa significatam professi. Causas vero illius affert S. ATHANAS. 1<sup>o</sup>. quod voce illa abstinuerint ex reverentia in illos Episcopos, qui contra Paulum Samosatenum



dixerant : Filium non esse consubstantialem Patri. 2°. Quia putabant per vocem illam intelligi substantiam priorem, quam duo inter se partiti essent. 3°. Quod nullibi scripta reperiretur. Cæterum, quidquid sit de eorum fide, in eo peccaverant, quod in particulari sua Synodo Ancyrana ausi sint prohibere vocem, quam jam Synodus generalis Nicæna sua auctoritate consecraverat; quod in ipsis severe reprehendit S. Hilarius libro cit. n. 83.

Ad 3<sup>um</sup>. R. D. Fuit repressa ideo, quasi Nicæna Synodus hanc vocem male adhibuisset; vel quasi hac suppressione approbare vellent dogma Arianum, N. quia iudicabant hanc vocem non necessariam ad exprimendum dogma catholicum; tum quia necessarium putabant suppressere vocem illam ad vitandam incommoda alia C. Metuebant enim, ne, si a voce illa non præscinderent, ipsis in exilium pulsis, Episcopi Ariani in eorum involarent Ecclesias cum magno rei Catholicæ detrimento; ita S. ATHANAS. Alteram causam affert S. HIERON. Dial. cont. Lucifer. n. 18. suppressam illam vocem partim propterea, quod expressa non esset in Scripturis, aliosque rudiores sua offenderet novitate. Factum tamen hoc ab iis fuisse sine fidei præiudicio; non erat curæ Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto.

110. Neque dicant Sociniani : Sed Patres Ariminenses anathematismum Valentis Ariani comprobarunt, redolentem dogma Arianum; cum enim Valens diceret : *Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt cæteræ creaturæ, anathema sit*; idem repetebant Episcopi, teste S. Hier. in Dial. cit. n. 18. Item communi cum Ariani fidei formulæ subscripserunt, quæ dogma idem involvebat.

R. 1°. Si daremus, quod tamen falsum est, revera lapsos fuisse Ariminenses Patres, æque parum præsidii in hoc lapsu haberent pro errore suo adversarii, quam in illo magni Osii, cum acta sua continuo revocarint, emissa Nicænæ fidei professione catholica.

R. 2°. Comprobarunt anathematismum Valentis, item subscripserunt communi fidei formulæ in sensu catholico, animo bono et simplici, nihil fraudis inesse suspicati C. in sensu Valentis et Ursacii N. Etsi anathematismum Valentis hunc perversum haberet sensum, Filium esse creaturam, sed non similem creaturis cæteris, inque hoc sensu intelligeretur a Valente; quia tamen hic sensus per anathematismos anteriores excluderetur, quibus anathema dicebatur iis, qui negarent Christum esse Deum, Dei Filium, ante secula ex Patre genitum : *Si quis negat Christum Deum, Dei Filium, ante secula ex Patre genitum, anathema sit*; ideo Patres alterum anathematismum conformiter ad præcedentem intelligebant in sensu orthodoxo sic : si quis dixerit Filium esse creaturam, ideoque in tempore productum ex nihilo, ut sunt creaturæ cæteræ, anathema sit.

Similiter illa fidei professio oblata a Valente et Ursacio licet hæretica esset, si spectetur auctorum sensus; spectatis tamen verbis, quibus concepta erat, in sensu obvio et proprio, nihil nisi orthodoxum et sanum continebat, ut probat S. HIER. Dial. cit. Et vero auctores huius formulæ profitebantur aperte : *Credimus in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia secula, et ante omne principium natus est ex Deo : natum autem unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri secundum Scripturas*. Hæc vero, licet pro consubstantialis habeatur similis, omnia fidem catholicam

exprimebant de æternitate et divinitate Filii. Accedit, quod Patres non ante communionem iniverint cum Ariani, nec subscripserint formulæ, quam illi damnassent errores suos, anathematizando illos, *qui negant Christum Filium Dei, esse Deum ante secula ex Patre genitum*; item eos, *qui dicunt (ita autem dicebant Ariani) erat tempus, quando non erat Filius; qui dicunt de non extantibus Filium*; vel : *non de Deo Patre*. Unde, quia formula juxta et post prævios illos anathematismos erat concepta, non poterat non a Patribus intelligi in sensu orthodoxo.

Etsi vero Ariani non sincere loquerentur, verbaque detorquerent a sensu obvio in alienum et perversum; Patres tamen putabant, eos sincere agere; putabant, ait HIER. *sensum congruere cum verbis* : quæ malignitas Arianorum Patrum fidei obesse non potest; quæ hinc amplius perspicitur, quod, cum Ariani, qui Arii blasphemias se simulaverant damnare, deposita larva spargerent Episcopos Ariminenses suæ subscripsisse fidei, hi cognita fraude subscriptionem suam continuo revocarint.

111. Si dicas. Attamen S. AMBROSIIUS in L. 5. in Luc. n. 71. Patres Ariminenses perfidæ prævaricationis reos arguit. S. AUGUSTIN. epist. 50. (al. 185. n. 47.) eos veneno periisse Ariano dicit. Et S. HIER. Dial. adv. Lucif. n. 19. ob suppressam et omissam in formula vocem *consubstantialis* : *Tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingenuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est*; ergo revera approbaverant ipsum Arianum dogma.

R. N. Cons. Non enim sic culpantur ob hæresin Arii ipsam adoptatam; sed dicuntur *perfidæ prævaricationis rei*, quod vocem *consubstantialis* a Synodo generali Nicæna consecratam, ad conservandam fidem, et subvertendam Arianam hæresin, suppresserint; quod sine perfidia contra Concilium generale Nicænum non poterant Ariminenses. Hoc etiam, non plus, intendit S. AUG. Juxta S. HIER. vero *Nicænæ fidei damnatio conclamata est ab Arianiis duntaxat, mentientibus, Episcopos Ariminenses subscripsisse doctrinæ suæ; non a Catholicis; nam 1°. ipsi Patres Ariminenses, cognita fraude, male acta sine mora revocarunt*; 2°. autem Concilio Ariminensi interfuere Episcopi non ultra 400.; longe autem plures erant dispersi per orbem Episcopi, qui semper catholice sentientes nunquam Ariminensium acta approbarunt; et vero in solo Occidente episcopales ecclesias 1,000., in Oriente 800. recenset P. LABBEUS noster, ut taceam provincias alias. Ideo vero inquit HIER. *ingenuit orbis, etc.*, quod Ariminenses consentiendo in suppressionem vocis *consubstantialis*, grave scandalum fidei dedissent, et in suspicionem hæresis incurrerint apud eos, qui eorum mentem ignorabant. Illa demum : *orbis se Arianum miratus est*, hyperbolen, vel exaggerationem redolent; vel sensus est : miratus est se arianum dici ab Arianiis mentientibus; reipsa vero arianum non fuisse, ex illo ipso stupore colligitur; si enim re arianus fuisset, se talem miratus non esset.

112. Urgebis : Sed teste S. Greg. Nazianz. orat. 21. n. 23. 24. *Si per paucos exceperis, qui vel ob nominis obscuritatem contemptui habiti sunt; vel ob virtutem restiterunt... omnes tempori obsecuti sunt : hoc tantum inter eos discriminis fuit, quod alii citius, alii serius in eam fraudem inciderunt*. Et THEODORETO teste L. 2. c. 21. *Alii metu percussi, alii fraude inducti subscri-*



perunt; quotquot vero consentire recusarunt, in ultimos orbis fines relegati sunt. VINCENTIUS LIBINENSIS demum Commonit. n. 4. cunctos prope latini sermonis Episcopos partim vi, partim fraudibus deceptos; quin universum Romanum imperium funditus concussum et emotum tum fuisse asserit; ergo.

R. N. Cons. Nam 1<sup>o</sup>. S. GREG. hac sententia non involvit Episcopos Occidentis, tempore persecutionis illius, quam ibidem refert, in fide semper immotos; sed, ut consideranti textum patet, de iis solum loquitur, quæ post habitam anno 360. Constantinopoli 30. Episcoporum Arianorum pseudosynodum in Oriente gesta sunt. Quia S. Doctor ibidem aperte declarat, se loqui de decem provinciis Asiæ, quas Georgius Cappadox Arianus, intrusus in Alexandrinam sedem, dire vexabat, fultus et abusus auctoritate Cæsaris. *Ægyptum*, inquit paulo ante, *incursionibus vastat... Syriam populatur: Orientis quantum potest arripit*, etc. *Hujus potentie Concilium illud fuit, quod Seleucia primum, deinde in hac amplissima civitate (Constantinopolitana) coactum est.* Quod expressius tradit S. HILAR. L. de Synod. n. 63. *Absque Episcopo Eleusio et paucis cum eo, ex majori parte Asiæ decem provincie, intra quas consisto, vere Deum nesciunt.* Hinc nequidem eo tempore maxime Episcoporum Orientalium pars a fide divulsa fuit; et S. Doctoris verba, *si perpaucos exceperis*, ELEUSIUM spectant, et quosdam alios Episcopos illarum decem duntaxat provinciarum Asiæ.

2<sup>o</sup>. THEODORETUS vero de iis tantum Episcopis Ariminensibus loquitur, quos Nicæam Thraciæ deductos ibi refert; quod Valentis formulæ subscribere nollent, quorum aliqui postea metu, aliqui fraude inducti subscripserunt, ceteris, qui id constanter renuebant, in remotas oras relegatis. Responsio ex initio sequentis capituli 22. ejusdem historici amplius patet, dum formulam ab universis veritatis propugnatoribus, maxime ab Occidentalibus, reprehensam refert, et in fidem continuo subjicit Damasi, aliorumque Occidentalium epistolam ad Episcopos Illyrici.

3<sup>o</sup>. VINCENTIUS LIBINENSIS cit. loc. auxesi oratoria rem amplificat, sicut et sæpe alias; velut, dum Nestorium ab omnibus Orientis Episcopis primo damnatum asserit: atqui plerorumque scriptorum testimonio, Episcopi, a quibus primo damnatus Nestorius, numero circiter 200. erant, numerus vero Episcoporum in Oriente tum supra 700. stetit. Sic et loc. cit. amplificatione pari describit sacerdotum aliorumque constantiam; ut proinde vel secum ipso pugnare VINCENTIUS dici debeat, vel usus exaggeratione. Vel, si mavis, verba, *cunctos prope latini sermonis Episcopos*, explica de cunctis Arimini congregatis, non in toto Occidente dispersis, de quibus contrarium constat ex scriptoribus antiquis, qui hac in re majoris sunt ponderis; tum ex resp. antea ad Theodoretum; tum ex Lucifero Calaritano Episcopo apud Sulpitium L. 2. Hist. Sacr., ubi refert Luciferi epistolam ad Constantium Imper., qua exprobrat Ariano principi, quod frustra conatus fuerit Occidentem pervertere. *Tua novella prædicatio et recens religio non solum adhuc limitem Romanorum peragrarare non valuit, et utique te satis agente; sed et ubi radices figere tentaverat, aruit, recedentibus scilicet omnibus Dei famulis, atque paucis tuis tecum manentibus.*

Ad 6<sup>um</sup>. R. N. utrumque, de quo plenius nunc Art. seq.

## ARTICULUS IV.

UTRUM LIBERIUS S. P. ALICUJUS REUS PREVARICATIONIS FUERIT, SIVE SUBSCRIBENDO CONDEMNATIONI S. ATHANASII, SIVE ULLI ARIANORUM FORMULÆ.

113. Tres distingui debent formulæ Syrmienenses, ab Arianis in diversis Syrmii conventibus editæ. Prima anno 351. contra Photinum prodiit, et præter symbolum fidei 27. anathematismos continet; eamque S. HILARIUS Lib. de Synod. n. 38. catholicum in sensum flectit, S. ATHANASIUS vero Lib. de Synod. n. 27. illam a formulis aliis vere Arianis non secernit. Altera anno 357. suos natales habuit, arianam perfidiam aperta fronte ostentans; in ea Filius nec consubstantialis Patri, imo nec *similis* dicitur, etc. ut proin a S. HILARIO dicatur L. de Synod. n. 10. *blasphemia per Osium et Potamium apud Syrmium conscripta.* Tertia anno 359. ortum habuit, ut contra PAGIUM et VALESIIUM, qui in annotatis ad Sozomenum L. 4. c. 15. eam anno 358. procusam volunt, constat ex S. ATHANAS. L. de Synod. n. 8. dum editam ibidem dicit, *præsente Domino nostro piissimo et victoriis exitio Imperatore Constantio Augusto, æterno venerando, sub consulatu Flavio Eusebio et Hypatii, Syrmii undecimo calendis Junias: id est, 22. Maii anni 359.* Expungitur quidem in ea vocabulum *substantiæ*, vel *consubstantialis*, velut a populo ignoratum, et scandala parere natum, eo quod in Scripturis non contineatur; Filius tamen Patri *per omnia similis* dicitur.

114. Reum fuisse LIBERIUM tam subscribendo condemnationi S. ATHANASII, quam alicui ex Syrmienensibus formulæ, communior tenuit sententia, quæ post medium ævum invaluit, quo tempore credi primum cœpit LIBERIUM lapsus, maxime postquam Faber indigestam quandam MSS. farraginem sub nomine Fragmentorum S. HILARII vulgavit, et post Fabrum Constantius ex eruditis Benedictinis Congr. S. Mauri, inter quæ Epistolæ quatuor sub nomine LIBERII, in quibus fœdissimus illius lapsus non dissimulatur, repente comparuerunt. Adeo alte infixæ hæc sententia ex tunc plerisque fuit, ut nequidem dubitarent, aut amplius inquirerent, num lapsus esset revera LIBERIUS? sed in eo solo magnis contentionibus dissiderent, cui ex tribus Syrmienensibus formulis subscripsisset. Pro prima stat Baronius. Pro secunda Tillemontius Blondellum Calvinii sectatorem refert; item Pelavium, sed perperam, cum is Annot. in S. Epiph. pag. 316. (edit. Paris. a. 1622.) aperte declaret, se non disputare, utrum alicui formulæ subscripserit, diserteque dicat, esse posse, *ut nequaquam subscripserit; hæretici vero comprobata ab illo hæresin falso jactaverint.* Pro tertia pugnant Pagius et Valesius. Tillemontius vero ipse, licet eorum ex numero, qui lapsum LIBERII primi propugnarunt, dum Nota 55. in Arianos, inquit, cui formulæ subscripserit LIBERIUS, statim profitetur libere, ingentem esse illius examinis difficultatem, satiusque manere in dubio, quam pro alterutra parte aliquid decidere. Ut vel ex hoc dissidio quis æstimet, quam parum fidei mereatur LIBERII lapsus.

E contra neque condemnationi S. ATHANASII, neque ulli e tribus formulæ subscripsisse LIBERIUM Joannes STILTINGUS e Societate Jesu in Dissert. Critico-



perunt; quotquot vero consentire recusarunt, in ultimos orbis fines relegati sunt. VINCENTIUS LIBINENSIS demum Commonit. n. 4. cunctos prope latini sermonis Episcopos partim vi, partim fraudibus deceptos; quin universum Romanum imperium funditus concussum et emotum tum fuisse asserit; ergo.

R. N. Cons. Nam 1<sup>o</sup>. S. GREG. hac sententia non involvit Episcopos Occidentis, tempore persecutionis illius, quam ibidem refert, in fide semper immotos; sed, ut consideranti textum patet, de iis solum loquitur, quæ post habitam anno 360. Constantinopoli 30. Episcoporum Arianorum pseudosynodum in Oriente gesta sunt. Quia S. Doctor ibidem aperte declarat, se loqui de decem provinciis Asiæ, quas Georgius Cappadox Arianus, intrusus in Alexandrinam sedem, dire vexabat, fultus et abusus auctoritate Cæsaris. *Ægyptum*, inquit paulo ante, *incursionibus vastat... Syriam populatur: Orientis quantum potest arripit*, etc. *Hujus potentie Concilium illud fuit, quod Seleucia primum, deinde in hac amplissima civitate* (Constantinopolitana) *coactum est*. Quod expressius tradit S. HILAR. L. de Synod. n. 63. *Absque Episcopo Eleusio et paucis cum eo, ex majori parte Asiæ decem provincie, intra quas consisto, vere Deum nesciunt*. Hinc nequidem eo tempore maxime Episcoporum Orientalium pars a fide divulsa fuit; et S. Doctoris verba, *si perpaucos exceperis*, ELEUSIUM spectant, et quosdam alios Episcopos illarum decem duntaxat provinciarum Asiæ.

2<sup>o</sup>. THEODORETUS vero de iis tantum Episcopis Ariminensibus loquitur, quos Nicæam Thraciæ deductos ibi refert; quod Valentis formulæ subscribere nollent, quorum aliqui postea metu, aliqui fraude inducti subscripserunt, ceteris, qui id constanter renuebant, in remotas oras relegatis. Responsio ex initio sequentis capituli 22. ejusdem historici amplius patet, dum formulam ab universis veritatis propugnatoribus, maxime ab Occidentalibus, reprehensam refert, et in fidem continuo subjicit Damasi, aliorumque Occidentalium epistolam ad Episcopos Illyrici.

3<sup>o</sup>. VINCENTIUS LIBINENSIS cit. loc. auxesi oratoria rem amplificat, sicut et sæpe alias; velut, dum Nestorium ab omnibus Orientis Episcopis primo damnatum asserit: atqui plerorumque scriptorum testimonio, Episcopi, a quibus primo damnatus Nestorius, numero circiter 200. erant, numerus vero Episcoporum in Oriente tum supra 700. stetit. Sic et loc. cit. amplificatione pari describit sacerdotum aliorumque constantiam; ut proinde vel secum ipso pugnare VINCENTIUS dici debeat, vel usus exaggeratione. Vel, si mavis, verba, *cunctos prope latini sermonis Episcopos*, explica de cunctis Arimini congregatis, non in toto Occidente dispersis, de quibus contrarium constat ex scriptoribus antiquis, qui hac in re majoris sunt ponderis; tum ex resp. antea ad Theodoretum; tum ex Lucifero Calaritano Episcopo apud Sulpitium L. 2. Hist. Sacr., ubi refert Luciferi epistolam ad Constantium Imper., qua exprobrat Ariano principi, quod frustra conatus fuerit Occidentem pervertere. *Tua novella prædicatio et recens religio non solum adhuc limitem Romanorum peragrarare non valuit, et utique te satis agente; sed et ubi radices figere tentaverat, aruit, recedentibus scilicet omnibus Dei famulis, atque paucis tuis tecum manentibus.*

Ad 6<sup>um</sup>. R. N. utrumque, de quo plenius nunc Art. seq.

## ARTICULUS IV.

UTRUM LIBERIUS S. P. ALICUJUS REUS PREVARICATIONIS FUERIT, SIVE SUBSCRIBENDO CONDEMNATIONI S. ATHANASII, SIVE ULLI ARIANORUM FORMULÆ.

113. Tres distingui debent formulæ Syrmienenses, ab Arianis in diversis Syrmii conventibus editæ. Prima anno 351. contra Photinum prodiit, et præter symbolum fidei 27. anathematismos continet; eamque S. HILARIUS Lib. de Synod. n. 38. catholicum in sensum flectit, S. ATHANASIUS vero Lib. de Synod. n. 27. illam a formulis aliis vere Arianis non secernit. Altera anno 357. suos natales habuit, arianam perfidiam aperta fronte ostentans; in ea Filius nec consubstantialis Patri, imo nec *similis* dicitur, etc. ut proin a S. HILARIO dicatur L. de Synod. n. 10. *blasphemia per Osium et Potamium apud Syrmium conscripta*. Tertia anno 359. ortum habuit, ut contra PAGIUM et VALESIIUM, qui in annotatis ad Sozomenum L. 4. c. 15. eam anno 358. procusam volunt, constat ex S. ATHANAS. L. de Synod. n. 8. dum editam ibidem dicit, *præsente Domino nostro piissimo et victoriis exitio Imperatore Constantio Augusto, æterno venerando, sub consulatu Flaviorum Eusebii et Hypatii, Syrmii undecimo calendis Junias: id est, 22. Maii anni 359.* Expungitur quidem in ea vocabulum *substantiæ*, vel *consubstantialis*, velut a populo ignoratum, et scandala parere natum, eo quod in Scripturis non contineatur; Filius tamen Patri *per omnia similis* dicitur.

114. Reum fuisse LIBERIUM tam subscribendo condemnationi S. ATHANASII, quam alicui ex Syrmienensibus formulæ, communior tenuit sententia, quæ post medium ævum invaluit, quo tempore credi primum cœpit LIBERIUM lapsus, maxime postquam Faber indigestam quandam MSS. farraginem sub nomine Fragmentorum S. HILARII vulgavit, et post Fabrum Constantius ex eruditis Benedictinis Congr. S. Mauri, inter quæ Epistolæ quatuor sub nomine LIBERII, in quibus fœdissimus illius lapsus non dissimulatur, repente comparuerunt. Adeo alte infixæ hæc sententia ex tunc plerisque fuit, ut nequidem dubitarent, aut amplius inquirerent, num lapsus esset revera LIBERIUS? sed in eo solo magnis contentionibus dissiderent, cui ex tribus Syrmienensibus formulis subscripsisset. Pro prima stat Baronius. Pro secunda Tillemontius Blondellum Calvinii sectatorem refert; item Pelavium, sed perperam, cum is Annot. in S. Epiph. pag. 316. (edit. Paris. a. 1622.) aperte declaret, se non disputare, utrum alicui formulæ subscripserit, diserteque dicat, esse posse, *ut nequaquam subscripserit; hæretici vero comprobata ab illo hæresin falso jactaverint*. Pro tertia pugnant Pagius et Valesius. Tillemontius vero ipse, licet eorum ex numero, qui lapsum LIBERII primi propugnarunt, dum Nota 55. in Arianos, inquit, cui formulæ subscripserit LIBERIUS, statim profitetur libere, ingentem esse illius examinis difficultatem, satiusque manere in dubio, quam pro alterutra parte aliquid decidere. Ut vel ex hoc dissidio quis æstimet, quam parum fidei mereatur LIBERII lapsus.

E contra neque condemnationi S. ATHANASII, neque ulli e tribus formulæ subscripsisse LIBERIUM Joannes STILTINGUS e Societate Jesu in Dissert. Critico-



Histor. aliique recentiores nunc contendunt, utque mihi quidem videtur, salvis aliorum iudiciis, longe probabilius. Quare

115. Dico. LIBERIUS S. P. neque condemnationi S. Athanasii; neque ulli unquam Arianorum formulæ subscripsit; neque eorum complexus est communionem: proinde in causa illa contra Arianos nunquam lapsus est LIBERIUS.

Prob. I. in genere. Lapsus ille Liberii, qui prætenditur, 1º. repugnat scriptoribus et historicis partim Liberio cœvis, partim post illum non adeo diu scribentibus. 2º. Non congruit SS. Patribus. Sed 3º. originem traxit ex monumentis supposititiis; ergo.

Prob. Ant. 1ª. p. Scriptores illi historiæ Ecclesiasticæ, et ex quorum testimoniis tota ferme pendet, quam habemus, de Arianismo historia, sunt RUFFINUS, SOCRATES, SOZOMENUS, THEODORETUS, SULPITIUS SEVERUS, CASSIODORUS. E quibus

1º. RUFFINUS quidem L. 10. Hist. Eccl. c. 27. de causa reditus Liberii sic loquitur: *Liberius Urbis Romæ Episcopus, Constantio vivente, regressus est; sed hoc, utrum quod acquieverit voluntati suæ (Constantii) compertum non habeo.* Ex quo Ruffini loco, licet in eo non neget conceptis verbis, Liberium acquieverit; sic tamen saltem arguitur: si Ruffinus, Romæ existens, Liberium nosse potuit, qui certo Fortunatianum Aquileiensem Episcopum, cui Liberii lapsus et subscriptio imputatur, ubi studiis operam dedit, cognoverat, certo compertum non habuit, utrum quod acquieverit voluntati Imperatoris ad subscribendum; an vero ob Romanorum preces dimissus sit Liberius; unde igitur compertum habere poterant scriptores illi Neoterici, tam multis posteriores seculis, quæ tanta tradere confidentia cœperunt? Sed quod Ruffinus dubitanter, expressius dant alii. Nam

2º. SOCRATES L. 2. c. 37. *Liberius, inquit, non multo post ab exilio revocatus, sedem Episcopatus propterea recuperavit, quod populus Romanus seditione conflata Felicem Antipapam eiecerat; Imperatorque ipse, etiam invito animo, consenserat.* Ubi dicit 1. quod propterea recuperavit; ergo ob turbas Romanorum, non ob lapsum. 2. Quod Imperator invito animo hoc fecerit: sed si Liberius consensisset Imperatori, condemnando S. Athanasium, vel subscribendo alicui formulæ, non remisisset Liberium invitum; hæc enim causa erat relegandi Liberium, ut Imperator sic ex Pontifice extorqueret vi, quod alio modo non poterat.

3º. SOZOMENUS L. 4. c. 15. de Liberio ait: *Nam Liberium, utpote virum undequaque egregium, et qui pro Religione Imperatori fortiter restitisset, populus Romanus impense diligebat.* Hæc vero scribit de Liberio postquam Constantius jam decrevisset remittere Liberium, ac jam litteras dedisset ad Romanos. Ergo non tam ante exilium, quam eo durante constans manserat; nec aliter sciverant Romani; vel secus non egregium, nedum undequaque egregium, dicere vel potuisset, vel dixisset. Deinde disertis verbis ait, falsum ab Arianis sparsum fuisse rumorem de lapsu Liberii. *Cum Eudoxius, et qui cum illo opinioni Aetii favebant, Antiochiæ Hosii epistolam accepissent, sparsis rumoribus divulgaverunt, Liberium quoque consubstantialis vocabulum condemnasse.* En fabulæ de lapsu Liberii originem.

4º. THEODORETUS L. 2. c. 17. postquam populi Romani studium pro revo-

catione Liberii retulisset, præsertim mulierum nobilium, Imperatori exponentium, quod nemo præsertim Felice Ecclesiam ingredi auderet, subdit: *Flexus itaque Imperator, egregium illum, omnique laude dignissimum ab exilio redire jussit; ergo non ob Liberii lapsum flexus.* Deinde postquam lecta fuisset epistola Imperatoris in circo, qua Liberium et Felicem simul præesse voluit Ecclesiæ; refert, omnes una voce exclamasse: *Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus... post has Christianissimæ plebis acclamationes, pietate ac justitia plenas, rediit admirandus ille Liberius.* Ergo certe in exilio lapsus non fuerat. Numquid propter lapsum erat egregius ille, omni laude dignissimus, imo admirandus redux Liberius? Similia hactenus dictis apud Sulpitium Severum, et Cassiodorum reperies.

5º. ROMANI tunc in fide constantissimi summo gaudio et plausu redeuntem exceperunt Liberium, ut hic quasi victor urbem intraverit, velut notat historia; non est igitur verosimile, Romanis innotuisse aliquid de ullo Liberii lapsu: si enim Felicem propterea solum, quod ab Arianis ordinatus, cum his communicaret, licet cætera Nicænæ fidei formulam, teste Socrate et aliis, servaret, adeo sunt aversati, ut nequidem vellent, eo præsertim, ingredi Ecclesiam, atque urbe expulerint; quomodo Liberium prævaricatore, a condemnatione S. Athanasii, subscriptione formulæ, communionem cum Arianis maculatum, et tanto studio repetivissent, et tanto plausu recepissent? Non apparet certe, quomodo cum tanto Romanorum gaudio conciliari queat Liberii lapsus. Non invenit etiam Baronius, quomodo illa conciliaret; ideoque contra auctoritatem antiquorum omnium, nullo nixus testimonio, maluit dicere, Liberium invenisse abalienatos a se Romanorum animos.

6º. In MENÆIS omnibus Græcorum, in quibus Liberii ut Sancti et Confessoris annuntiat memoria, aperte asseritur, operam adhibuisse Constantium, ut Liberium a communionem S. Athanasii abstraheret, et ad suam hæresin pertraheret; sed id efficere nunquam potuisse; et proin aperte negant lapsum Liberii; imo nunquam illum Græci crediderunt. Sed solos Latinos scriptores post medium ævum hæc invasit credulitas, orta ex supposititiis quibusdam monumentis.

116. Prob. 2ª. p. Nam 1º. S. AMBROSIIUS, Romanus origine, qui Romæ studiis operam dederat, Pontificatum gerente Liberio, ut eum optime noverit tam ante, quam post exilium, sanctitatem Liberii summis laudibus celebrat L. 3. de Virginibus. c. 4. ubi S. Marcellinæ sorori suæ, quæ virginitatis velum a Liberio acceperat, orationem ab eo tunc habitam recitat; item c. 4. post finem hujus orationis. Idem S. BASILIUS fecit eodem fere tempore; epist. 263. n. 3. (al. 73.) ad Occidentales, S. EPIPHAN. hæc. 73. aliique, quotquot de Liberio scripserunt. At non ita Liberii sanctitatem extulissent, si hujus reditum iis credidissent maculatum sceleribus, qualia sibi post medium ævum finxerunt scriptores Latini, et inter primos Tillemontius; quem, ut fit uno præeunte, facile secuti alii, illius argumentis sua voluerunt scripta exornare. Vel si persuasum habuissent Patres Liberii lapsum, hunc diluere decuisset, et commendare Liberium a pœnitentia, quod nullus fecit.

117. Conf. 1. Si de lapsu Liberii constabat aliquid eo tempore, si de hoc





extabant ipsius Liberii epistolæ, quomodo factum dicemus, ut ea de re nulla omnino reperiat mentio in scriptis vel ullius Patrum partim cœvorum, partim secutis post seculis florentium. De lapsu Hosii frequenter et acriter conqueritur S. HILARIUS Lib. de Synod. et contra Constantium Imp., nusquam de Liberio, quamvis lapsum ejus ignorare non posset, si verus esset. Liberium laudibus extollit S. ATHANASIUS, nullibi prævaricationis redarguit; nam quæ de lapsu Liberii in quibusdam ejus operibus leguntur, hæc postmodum addita fuisse ab aliis, aperte videbimus.

Porro scripsit iis temporibus contra Arianos LUCIFER CALABRITANUS, adeo ab Arianis abhorrens, ut Ariminensibus Patribus ob suppressum *ὁμοούσιον*, sive vocabulum *consubstantialis*, nunquam reconciliari voluerit; num conquire potuissent tam pudendum Liberii lapsum, si verus fuisset? Sed tamen de hoc ne verbulo memorat; sed cum Liberio semper communicavit; eo solum nonnihil Liberio subinfensus, quod Ariminenses recepisset in gratiam; quantum indignaturus Liberio, si hic ipse tantus, et major Ariminensibus prævaricator fuisset? Scripsit item MARIUS VICTORINUS Afer; scripsit S. PHÆBADIUS, Episcopus Aginensis; sed ambo nihil de lapsu Liberii; sed quid mirum? cum nequidem Semiariani Episcopi, licet vexarentur ab orthodoxis, nunquam ad Liberii scriptionem provocarint. Objecerant S. Phæbadio Ariani lapsum Hosii, ut testatur ipse in Biblioth. PP. Lugdun. Tom. 4. pag. 303., sed nunquam de Liberio aliquid.

*At dices*: S. HILARIUS Lib. contra Constantium n. 11. Liberii lapsum hisce innuit, dum Imperatorem ita alloquitur: *Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti inde Episcopum: et o te miserum, qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseras.* Verum

R. N. A. Hæc enim, *utrum majore impietate remiseras*, nequaquam lapsum Liberii respiciunt, sicut neque hæc, *utrum majore impietate relegaveris*, arguunt aliquam culpam Liberii; sed impium Constantii factum tam in relegando, quam remittendo Liberio; magna enim impietate relegaverat, quod, arrogata sibi auctoritate, caput Ecclesiæ eriperet; æque magna impietate remiseras, quod remisisset ita, ut vellet Felicem simul cum Liberio præesse Ecclesiæ, ut num. præc. ex Theodoro vidimus; utrum vero magis impium, Ecclesiam orbare capite, vel facere Ecclesiam bicipitem?

118. *Conf.* 2. Fasti Hieronymiani apud Florentinum; antiquissimus Codex Epternacensis; item Corbeiensis; Martyrologium Augustanum, Labbeanum, et Gellonense; Turonense apud Martennium; Martyrologia alia MSS. ex genere Hieronymianorum; Auctaria Bedæ; Appendix Adonis; plura Usuardi auctaria, et plurima recentiorum Martyrologia cum Galesinio, cujus Martyrologio ante Baronianum usa est Romana Ecclesia; verbo: Quotquot ab eo tempore extant, Liberii mentionem faciunt; sed ne unum est, quod ejus lapsum referat. At concipi non potest, qui factum sit, ut e tot scriptoribus ne unus lapsum Liberii perstringeret, si verus fuisset.

*Dices*: Silentium scriptorum de aliqua re nihil probat; cum sit argumentum negativum.

R. Equidem silentium hoc non esse semper argumentum convincens, aut quod rem decidat, 1°. quia subin de facto aliquo non erat occasio scribendi: 2°. quia unus, alterve auctor, cœvus licet, factum aliquod ignorare potuit:

3°. quia quilibet attingere non erat scopus scriptoris cujuslibet; nec enim omnes de re qualibet scripsere: 4°. si scriptor cœvus partium studio correptus, vel suspectus fuerit, etc.

Sed propterea male universim hoc argumentum rejicitur. Quin locum habere debet 1°. si concurrat cum argumentis positivis: 2°. si posceret occasio, ut factum referretur: 3°. si ignorantia scriptorum præsumi non possit: 4°. si de studio partium suspecti dici non possint: 5°. si non pauci duntaxat, sed plurimi numero, et quotquot historiam, ad quam factum pertinet, ex professo tractant, nihil memorent: 6°. et maxime, si, qui contra commune omnium silentium asserit factum aliquod, id non sufficienter probet argumentis positivis, indubiis; cum hæc probatio in quovis ordinato judicio incumbat asserenti factum, et delictum; vel si plane innitatur supposititiis. Ratio horum est; quia secus, historiarum loco, fabulis demum redundabunt omnia.

Atqui in præsentii controversia, 1°. hoc scriptorum silentium concurrat cum argumentis positivis n. præc.: 2°. poscebat referri hoc Liberii factum scribendi occasio, cum de reditus ejus causa ex professo agerent, quam tamen ejus lapsui tribuit nemo; imo ne Arianorum quidam illius temporis, si Philostorgium strenuum in paucis Arianum excipias, sed cui statim respondebitur: 3°. communem illam scriptorum ignorantiam et Patrum, in specie S. Hilarii Pictavorum Episcopi, eo tempore viventis, et acerrimi Arianorum hostis, nemo nisi temere præsumet: 4°. nec studium partium illis objici potest; qui enim Patrum Ariminensium acta non modo non dissimularunt, sed eos agitarunt etiam; qui reliquorum Pontificum nævos diligenter notarunt, cur, aut cui bono unius Liberii lapsum tacuissent? certe si reprehendendus fuisset a lapsu Liberius; idem commendandus fuisset a pœnitentia, cum redux ab exilio nihil zeli omiserit contra Arianos: 6°. qui lapsum Liberii posterioribus seculis divulgavit, neque argumenta afferunt hunc sufficienter probantia, imo nequidem authentica, ut mox dicetur.

119. *Dices*: Philostorgius in Epitome L. 4. n. 3. teste Photio, *tunc* (scilicet cum Constantius Sirmium venisset) *etiam eundem Liberium*, inquit, *et una cum illo Osium Episcopum contra consubstantialis vocabulum, et contra Athanasium subscripsisse. Postquam vero subscripsissent, Osium quidem ad sedem suam, Cordubam scilicet Hispaniæ, abiisse; Liberium vero Romanæ Ecclesiæ præfuisse.*

R. Manifestum est, hic a calumniatore pro vera historia referri falsum rumorem, quem sparserant Ariani, cum lapsus esset Hosius, de consensu quoque Liberii in eandem hæresin. Patet ex eo, quod utrumque simul eodem tempore lapsum, ac simul ad Ecclesiam suam remissum asserat; sed ambo notorie falsa sunt: primum; quia formula, cui subscripsit Hosius, erat secunda Sirmiensis arianam hæresin aperta fronte præferens; at nemo catholicorum ait, huic subscripsisse Liberium, quod et infra probabitur: secundum; quia Hosius rediit anno 357. Liberius autem anno 358. omnium consensu scriptorum. Sic et respondere debent ad Philostorgium, qui a nobis dissentit, et Liberium vel primæ, vel tertiæ formulæ subscripsisse contendunt; ne secus Liberium faciant aperte hæreticum.



120. *Prob. 3<sup>a</sup>. p.* Fundamentum, cui tota structura innititur de Liberii lapsu, sunt quatuor epistolæ sub Liberii vulgatæ nomine; quædam loca reperta in operibus S. ATHANASI, et S. HIERONYMI: atqui hæc ut genuina admitti non possunt; ergo. *Min.* sat clare *constabit solutione objectionum*; uti pariter, fragmenta illa divulgata sub S. HILARII Pictaviensis nomine, quibus insertæ erant quatuor illæ epistolæ, et a quibus istæ ob auctoritatem nominis S. Hilarii fidem invenerunt apud multos, S. Præsuli nonnisi ridicule tribui posse.

121. *Prob. II. in specie* de formulis singulis Sirmiënsibus.

I. Liberius non subscripsit formulæ primæ. *Prob. 1<sup>o</sup>. negative*: Subscriptio hæc asseritur sine ullo auctore antiquo, sine ulla ratione idonea, sine ulla verisimilitudine; imo contra omnem verisimilitudinem; ergo male asseritur. *Prob. Ant. quoad 1<sup>am</sup>. membr.* Nam duo textus afferri solent ab adversariis: primus ex epist. Liberii ad Orientales depromptus est; sed hanc epistolam supposititiam esse, ut ante dixi, ex manifestis indicibus in solutione objectionum constabit: alter ex fragm. 6. sic vulgo dictorum fragmentorum S. HILARII petitur; de quo nunc statim dicemus. Reliqua membra ex sequenti probatione positiva elucescent.

*Prob. 2<sup>o</sup>. positive.* Concilium Sirmiëse, in quo Photinus damnatus est, conditaque prædicta fidei formula, tam antiqui, quam recentiores historici passim figunt anno 351. cum Petavio, qui illo anno habitum probat in Annotatis ad S. Epiphanium pag. 317.; atqui non est verisimile huic formulæ subscripsisse Liberium. *Prob. min.* Imprimis cum formula illa conderetur, Liberius nequidem adhucdum erat Romanus Pontifex, sed talis creatus primum fuit anno 352. 23. Maii. Deinde vero a Liberio facto Pontifice ante exilium nunquam exegit Imperator, ut huic formulæ, sed ut condemnationi S. Athanasii subscriberet; propterea enim Liberium, quod condemnare S. Athanasium nollet, cum aliis Episcopis idem renuentibus relegatum fuisse, concors est scriptorum relatio; et constat ex ultimo Liberii cum Imperatore colloquio, quod refert THEODORET. L. 2. c. 13. Cur igitur sollicitatum dicemus Liberium ad subscribendum illi formulæ, anno quidem secundo, vel tertio exilii sui, h. e. anno 357. ? quo tempore novas cudebant formulas Ariani, et de priore illa anni 351. non erant amplius solliciti; et minime Imperator. Certe tempus, aliaque acta omnia anno 357. et 358. plus, si supponatur alicui subscripsisse Liberius, favent secundæ, quam primæ formulæ. Vidit hoc PETAVIUS, *ibid.* pag. 316., ideoque dixit: *Hoc vero certissimum, neque priori illi contra Photinum editæ subscripsisse; et si ex tribus Sirmiënsibus aliquam admiserit (ex hac hypothetica locutione male ab aliis pro formula secunda citatur Petavio), non aliam, quam secundam, cui et Osius assensus est, comprobasse.*

*Dices*: Juxta S. Hilarium Fragm. 6. n. 7. *Perfidiam autem apud Sirmiënum descriptam, quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt, qui conscripserunt: Narcissus, Theodorus, Basilus, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Sylvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius, et Junior... omnes hære-*

*tici.* Atqui multi saltem ex his certo non fuerunt auctores formulæ secundæ Sirmiënsis; ergo primæ.

R. N. Allata verba ex Frag. 6. esse S. HILARII; præterquam enim, quod totam fragmentorum farraginem cum BARONIO et BELLARMINO abnegaturi simus S. HILARIO, illa certe ex Fragm. 6. recitata S. Præsuli tribui non possunt.

1<sup>o</sup>. Quia vocantur *omnes hæretici*: atqui hoc falsum est, et ipsi repugnat HILARIO; nam inter recensitos Episcopi multi erant Semiariani, ut BASILIUS Ancyranus, quem laudat S. ATHAN. L. de Syn. n. 41., quique habito Concilio secundam Sirmiënsis formulam damnavit; SYLVANUS Tarsensis S. BASILII M. familiaris; DEMOPHILUS, aliique; illos autem S. HILARIUS nunquam habuit hæreticos, sed summis extulit laudibus, coluit ut fratres, et viros sanctos et apostolicos, L. de Synodis, ubi sic eos alloquitur n. 77. 78.: *Reliquis mihi sermo ad sanctos viros, Orientales Episcopos dirigendus est... et dabunt veniam ex communi conscientia fide secum liberius locuturo. O studiosi tandem Apostolicæ atque Evangelicæ doctrinæ viri! quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit! Quantam spem revocandæ veræ fidei attulistis, constanter audacis perfidiae impetum retundendo. Et infra n. 91. Homoousion nescio, nec intelligo, nisi tantum absimilis essentia confessione... Pium est quod volumus, ne damnemus Patres, ne animemus hæreticos.* Item n. 88. *Date veniam, fratres, quam frequenter poposci: Ariani non estis; cur negando homoousion censemini Ariani?* En! S. HILARIUS ait 1. Semiarianos in homoousio confiteri id, quod ipse confitetur HILARIUS: 2. se habere cum ipsis ejusdem fidei conscientiam: 3. eos Apostolicæ atque Evangelicæ doctrinæ studiosos esse: 4. eos afferre spem revocandæ fidei: 5. non esse Arianos, sive hæreticos. Quomodo ergo idem S. HILARIUS dixerit, ut in Fragm. cit. *hæretici omnes?* Numquid semetipsum compellavit hæreticum!

2<sup>o</sup>. Fragm. cit. hæc formula, quam ibi Liberius fertur dixisse catholicam, vocatur ariana *perfidia*; ideoque in fragmentis iisdem, ubi refertur epist. Liberii ad Orientales, cit. n. 120. anathema infligitur Liberio ob subscriptionem hujus formulæ; item vocatur *apostata, prævaricator*: atqui formulam primam S. HILAR. Lib. de Syn. a n. 38. ad 63. ut catholicam exponit, laudatque.

*Neque dicas*: a S. HILARIO dici *perfidiam* ratione consilii et fraudis auctorum illius formulæ; non ratione sententiarum, quibus constat. Nam 1. auctores formulæ illius erant ad magnam partem Semiariani, quos ut perfidos nunquam habuit HILARIUS. 2. Si *perfidiam* intellexisset dato sensu, quomodo ob subscriptionem hujus formulæ, quæ ex mente ipsius HILARII habebat sensum catholicum, quæque in hoc sensu, ipsius HILARII testimonio, erat admissa a Liberio, huic poterat infligere anathema, eum vocare apostatam, prævaricatorem, quin HILARIUS in se HILARIUM has ipsas censuras tulisset? 3. Data responsio non est accommodata textui; HILARIUS enim *perfidiam* hic vocaret illud, quod Liberius fertur dixisse *catholicum*; hic enim est sensus naturalis et obvius: atqui Liberius formulam ratione sententiarum, quibus constat, dixisset *catholicam*; nam fraudes suas utique Liberio non patefēcissent Semiariani. Accedit, quod Fragm. cit. dicatur *perfidia*



*descripta, conscripta, quæ in sensu communi rem, ut scripta jacet, designant.*

122. II. LIBERIUS non subscripsit formulæ secundæ. Ita nunc plerique catholici contra Blondellum Calvinicolam.

*Prob.* Nam 1º. huic formulæ subscripsisse Liberium diserte negat SOZOMENUS, juxta n. 115.

2º. Si formulæ huic subscripsisset Liberius, dubitare non possumus, quin, sicut Hosius remissus fuit in Hispaniam, quod subscripsisset huic formulæ, sic quoque remissus Romam fuisset Liberius, et multo magis, quod jam Constantius Liberii reditum promississet Romanis; at Hosius anno 337. post subscriptionem jam remissus fuit; Liberius non nisi anno 338.

3º. S. HILARIUS L. de Syn. non modo frequenter dicit, ab Hosio receptam fuisse formulam secundam, sine ulla de Liberio mentione, sed etiam a n. 78. clare insinuat, solum ex iis, qui Ariani non erant, fuisse Hosium, qui illam formulam receperat, sive qui consenserat, ut non solum vox *ὁμοούσιος consubstantialis*, sed etiam *ὁμοούσιος similis substantiæ* ommitteretur, quod primum in illa formulâ tentatum est ab Arianis; disserens enim cum Semiarianis, *Oro vos, inquit, ne quisquam alius ex his præter senem Hosium, et ipsum illum nimium sui sepulcri amantem, reperiatur qui tacendum existimet de utroque.*

4º. Hinc Ariani solius auctoritatem Hosii objiciebant catholicis; nunquam Liberii Romani Pontificis, ut discimus ex S. Phœbadii contra Arianos opusculo; attamen illa Liberii majoris fuisset ponderis.

5º. S. EPIPHAN. similiter hæc. 86. n. 14. affirmat, de Hosii lapsu mire triumphasse Arianos, quos tamen fraudis arguit: *Quo nomine Ecclesiam condemnare se posse, putarunt (Ariani) iis litteris, quas ab venerabili Episcopo Hosio per fraudem abstulerunt, in quibus dissimilis essentia legitur.* Si tanti triumphati materia erat consensus Hosii, forte fraudulentè extortus et ex parte fictilius; quos non cecinissent Ariani triumphos, si tantumdem dicere potuissent de Romano Pontifice? Tentarunt id quidem per calumniam, velut ex SOZOMENO vidimus n. 115., sed cujus paulo post ipsos pudit; ut colligitur ex eorum mox secuto silentio.

123. III. Neque subscripsit LIBERIUS formulæ tertiæ: imo huic omnium minime subscripsisse dici potest.

*Prob.* Tertia formula Sirmiensi composita est anno 359., ut docet S. ATHANAS. L. de Synod., ubi eam refert n. 8. *Edita est catholica fides, præsentente Domino nostro piissimo, et victoriis eximio Imperatore Constantio Augusto, æterno, venerando, sub Consulatu Flavio Eusebii et Hypatii clarissimorum, undecimo Calendas Junias; id est 22. Maii anni 359. At Liberius jam anno præcedente 358. Romam redierat, ut communis habet sententia Chronologorum cum BARONIO, PAGIO, TILLEMONTIO, PAPEBROCHIO nostro, et STILTINGIO contra alios, qui in eo solum ab hac communi sententia differunt, quod reditum Liberii adhuc citius, scilicet anno 357., nullus vero post ann. 358. contigisse dicat; et ratio aliqua sententiæ petitur ex L. 14. de Episcopis, quæ data legitur VIII. Idus Decembris, Constantio nonum, et*

*Juliano secundum Consulibus. i. e. anno 357. quæ data dicitur ad Felicem; ergo Liberius adhuc erat in exilio; nam redeunte Liberio, Felix Roma cessit continuo.*

124. *Dices* 1º. Cum *Pagio et Valesio.* In conventu Sirmiensi habito anno 338. præsentibus Imperatore, et legatis Concilii Ancyran, BASILIO Ancyrano, EUSTACIO Sebasteno, et ELEUSIO Cyziceno composita fuit illa tertia fidei formula, quam recepit Liberius; ad quid enim alias ille conventus fuisset celebratus?

R. Bona pace tantorum virorum *N. Supp.* quod inter formulam Sirmiensem secundam anni 337. et inter Sirmiensem tertiam anni 359. ulla condita fuerit intermedia Sirmiensi formula. Constat ex S. ATHANASIO L. de Syn. ubi de proposito referens omnes Ariatorum formulas, post secundam Sirmiensem n. 29. recitatam, mox eod. n. 29. pergit ad tertiam Sirmiensem, eamque recitat et figit anno 359.; alia vero intermedia ipsi incognita fuit. Idem amplius evincitur ex S. HILARIO L. de Syn. Et vero si condita aliqua formula intermedia, quæ illa? Cur illam in forma non producent adversarii?

*Ad quæsitum* R. Conventum Sirmiensem habitum fuisse ad preces legatorum Concilii Ancyran eod. ann. 338. habiti, in quo reprobata fuerat secunda Sirmiensi formula. Agebant igitur Legati apud Constantium, ut ipsi præcipui secundæ impiæ Sirmiensi formulæ auctores, Valens, Ursacius, Germinius, subscribere compellerentur anathematismis, contra illam Ancyræ compositis, qui erant numero 12., atque sic damnare impietatem apertam, quam ipsi protulerant. Hæc manifesta sunt ex S. HILARIO L. de Syn. n. 2., quem S. Præsul ad Episcopos Galliæ, qui formulam eandem damnaverant, paulo post conscripsit.

125. *Dices* 2º. Cum aliis tertiæ, et primæ formulæ patronis simul. Ex SOZOM. L. 4. c. 15. in conventu Sirmiensi a Legatis proposita fuit quædam formularum collectio, quæ continebat 1. formulam Sirmiensem primam contra Photinum: 2. aliam editam in dedicatione Antiochensis Basilicæ contra Paulum Samosatenum, qua reprehenduntur *consubstantialitatis* defensores, velut sub hujus obtentu vocabuli propriam hæresin stabilire conantes. Atqui ex eodem SOZOM. ibid. huic collectioni subscripsit Liberius; ergo revera subscripsit formulæ Sirmiensi primæ; vel alicui formulæ inter primam et secundam intermediæ.

R. *Permisso*, illi conventui interfuisse Liberium, et alios a SOZOM. enumeratos, *N. min.* et vehementer metuo, ne plures adversarii hic, ubi SOZOM. agit de iis, qui in conventu illo ad subscribendum compulsi, Liberium Africæ Episcopum confundant cum Liberio Romano Pontifice; nam eos referens, qui subscriperunt, ait: *Effecerunt (Legati) ut Liberius, Athanasius, Alexander, Severianus, et Crescens (NB.) Africa Episcopi ei formulæ (sed græce Ei), scilicet Libello, in quem omnia conjuncta fuisse immediate ante dixerat) consentirent. Consenserunt pariter Ursacius, Germinius et Valens, et quotquot ex Orientalibus partibus aderant.* Quid vero cum Liberio gestum fuerit, specialim postea docet, nimirum quod Legati a Liberio quoque *confessionem susceperint*, sed qualem? advertite: *quæ eos,*



qui Filium secundum substantiam et per omnia Patri similem non esse asseverent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat. En quam scilicet hic distinguat Sozom. Liberium ab iis, qui contra consubstantialitatem subscripserant? Eos vero ab Ecclesia alienos pronuntiare, qui negarent Filium Patri per omnia similem, non erat subscribere alicui formulæ Sirmiensi, sed damnare aperte arianam hæresin, quod semper fecerat Liberius tam ante, quam post exilium. Ratio vero, cur hoc speciatim a Liberio postularint Legati, illa fuit, quod diceretur Liberius, negasse Filium similis cum Patre substantiæ, quem rumorem scilicet, teste Sozom. cit. n. 115. post lapsum Hosii sparserant Ariani.

Dixi: *permissio*, etc. nam Liberium dicto conventui interfuisse, uti et Episcopos alios plures, quos refert Sozom. negat STILTINGIUS noster ex S. HILARIO, quod ei plus debeat fidei, utpote tunc viventi. Et vero de tribus tantum, qui ad subscribendum compulsi, memorat S. HILAR. L. de Syn. n. 78. et 81. ubi Ancyranos legatos alloquitur; nimirum de Valente, Ursacio, et Germinio.

126. *Obj. I. S. HILARIUS* in fragmentis ipsas refert Liberii epistolas, quibus hic Pontifex testatur ipse, se communionem amplecti Arianorum; e contra S. Athanasium excludi a communione sua Liberii, sive Ecclesiæ Romanæ, et litterarum consortio; verbo: condemnatum esse; ergo.

R. 1°. *N. supp.* Fragmenta illa S. HILARIO prudenter tribui posse; est hoc non meum solummodo de fragmentis illis, sed virorum gravissimorum iudicium. BELLARMIN. L. de Scriptorib. Eccles. libros fragmentorum ait esse alterius, qui S. Hilarium imitari voluit. BARONIUS in Appendice t. 3. Annal. ad ann. 352. velut corrigens priorem opinionem, inculenter declarat, fragmenta omnia Hilariana, quæ tum fuerant recenter a Fabro edita, non posse prudenter S. Hilario attribui. Non meminit eorum S. HIERON. in Catalogo Scriptor. licet singula alia Hilarii opera diligenter referat. Extare plurima in fragmentis illis, quæ Hilarii foetus non sunt, inquit D. Collet, Tr. de SS. Trinit. pag. 326. Singula S. Hilario abnegat STILTING. S. J. in vita de S. Liberio Papa. Item auctor Gallus Dissert. Crit. de S. Liberio; utque plures omittam, Coustantius ipse, fragmentorum Editor in Præf. se, pluresque dubitare ait, num vere S. Hilarii sint; quasdam tamen ratiunculas pro Hilario assert, sed quæ ne attendi quidem merentur. Ac NATALIS ALEXANDER Liberii epistolam ad Orientales, non obstante, quod fragmentis inserta sit, negat esse posse Liberii, licet cætera non magnus Liberii patronus; et, quid plura requires? QUESNELLUS ipse, teste Collet cit. Et ne ex sola auctoritate, licet illa tantorum virorum sufficere posset, id dicere videamur, rationes accipe; sed ante tamen quoad fragmentorum istorum originem

*Observa.* Per fragmenta, vulgo S. Hilarii dicta, venit illa scripturarum collectio, quæ sub nomine S. Hilarii edita a Nicolao Fabro, inque novissima editione operum S. Hilarii Pictaviensis a Petro Coustantio Benedictino vulgata. Fatente eodem, fragmenta illa non sunt inventa in MSS. codicibus eo ordine et modo, quo sunt edita; sed erat (verba sunt editoris) *monstruosa quedam rerum facies, et inordinata, confusaque variarum epistolarum congeries.* Deinde prior pars nullius inscripta erat nomine; sola posterior pars additum ferebat Hilarii nomen in fronte cum addito,

*Sancti*; ut vel exin pateat, Hilarii nomen ab alio adjectum fuisse, neque enim Hilarium, semetipsum canonizasse, quis dicet. Hinc quæstio esse non potest, an fragmenta eo modo, quo extant nunc, composita a S. Hilario sint; sed solum, an fragmenta illa dissoluta ex aliquo S. Hilarii opere excerpta sint; eaque ratione sint S. Hilarii? Etsi vero ex ipsa origine jam dubia, et fide digna non sint; ipsas tamen rationes habe, quantum puto, satis convincentes, fragmenta illa S. Hilario prudenter tribui non posse: Nam

1°. Unde, amabo! editores illi nosse poterant, partem primam fragmentorum potius S. Hilarii esse, quam alterius, cum nullius esset nomine inscripta, in qua tamen pleræque Liberii epistolæ insertæ legebantur? Ex quo Hilarii libro excerpta sunt? Quis parti secundæ S. Hilarii nomen addidit? Hæc vero omnia declarare, probareque oportebat antequam continuo S. Hilario tribuere totam illam inconfusam farraginem. Verum

2°. Fragmenta illa innumera continent vitiosa, falsa, S. Hilario prorsus indigna, et directe contraria. Ex plurimis, quæ illi notarunt, qui fragmenta de sensu fere ad sensum examinarunt, cumque S. Hilarii operibus genuinis contulerunt, delibare placet sequentia, quæ opinor, abunde sufficiunt, *Fragm. 2. n. 21.* ait personatus Hilarius, quod S. ATHANASIUS Marcellum Ancyranum a sua communione separavit, et quidem *antior tempore*, quam Photinus accusaretur: atqui istud non ab Athanasio, sed ab Eusebianis, sive Arianis factum. Audiamus S. Athanasium ipsum in *Histor. Arianor. ad Monach. n. 6. De Marcello autem Galatiæ superfluum fortasse fuerit mentionem facere; omnibus enim compertum est, Eusebianos ab eo antea impietatis accusatos, eum vicissim accusasse, eorumque opera senem illum exculasse.* Num in *fragm. 2.* falsi et erroris reum nunc argues S. Hilarium, in illius temporis historia versatissimum? ut probat ejusdem Lib. ad Constant.

*Fragm. 4.* refertur epistola sub Liberii nomine, quam fictitiam probat late ipse editor fragmentorum Coustantius; et admittunt omnes; etiam qui cætera lapsum fuisse Liberium tumentur. Et ratio evidens est; quia in hac dicitur Liberius condemnasse Athanasium jam multo ante exilium: atqui hoc est notorie falsum; nam Liberium ideo relegatum fuisse, quod S. Athanasium condemnare nollet, concursus clamat historia. Quid igitur nunc dicent hujus Hilarii operis vindices? eratne simplex adeo Hilarius, ut epistolam tam clare Liberio suppositam, pro genuina habuerit, suoque inseruerit operi, ad ignominiam præclari Pontificis, quo nemo magis, etiam adversariorum consensu ante exilium, protegebat S. Athanasium?

*Fragm. eod.* post recitatam illam Liberii epistolam subdit fictitius Hilarius: *Quid in his litteris non sanctitatis? quid non ex metu Dei eveniens est? Sed Potamius, et Epictetus, dum damnare urbis Romæ Episcopum gaudent; sicut in Ariminensi Concilio continetur, hæc audire noluerunt, etc.* Eratne sanctum, et ex Dei timore profectum, condemnare S. Athanasium, cujus causa erat connexa cum fide? recedere ab ejus communione, communionem contra Arianorum amplecti? Ita dixerit S. Hilarius Pictav. maximus Ecclesiæ Doctor, et columna illo tempore habitus? Quin ex hoc loco fragmenta illa potius Luciferiani alicujus schismatici esse, quam S. Hilarii rectius colligitur.



Fragm. 6. ter anathema infligit Liberio ceu apostatae, ut vidimus n. 121. At etiam defensores lapsus Liberii id a S. Hilario potuisse proficisci negant: etenim S. Doctor fertur scripsisse fragmenta post reditum Liberii, quo tempore nemo fortius Liberio orthodoxam fidem propugnavit; adeo ut ejectum Roma Felicem nollet ante in communionem recipere, quam imperatorem ipsum Constantium damnasset; rescinderet acta Ariminensia, omnes nutantes in fide firmaret. Quis vero S. Pontifici, ut quidem adversarii loquuntur, tam egregie poenitenti, tam strenue pugnanti, anathema dictum ab Hilario putet? Nimis hoc remotum a maxima S. Doctoris prudentia. Vid. item n. 121.

Sic in quolibet ferme fragmento indignum aliquid vel sanctitate, vel prudentia, vel eruditione, vel modestia S. Hilarii reperire est, quae singula hic referre non fert praesentis instituti ratio. Vid. STILTINGIUM ea singula recensentem. Quod si quis nihilominus S. Hilario fragmenta illa tribuere voluerit, mea id pace fiat; a me id nemo obtinebit, sed ob allata, si non plane Luciferiani alicujus schismatici, certe cum nominatis supra auctoribus, tum praeterea cum Petavio nostro in Animadversionibus ad S. Epiphani., fatebor esse imperiti cujusdam, qui S. Hilarium imitari cupiens, Arianæ sectae divortia non satis perspexit. Nunc ad ipsas Liberii epistolas, etc.

127. R. 2°. Singulae Liberianae epistolae fragmentis illis insertae supposititiae sunt; atque aequae parum tribui possunt Liberio, quam fragmenta S. Hilario. Antequam rationes demus,

*Observa.* Plures circumvolitasse epistolas sub Liberii nomine, sed quas vix unus eruditorum ut genuinas adoptavit, velut epistolae Liberii ad S. Athanasium; hujus ad Liberium et similes; cum ipsum argumentum continuo lectori indicet, et, si habeatur ratio temporis, Liberii esse non posse; sed quaeri potissimum de quatuor, quae sic dictis fragmentis Hilarianis immixtae. PRIMA in fragmento 4. n. 1. hanc inscriptionem fert: *Dilectissimis fratribus nostris, et coepiscopis nostris universis per Orientem constitutis Liberius Urbis Romae Episcopus aeternam salutem.* Tum epistola sequitur: *Studens paci et concordiae, etc.* ALTERA in fragmento 6. n. 4. iterum ad Orientales data hac distinguitur inscriptione: *Dilectissimis fratribus presbyteris, et coepiscopis orientalibus Liberius.* Initium epistolae habet: *Pro Deifico timore, etc.* TERTIA ibid. n. 8. ad Valentem, Ursacium, et Germinium, Arianos in Illyrico Episcopos, data dicitur, incipitque: *Quia scio vos filios pacis esse, etc.* QUARTA ibid. n. 10. Vincentio Capuano inscripta, ad omnes tamen Campaniae Episcopos directa cum initio: *Non doceo, sed admoneo, sanctum animum tuum, etc.*

Atqui nulla harum epistolarum Liberio tribui prudenter potest: nam imprimis generaliter loquendo de singulis, quatuor illae epistolae fidem invenerunt praecipue, quod S. Hilarius suis illas fragmentis inseruisse crederetur; at quam immerito fragmenta illa dicantur auctorem habere S. Hilarium, pulo, ex dictis constat. Equidem posteriores etiam Baronius ex collectione CRESCONII AFRICI edidit; sed quantum quoque Cresconius colligendo scripturas deceptus fuerit, aliunde notum est; verum patebit illa epistolarum Liberii suppositio nunc plenius ex singularum examine. Nam

128. PRIMA aperte repugnat Arianorum historiae; ex tenore enim epistolae clarum est, scribi debuisse sub initium Pontificatus Liberii, si hujus sit; nam Orientales in ea dicuntur litteras dedisse ad Julium Liberii praedecessorem; en verba: *Studens paci et concordiae Ecclesiarum, posteaquam litteras Charitatis vestrae de nomine Athanasii factus ad nomen Julii bon. mem. accepi.* Liberius vero dicitur epistola illa respondere, quod S. Athanasium a sua, sive Ecclesiae Romanae communi omni removerit; igitur sive jam primo, sive secundo, sive tertio Pontificatus sui anno ita respondisset Liberius, quod perinde est; saltem non nisi ante exilium Liberii, quod anno 335. adiit, scripta fuit. Atqui, ut supra vidimus n. 126. de fragm. quarto, Liberius etiam exilium pati maluit, quam injuriosum aliquid contra S. Athanasium statuere. Ex sola hac observatione satis colligitur, fictitiam esse epistolam illam, sive eam Ariani procuderint, vivente Liberio, sicut et alias contra S. Athanasium fabricaverunt, teste S. Athanasio ipso in Apol. sive Luciferianae sectae schismaticus: quod ipsum est Constantii de hac epistola testimonium. Sed et primus fragmentorum editor Nicolaus Faber ingenue fatetur, epistolam hanc cum Arianorum historia consistere non posse. Item Baron. cit. et commune judicium est Natal. Alexandri, Collet, Quesnelli, etc.

129. ALTERA supposititia esse convincitur 1°. quia data dicitur ad omnes Orientis episcopos et presbyteros, quibuscum universis pacem se habere declarat ibidem fictitius Liberius; item rogat turpi assentatione, ut communi consilio et studio apud Imperatorem pro suo labore redditu. At quid ineptius fingi potuisset de Liberio? Orientales enim invicem divisi erant, cum alii essent Ariani, alii Semiariani, alii adhuc bene multi Catholici; quomodo igitur cum singulis se pacem habere, dicere poterat Liberius, qui divisionem illam Orientalium jam expertus non ignorabat? Quomodo, cum hac in epistola dicitur referre, a se damnatum esse Athanasium, idque Imperatori notum esse, hortari poterat Orientales omnes, ut communi consilio et studio laborarent pro suo redditu, qui, supposita damnatione S. Athanasii, Catholicorum omnium, imo plurimum ex Semiarianis, qui S. Athanasio non adversabantur, ut Basilus Ancyranus, etc. teste S. Athan. Lib. de Syn., potius in se odia concitasset? 2°. Si subscripserat contra S. Athanasium, quid jam necesse habebat Orientalium implorare opem? cum enim ideo relegatus esset, quod contra S. Athanasium subscribere nollet; dubitare non poterat, de suo Romam redditu a Constantio obtinendo, cujus perfecte voluntatem implevisset. Adde stylum epistolae adeo hiulcum esse, inconnexum, barbarismis horridum, ut ne ferrea quidem aetate, necdum illa Liberii, hocque ipso dignus sit.

130. TERTIA eadem suppositionis argumenta habet, quae prima; nam et in illa apertius adhuc asseritur S. Athanasius a Liberio damnatus ante hujus exilium. Unde et BARONIUS, postquam epistolam hanc ad ann. 337. recitasset ut genuinam, postea, illa penitus expensa, in Append. ejusd. Tom. pag. 25. editionis Antwerp. genuinam esse non posse profitetur; sed *unam plane eandemque fuisse manum Scorpiae, quae utramque scripsit epistolam sub nomine Liberii, ea occasione, quod diceretur Liberius vi coactus subscripsisse,*



At idem Scorpius etiam reliquas contexuit, utpote Liberio æque, imo magis indignas, quam sit prima et tertia; et occasio erat eadem.

131. QUARTA non minus suppositionis convincitur, quam secunda; 1º. ex genere scribendi plusquam ferreo. 2º. Fingitur implorare patrocinium omnium Campaniæ episcoporum, iisque hunc in finem declarare lapsum suum. Quid ineptius? Nam Campaniæ episcopos, plerosque catholicos, ex epistola, qua lapsum suum, et damnatum a se Athanasium prædicat, alienasset a se potius. Nec egebat Campanorum patrocinio, si cedere vellet Constantio.

132. *Obj. II. S. ATHANASIUS* lapsus Liberii testis est; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1º. in histor. Arian. ad Monachos, ut vocatur in editione Parisiensi; alias epist. ad Solitarios, n. 41. Porro, inquit, *Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit.* 2º. In apolog. cont. Arian. n. 89. scribit: *Cum autem non solum verbis mihi patrocinati fuerint, sed etiam exilium sustinuerint, ex eorumque numero sit Liberius Romæ Episcopus; nam etsi exilii ærumnas ad finem usque non toleraverit; attamen, quod constatam in nos conspirationem probe nosset, biennio in exilii loco est commoratus.*

R. N. A. *Ad prob. 1ºm.* respondent alii, sparso ab Arianis rumore de lapsu Liberii, ut plures alios, sic quoque S. ATHANASIUM decipi potuisse tunc in solitudinis Ægypti latebris degentem. Favet huic responsioni tempus: nam opus hoc, ut modo probabitur, scripsit eo ipso tempore, quo lapsum Liberii sparserant Ariani occasione lapsus Hosii, scilicet anno 337., quo Hosius subscripsit. Et vero de ipso ac vero Liberii lapsu, qui ipsi tribuitur, hæc S. ATHANASIUS scribere non potuit, ut dicam modo. Hinc

*Ad 1ºm.* R. N. illa esse S. ATHANASII verba; nam laudatum opus ante tempus, quo lapsus dicitur Liberius, jam conscriptum fuit, ut proin illa de Liberio non ab Athanasio scripta, sed ab interpolatore alio assuta sint. Ratio est, quia quæ isthoc in opere refert S. Athanasius, omnia jam ante finem anni 336., quo sanctus Alexandria in Ægypti solitudinem fugit, vel certe ante Pascha anni 337. contigerunt; nam in hoc opere postquam dixisset, persecutionem nondum quiescisse, ultimo loco subnectit martyrium S. Secundi presbyteri: *certe jam* (græc. οὐτω γὰρ καὶ νῦν, id est, sic et nunc) *presbyterum Secundum... occiderunt... in quadragesima;* postque hoc ultimum particulare factum solum adhuc generaliter exponit Arianorum crimina. Atqui S. Secundus, plerorumque scriptorum de illa persecutione consensu, occisus fuit adhuc ante Pascha anni 337., et juxta S. Athanasium in quadragesima; ergo hoc anno 337. S. Athanasius illud opus conscripserat, quo tamen anno Hosius quidem, non tamen Liberius jam tum lapsus dicitur. Similiter in hoc opere ait S. Athanasius, LEONTIUM Antiochiæ Episcopum adhuc vivere n. 4. *Ex quorum numero est Leontius, qui nunc Antiochiæ episcopus est:* atqui mors LEONTII jam evenit prioribus mensibus anni 337. vel certe circa Pascha, teste Socrate L. 2. c. 37. aliisque, et mense Maio Romam perlata est ad Eudoxium tum Romæ, cum Imperatore existentem; ergo necesse est, ante Liberii lapsum opus illud S. Athanasius scripserit. Plura id genus vide apud auctorem Diss. Crit. de Liberio,

quibus invicte probat, verba illa de lapsu Liberii ab interpolatore assuta esse.

*Ad 2ºm.* R. 1º. Permisso etiam illa S. Athanasii esse; nihil tamen ex his pro lapsu Liberii evincetur; nam verba illa: *Etsi exilii ærumnas ad finem usque non toleraverit, solum significant;* etsi non fuerit in exilio ad usque vitæ finem, in eo tamen fuit biennio, nec plus etiam verba græca significant; ergo ex his Liberii lapsus colligi non potest. Nihilominus, quia historia non permittit, hæc verba tribui S. Athanasio,

R. 2º. Etiam hoc opus non tantum multo ante Liberii lapsum, sed usque adeo ante hujus Pontificatum scriptum fuit. Hoc alii dudum viderunt, etsi propterea a lapsu Liberium non excusent. Et quidem eruditi Benedictini editores operum S. Athanasii in Præf. pag. 118. apologiam contra Arianos circa annum 330., id est, duobus fere annis ante Pontificatum Liberii, et 7. vel 8. ante reditum ab exilio scriptam autumant. Idem Papebrochius ait in S. Athanasio cum cæteris. Ratio horum est, quod ex plurimis hujus apologiæ locis constet, editam fuisse, antequam Ursacius et Valens, qui ab Arianis partibus resilierant, et suam adversus S. Athanasium sycophantiam confessi fuerant, in impietatem reciderent, et adversus Athanasium se denuo Arianis jungerent, quod ut tardius anno 352. contigisse refert historia, et demonstratur ab iisdem. Opus igitur illud scriptum fuit inter annos 349. et 350. Omissis aliis, habe ultima, prout conscripta videtur, apologiæ verba: *Quis conspectis hujusmodi rebus, non fateatur, Valentem et Ursacium jure sese reos declarasse, ac resipiscentes ejusmodi litteras adversus se conscripsisse, quod mallent tantisper aliquo pudore suffundi, quam æternum sycophantarum supplicium luere.* Quæ ultima apologiæ verba fuisse iisdem demonstrant latius. Duo igitur sequentes articuli, ex quibus allata in objectione verba petuntur, pluribus post annis fuere assuta; cumque rationem apologiæ non habeant, nec cum præcedentibus apte cohereant, magna etiam sit styli differentia, ea interpolator, quicumque fuerit, adjecit; de quo vid. latius id probantem Stillingium in vita S. Liberii.

133. *Obj. III.* At certe S. Hieronymus lapsus fuisse Liberium testatur; ergo. *Prob. A.* Nam 1º. in Catal. script. Eccles. c. 97. in fine elogii Fortunatiani Aquileiæ episcopi, *Et in hoc, inquit, habetur detestabilis, quod Liberium, Romanæ urbis episcopum, pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, et ad subscriptionem hæreseos compulit.* 2º. In Chronico ad annum 332. *Liberius Romanæ Ecclesiæ ordinatus episcopus. Quo in exilium ob fidem truso, omnes clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi pejeraverunt, et post annum cum Felice ejecti sunt: quia Liberius tædio victus exilii, et in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intraverat.*

R. N. A. *Ad prob. R. 1º.* generaliter: Si locus uterque vere S. Hieronymi est, frustra agunt, qui ad excusandum a lapsu Liberium, eum primæ, vel tertiæ formulæ Sirmiensi subscripsisse volunt, quod utraque sensu catholica sit; verba enim S. Hieronymi, *ad subscriptionem hæreseos; in hæreticam pravitatem subscribens,* formulam secundam (vere arianam secundum sen-



tentias et sensum), respiceret. Hinc non dedignabuntur, si pro nobis omnibus respondeam. Quare

R. 2°. Neuter locus prudenter S. Hieronymo tribui potest; 1°. enim hoc loci utriusque conflictus, et contradictio clare indicat. In priore dicitur Liberius sollicitatione Fortunatiani fractus, *pergens ad exilium*, sive, dum ad hoc ibat; in altero dicitur *tadio victus exilii post annum*. Si fractus fuit a Fortunatiano, dum abibat in exilium, tuncque compulsus subscribere, quomodo *post annum* succubuit, *victus ab exilio*? Cave, ne, si nihilominus locos illos esse S. Hieronymi pertinaciter contendas, maximum Ecclesiae Doctorem, vel reum arguas falsi, vel sculpas sine memoria. 2°. Quia utrobique falsum dixisset S. Hieronymus: nam imprimis Liberium subscripsisse jam tum cum in exilium pergeret, scriptorum omnium tam ante, quam post Hieronymum historiae adversatur. Deinde aequae constat, Liberium non subscripsisse ante Hosium; hujus enim occasione subscriptionem Liberii primum sparsisse Arianos novimus; neque post annum exilii rediit Liberius, ut ibidem dicitur, sed in tertio. Quomodo ergo dixisset, salva veritate, Hieronymus, Liberium post primum exilii annum subscripsisse; vel usque adeo, cum pergeret in exilium? Certe nec in scriptoribus ante se, nec coevis adeo peregrinus erat S. Hieronymus. 3°. In specie, quoad Catalogum, dubitari potest, hunc in multis postea mutatum et auctum fuisse ab aliis, quicumque illi fuerint; testantur hoc editores postremi operum S. Hieronymi, Martianæus in editione Parisiensi; Vallarsius, Maffei in Veronensi; quin non paucas interpolationes et corruptiones observarunt in Origene, Eusebio Caesarensi, Gregorio Nazianzeno, etc. in nonnullis codicibus, hinc et illud de Liberio probabilius fluxit. Quoad Chronicon vero nequidem operose probandum est, in libris MSS. et editis corruptissimum fuisse multis additionibus et interpolationibus. Tale fuisse agnoscunt et probant editores præcedentis seculi, Pontacus, Scaliger, Tillemontius t. 11. in S. Hieronymo art. 2., quod additiones illæ res continerent S. Hieronymo indignas. At hoc de Liberio non minus indignum est Hieronymo ex dictis; imo et 4°. huic contrarium; causam enim exilii Liberii bene noverat, sicut et episcoporum cæterorum, qui una cum Liberio relegati, nimirum, quod nolent condemnare S. Athanasium, quam ipse reddidit c. 95. Catal., ex cujus damnatione intendissent Ariani occulte sibi viam sternere ad damnationem Nicænae fidei. Si ergo ex S. Hieronymo ipso, quæstio non erat de subscriptione ipsius hæreseos, sicut revera non fuisse diximus supra, et docet S. Athan. in apol. ad Constant. non est vero simile S. Hieronymum dixisse, Liberium a Fortunatiano in itinere sollicitatum fuisse ad *subscriptionem hæreseos*.

Similis præcedenti objectio ex Libello precum Marcellini et Faustini peti potest; at cum ambo homines schismatici Ursiniani, Luciferianique fuerint, S. Damaso Liberii successoris infensissimi, ut ex eorum præfatione liquet, referta mendaciis, et calumniis in S. Damasum; ab omnibus orthodoxis vapulant, nec est, quod eos moremur. Unum ex dictis collige, quam infirmis fundamentis nitatur lapsus Liberii.

## SECTIO III.

## DE VERITATE INCARNATIONIS CONTRA GENTILES.

Non inquirimus modo in argumenta, quibus ex ratione et Scripturis divinis directe gentilibus demonstratur Incarnationis veritas; ex una enim parte, sublimius est hoc mysterium, quam ut ratione naturali colligi, ac demonstrari queat; et vero hoc ipso mysterium esse desineret, si ratione humana demonstrari posset, ut loquitur Conc. Tolet. XI. *Si ratione hoc mysterium colligeretur, non esset mirabile; si exemplo, non esset singulare*. Ex altera vero parte nec novi, nec veteris Testamenti tabulis gentiles moventur. Hinc 1°. dabimus modos, quibus aliunde nihilominus gentili mysterium idem, saltem indirecte demonstratur, tum directe et ab extrinseco. 2°. Ab eorum vindicabimus argutiis, putatiis implicantiis; et 3°. in specie genealogiam Christi ab antiligiis.

## ARTICULUS I.

UTRUM, ET QUOMODO CONTRA GENTILES PROBETUR INCARNATIONIS VERITAS?

134. Dico. Incarnationis mysterium gentilibus efficaciter probari potest. Conclusio stabit ex secuturis probationibus. Nam

*Prob. I. Indirecte per motiva generalia*, quibus suadet et fit evidenter credibilis *fidei Christianæ veritas*: quæ possunt esse sequentia: 1°. Religio Christiana ejusque mysteria, non alio quam divino afflante Spiritu, multis ante seculis prænuntiata fuere: 2°. Infinitis sunt confirmata prodigiis: 3°. Pro hac religione innumeri Martyres, omnis sexus, ætatis, conditionis mortem forti et læto animo obiverunt: 4°. Hæc religio jam ultra 17. secula uniformiter et constanter toto ferme orbe floruit et aucta est, a potentissimis licet hostibus impugnata: 5°. Omnes, qui vel sanctitate vitæ, vel miraculorum gloria inclaruerunt, eandem professi sunt: 6°. A sapientissimis et sanctissimis viris constanter a suo ortu tradita fuit: 7°. Homines ad omnem virtutem format: 8°. Nihil continet a recta ratione alienum: 9°. Modus, quo mundus ad Christi religionem conversus, prorsus mirabilis est, et excedens humanas vires, ut per prædicationem duodecim rudium, pauperum piscatorum inductus est mundus ad credendum hominem crucifixum esse Deum, aliaque sublimia mysteria, ad amplectendam legem carni et sanguini adversantem, etc.

Quæ, similiaque latius deducunt Theologi Tr. de fide, SEGNERI in Incred. non excus., THYRS. GONZALEZ in Manud., GOTTI de verit. Relig. nosque ipsi paulo post. Hinc talis fit discursus: Quod docet religio divinitus instituta et vera credendum tanquam fundamentum suum, illud prudenter negari non potest: atqui religio Christiana est divinitus instituta et vera; illaque docet



tentias et sensum), respiceret. Hinc non dedignabuntur, si pro nobis omnibus respondeam. Quare

R. 2°. Neuter locus prudenter S. Hieronymo tribui potest; 1°. enim hoc loci utriusque conflictus, et contradictio clare indicat. In priore dicitur Liberius sollicitatione Fortunatiani fractus, *pergens ad exilium*, sive, dum ad hoc ibat; in altero dicitur *tadio victus exilii post annum*. Si fractus fuit a Fortunatiano, dum abibat in exilium, tuncque compulsus subscribere, quomodo *post annum* succubuit, *victus ab exilio*? Cave, ne, si nihilominus locos illos esse S. Hieronymi pertinaciter contendas, maximum Ecclesiae Doctorem, vel reum arguas falsi, vel sculpas sine memoria. 2°. Quia utrobique falsum dixisset S. Hieronymus: nam imprimis Liberium subscripsisse jam tum cum in exilium pergeret, scriptorum omnium tam ante, quam post Hieronymum historiae adversatur. Deinde aequae constat, Liberium non subscripsisse ante Hosium; hujus enim occasione subscriptionem Liberii primum sparsisse Arianos novimus; neque post annum exilii rediit Liberius, ut ibidem dicitur, sed in tertio. Quomodo ergo dixisset, salva veritate, Hieronymus, Liberium post primum exilii annum subscripsisse; vel usque adeo, cum pergeret in exilium? Certe nec in scriptoribus ante se, nec coævis adeo peregrinus erat S. Hieronymus. 3°. In specie, quoad Catalogum, dubitari potest, hunc in multis postea mutatum et auctum fuisse ab aliis, quicumque illi fuerint; testantur hoc editores postremi operum S. Hieronymi, Martianæus in editione Parisiensi; Vallarsius, Maffei in Veronensi; quin non paucas interpolationes et corruptiones observarunt in Origene, Eusebio Cæsarensi, Gregorio Nazianzeno, etc. in nonnullis codicibus, hinc et illud de Liberio probabilius fluxit. Quoad Chronicon vero nequidem operose probandum est, in libris MSS. et editis corruptissimum fuisse multis additionibus et interpolationibus. Tale fuisse agnoscunt et probant editores præcedentis seculi, Pontacus, Scaliger, Tillemontius t. 11. in S. Hieronymo art. 2., quod additiones illæ res continerent S. Hieronymo indignas. At hoc de Liberio non minus indignum est Hieronymo ex dictis; imo et 4°. huic contrarium; causam enim exilii Liberii bene noverat, sicut et episcoporum cæterorum, qui una cum Liberio relegati, nimirum, quod nolent condemnare S. Athanasium, quam ipse reddidit c. 95. Catal., ex cujus damnatione intendissent Ariani occulte sibi viam sternere ad damnationem Nicænae fidei. Si ergo ex S. Hieronymo ipso, quæstio non erat de subscriptione ipsius hæreseos, sicut revera non fuisse diximus supra, et docet S. Athan. in apol. ad Constant. non est vero simile S. Hieronymum dixisse, Liberium a Fortunatiano in itinere sollicitatum fuisse ad *subscriptionem hæreseos*.

Similis præcedenti objectio ex Libello precum Marcellini et Faustini peti potest; at cum ambo homines schismatici Ursiniani, Luciferianique fuerint, S. Damaso Liberii successoris infensissimi, ut ex eorum præfatione liquet, referta mendaciis, et calumniis in S. Damasum; ab omnibus orthodoxis vapulant, nec est, quod eos moremur. Unum ex dictis collige, quam infirmis fundamentis nitatur lapsus Liberii.

## SECTIO III.

## DE VERITATE INCARNATIONIS CONTRA GENTILES.

Non inquirimus modo in argumenta, quibus ex ratione et Scripturis divinis directe gentilibus demonstratur Incarnationis veritas; ex una enim parte, sublimius est hoc mysterium, quam ut ratione naturali colligi, ac demonstrari queat; et vero hoc ipso mysterium esse desineret, si ratione humana demonstrari posset, ut loquitur Conc. Tolet. XI. *Si ratione hoc mysterium colligeretur, non esset mirabile; si exemplo, non esset singulare*. Ex altera vero parte nec novi, nec veteris Testamenti tabulis gentiles moventur. Hinc 1°. dabimus modos, quibus aliunde nihilominus gentili mysterium idem, saltem indirecte demonstratur, tum directe et ab extrinseco. 2°. Ab eorum vindicabimus argutiis, putatitiis implicantiis; et 3°. in specie genealogiam Christi ab antiligiis.

## ARTICULUS I.

UTRUM, ET QUOMODO CONTRA GENTILES PROBETUR INCARNATIONIS VERITAS?

134. Dico. Incarnationis mysterium gentilibus efficaciter probari potest. Conclusio stabit ex secuturis probationibus. Nam

*Prob. I. Indirecte per motiva generalia*, quibus suadet et fit evidenter credibilis *fidei Christianæ veritas*: quæ possunt esse sequentia: 1°. Religio Christiana ejusque mysteria, non alio quam divino afflante Spiritu, multis ante seculis prænuntiata fuere: 2°. Infinitis sunt confirmata prodigiis: 3°. Pro hac religione innumeri Martyres, omnis sexus, ætatis, conditionis mortem forti et læto animo obiverunt: 4°. Hæc religio jam ultra 17. secula uniformiter et constanter toto ferme orbe floruit et aucta est, a potentissimis licet hostibus impugnata: 5°. Omnes, qui vel sanctitate vitæ, vel miraculorum gloria inclaruerunt, eandem professi sunt: 6°. A sapientissimis et sanctissimis viris constanter a suo ortu tradita fuit: 7°. Homines ad omnem virtutem format: 8°. Nihil continet a recta ratione alienum: 9°. Modus, quo mundus ad Christi religionem conversus, prorsus mirabilis est, et excedens humanas vires, ut per prædicationem duodecim rudium, pauperum piscatorum inductus est mundus ad credendum hominem crucifixum esse Deum, aliaque sublimia mysteria, ad amplectendam legem carni et sanguini adversantem, etc.

Quæ, similiaque latius deducunt Theologi Tr. de fide, SEGNERI in Incred. non excus., THYRS. GONZALEZ in Manud., GOTTI de verit. Relig. nosque ipsi paulo post. Hinc talis fit discursus: Quod docet religio divinitus instituta et vera credendum tanquam fundamentum suum, illud prudenter negari non potest: atqui religio Christiana est divinitus instituta et vera; illaque docet



tanquam primum suæ doctrinæ fundamentum, Christum esse verum Messiam, Deum et hominem; ergo. *Majorem* admittunt nobiscum. *Min.* habetur ex præmissis motivis generalibus credibilitatis; quorum nunc aliqua ad Christum ipsum applicabimus. Unde

135. *Prob. II. Ex PROPHETIIS.* Jesus Nazarenus Christus noster est verus Messias, si 1°. Prophetarum apud Judæos vaticinia, quibus Christum futurum prædixerunt et descriperunt, sint longe facta ante Jesum Christum nostrum; 2°. si sint a divino Spiritu orta et inspirata; 3°. in Jesu Nazareno perfecte impleta. Atqui hæc singula ita se habent. *Maj.* sua se evidenter probat; si enim illa vaticinia longe præcedentia a divino Spiritu inspirata in pseudomessia compleri vel fecisset, vel permisisset, cum ipse dictaverit, sicque mundum decipi; hoc ipso nec summe bonus, nec verax, nec proinde divinus esset.

*Min. prob. per part.* Nam 1°. illa Prophetarum vaticinia longe præcesserunt Christum nostrum; hoc enim testantur Judæi omnes, in hoc testes minime suspecti, quia Christianis summe adversantes, a quibus illi etiamnum e prophetis impugnantur. Sed et gentiliis illud testimonio comprobatur; PROLOMÆUS enim Philadelphus, Ægypti rex, accitis Judæis peritissimis, 250. circiter annis ante Christum, divinos Hebræorum libros in græcum transferri curavit, teste JOSEPHO L. 12. Antiquit. c. 2., AUG. L. 18. de Civ. c. 42. aliisque, ut proinde gentiles ipsos illa vaticinia non laterent. Illo autem tempore prophetæ jam desierant; nec ullus propheta post transactionem illam assignari potest.

2°. Ista vaticinia dictata et inspirata fuere a divino Spiritu; quod primo probatur orationibus illis argumentis generalibus credibilitatis, quibus Scripturarum veteris Testamenti divina origo probatur Tr. de Fid. Deinde si non essent illa vaticinia a Spiritu divino, ergo vel a dæmonibus, vel ab hominibus: neutrum dici potest. Non 1°. quia, quæ in vaticiniis prænuntiantur, omnia dæmoni contraria sunt, ut eversio regni ejus, peccati destructio, religionis novæ et ad omnem sanctitatem perducentis implantatio; idololatriæ vitiorumque expulsio; ergo vaticinia illa dæmonibus tribui non possunt. Non 2°. qua enim ratione fieri potuisset, ut tot homines tam diversi tempore, ætate, moribus, varia, quæ a causis naturalibus non pendebant, imo sibi, humano intuitu, repugnantia videri poterant, ut Messie divina generatio et humana, mors, etc. prænuntiassent, quæ tamen singula, fortuito casu, simul in uno homine et convenissent, et completa fuissent? Sane incredibilius hoc, et capti difficilius, quam Jesum Nazarenum verum Messiam, esse Deum et hominem.

3°. Singula vero completa esse in Jesu Nazareno constat ex Sect. 1. Maximi hoc argumentum fecit ORIGENES L. 8. cont. Cels. n. 48. et seqq. Et vero recte TERTULL. in apol.: *Idoneum testimonium veritatis est veritas divinationis.*

136. *Prob. III. Ex MIRACULIS* tum Christi, tum discipulorum ejus. Jesus Nazarenus Christus noster est verus Messias, Deus et homo, si se talem ipse dixit, dictumque suum veris comprobavit miraculis: atqui Jesus Nazarenus Christus noster, se verum Messiam, Deum et hominem esse dixit,

hocque dictum suum veris comprobavit miraculis; tum suis, tum discipulorum; ergo. *Maj.* inde manifesta fit; quia secus deceptio illa humani generis, quæ inde sequeretur, quod quis ad probandum se esse verum Messiam, cum non sit, veris uteretur miraculis, in ipsum redundaret Deum, quod esse non potest; quod autem redundaret in Deum, sequitur inde, quia vera miracula, cum vires naturæ superent, non nisi virtute divina, et Deo contra omnem naturæ ordinem operante fieri possunt; sic ergo nihilominus operante Deo, ut quis se Messiam probet, cum non sit, deceptio inde sequens redundabit in Deum: hoc vero ejus bonitati summæ et sapientiæ adversatur. Vid. n. 139.

*Min. prob. per part.* 1°. Ipse se Messiam, Deum et hominem dixit, Joan. 4. v. 23., Joan. 10. v. 30. Vid. n. 97. 2°. Hoc dictum suum comprobavit veris tum suis, tum suorum discipulorum miraculis. Hoc enim Judæi testantur, et Mahumetani, jurati cætera Christiani nominis hostes: priores, Joan. 11. v. 47. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.* Occasione claudi a Petro sanati, Act. 4. v. 16. *Notum signum factum est per eos... et non possumus negare.* Posteriores in Alcorano, Azoara 5. 11. etc. Plena etiam his miraculis est tum Evangelii, tum Actuum Apostolorum historia.

Illam vero miracula ope dæmonis patrata non sunt; nec illusiones tantum dici possunt. Non 1°. quia his miraculis evertitur dæmonis imperium, eliminatur idololatria, serebantur e contra justitia, temperantia, castitas, cæteræque virtutes. Cedere cogebantur dæmones ex obsessorum corporibus, fugere ad signum crucis, subjecti esse, etc. At nemo adversario suo contra se ipsum vires et arma suppeditat. Non 2°. nam cæci a Christo sanati vere videbant, et quomodo his Christus illusisset ipsos videre, si non vidissent? Et si vivus fucum fecisset hominibus ipsis illudendo, quasi sanati essent, quomodo mortuus quingentis hominibus persuadere potuit, se ab iis tangi, videri, ipsis loqui; redivivum enim si dicant, hoc ipso maximum miraculum fatentur. Sed et fingere non poterant Apostoli, se loqui variis linguis; qui utpote de plebe infima vix vernacula propria scite loquebantur, et quomodo factum, ut quilibet tamen diverso licet suo in idiomate, eos intelligeret?

137. *Prob. IV. Ex ORACULORUM SILENTIO* olim Patres Christum persuadebant gentilibus. Oracula illa, etsi subinde Pithiarum, ac sacerdotum fraudes essent, alias tamen ipsorum fuisse responsa dæmonum, tota prisca gentilitas credidit, et revera compertum habuit; nec aliunde, quam a dæmone illa responsa sæpe proficisci poterant, ut, cum ad petitiones in charta signata, clausaque petebatur responsio; quo modo, teste Macrobius L. 1. Saturn. c. 22. Trajanus tentavit oraculum Heliopoli. Hæc vero oracula, licet per plurima durarent secula, defecerunt paulatim, ita ut, ubicumque sedem figeret Christi religio, ibi etiam cessarent oracula. Silentium hoc non Christiani solum, sed et gentiles ipsi tradunt.

*Porphyrius* queritur Deos iratos, ex quo venit Christus, nihil respondere. *Plutarchus*, qui quidem ipse Apollinis sacerdos fuit, de oraculorum defectu librum conscripsit. *Julianus Apostata* idem confiteri necesse habuit; quo tamen apostasiam suam defenderet, id solum respondebat Christianis,



licet immerito et cum mendacio, Christianorum quoque sacros Vates defecisse. *Strabo* L. 7. oraculi Dodonæi defectum incusat.

Hoc oraculorum silentium gentilibus, quin inficiari possent, vel quid opponere, libere objiciebant Christiani, *JUSTINUS* resp. 24. ad *Orthod.*, *ARNOBIUS*, *LACTANTIUS* divin. *Instit.* L. 4. c. 27., *TERTULLIANUS* *Apolog.* c. 23. *CYPRIANUS* de *Idol. vanit.* n. 7. Et *S. ATHANAS.* Lib. de *Incarnat.* n. 47. per solum Crucis signum muta reddi oracula refert, ac gentiles provocat, ut experimento rei veritatem comperiant. Vera igitur esse debuit Christi religio; et Christus Messias verus, non homo solum, sed et Deus: Primum; quia secus, erroris detegendi omnis via defecisset; cumque oracula illa sæpe res nefarias, crudeles, naturæ humanæ et rationi adversantes præciperent, velut adulteria, utque filios vel filias aliosque immolarent, etc. contraria vero illis omnia, justitiam, sanctitatem, etc. religio Christi præcipiat; oracula illa vel ipsi gentilium sapientissimi erroris damnarunt, Christianæ religionis veritatem professi et amplexi. Alterum vero, nisi esset simul Deus, dæmones non compulisset ad silentium.

138. *Prob. V. Ex Sybillarum oraculis frequenter gentiles SS. Patres impugnavunt*; *S. JUSTIN.* in cohortatione ad Græcos n. 16. 37. et seqq. necnon et *Apol.* 1. (al. 2.) n. 44., *LACTANTIUS FIRMIANUS* divin. *Instit.* L. 4. c. 45. et 48., *CLEMENS ALEXANDRIN.* L. 6. *STROM.* (opp. p. 636. C. edit. Paris. 1629.), *Sybillæ* vero mulieres vaticinæ apud gentiles, ut apud hebræos Prophetæ et Prophetides, erant, quæ variâ de Christo prædixerunt Dei Filio. Unde teste *CLEM. ALEXANDR.*, *THEOPHIL. ANTIOCH.* ad *Autolye.* n. 36. 38., *Paulus Apostolus* gentiles ad *Sybillas* inspiciendas hortatus est: *Agnoscite Sybillam, quomodo unum Deum significet; et Hystaspem legite, et invenietis Dei filium multo clarius esse scriptum.* *CICERO* ipse L. de *Divin.*: *Sybillæ, inquit, versus observamus.* In his ait contineri, *admittendum esse Romanis regem, si salvi esse velint*; subdit: *Regem illum nec ab hominibus, nec a Diis toleratum iri*; quæ Christum innuunt gentilismi et falsorum numinum eversorem.

Equidem *Sybillarum* oracula, ut de facto in octo libris *Sybillinis* continentur, corrupta sunt, nec genuina omnia; cum multa falsa contineant, et L. 8. auctor se Christianum dicat; universim tamen, quæque SS. Patres in primis temporibus usurparunt contra gentiles, dici non possunt fragmenta Christianorum. Nam

1º. Si SS. Patres non scivissent, genuina esse illa *Sybillarum* carmina, ab ipsis gentilibus cognita ut talia, illa non attulissent ad convincendos ethnicos; quia sine effectu et potius cum religionis nostræ injuria et damno, quasi illa non aliunde, quam fragmentis probari posset, attulissent; at tamen familiare hoc erat eorum argumentum; hoc enim pertractant Patres supra cit. alique; cumque ipsis objiceretur, carmina illa a Christianis conficta esse, refutabant gentiles, ut *LACTANT.* loc. cit. *His testimoniis quidam revicti, solent eo confugere, ut aiant, non esse illa carmina Sybillina; sed a nostris ficta, atque composita. Quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemque legerit, aliosque veteres, qui Erythræam Sybillam cæterasque commemorant, ex quorum libris ista exempla proferi-*

*mus. Qui auctores ante obierunt, quam Christus secundum carnem nasceretur.* Eodem modo istam objectionem gentilium, quam nuper renovarunt *Blondellus*, et ex catholicis plus æquo critici nonnulli, rejecit *CONSTANTINUS M.* in orat. ad Patres *Concil. Nicæni.*, *S. AUGUSTIN.* in *LL. Retract.* et ep. 153. (al. 258. n. 5.) ad *Martian.*

2º. Jam multo ante Christi tempora hæc *Sybillina* oracula laudarunt ex scriptoribus gentilium præcipui, *VARRO* de *lingua latina* L. 5. et de *re rustica* L. 1. c. 1., *CICERO* de *Divinat.* L. 1., *LIV.* L. 3. 4. 7. *Decad.* 1. et *Decad.* 3. L. 1. 2. 5. 9., *TACITUS* L. 43. *Annal.*, *SUETON.* in *Octavio Aug.* et in *Julio Cæsare* c. 69. cæterique, e quibus *Virgilius* illa de Christo vaticinia *Sybillæ Cumanæ*, mysterii ignarus, applicat *Salonio*, novi consulis *Asinii Pollionis* filio, *Ecl.* 4.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,  
Magnus ab integro seculorum nascitur ordo,  
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,  
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.  
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum  
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,  
Casta Lucina, fave.....  
Hoc duce, si qua manent sceleris vestigia nostri  
Irrita, perpetua solvent formidine terras.

139. *Obj. I. Cont. argum.* a miraculis. Ex una parte dubium est, an non etiam spiritus mali patrare possint miracula; ex altera vero parte difficile est, verum miraculum discernere a falso; ergo non tenet hoc argumentum, quod a miraculis petitum. Ante resp.

*Observa*: In critica et delicata quæstione de miraculis, præsertim naturæ veri miraculi, triplex notari posse systema, vel sententiam. *Prima* est, quam *Jacobus SERGES* ingeniose defendit, speciali de miraculis tractatu. Hic omnem potestatem immutandi, suspendendi, aut ullo modo intervertendi naturæ leges, Deo reservat; adeoque rotunde negat, spiritus homine superiores ulla pollere miracula edendi potestate, et omnia, quæ feruntur, dæmonum mirabilia, veteratorum fraudibus et artibus accepta refert. Hujus sententiæ commendatio est, quod simplex sit, et aperta; quod soli Deo asserat immediatam rerum omnium administrationem: quod in ea summus sit miraculorum splendor et auctoritas, summa securitas; nulla etiam difficultas. Hoc solum ei officit, quod conciliari non possit cum omnium seculorum fide.

*Alter* est *Samuelis CLARCKII*, illustris apud Anglos philosophi, priori directe opposita in opere de religionis naturalis et revelatæ argumentis. Ubi observat, nos determinare non posse, qua virtute naturali præditi sint boni et mali angeli; nec qui a Deo eorum potestati sint positi limites: pauca esse in *Scripturis* miracula recitata, ad quorum productionem necessaria videatur omnipotentia, ut dicunt, absoluta: quod dæmones propter invisibilem eorum agendi modum patrare possint magna signa et prodigia: imo probabile esse, uti Deum in regendo Universo, spirituum ministerio; cursum rerum materialium nihil aliud esse, quam ipsam sive Dei, sive



agentium spiritualium inferiorum perpetuam efficaciam, juxta leges certas sese exerentem; proinde non esse Deo, neque angelis difficiliorem legum naturæ suspensionem, quam conservationem, male ergo defini miraculum, id, quod est supra omnem potentiam naturæ creatæ. Opera vero divina secerni ab operibus dæmonum ex doctrina, ad quam confirmandam fiunt illa, quæ dicimus miracula: 1º. doctrinæ manifesto falsæ, et impiæ nulla miracula conciliare possunt auctoritatem: e contrario talis doctrina quoscumque mirabiles effectus arguit fraudis diabolicæ: 2º. si autem doctrina talis sit, ut discerni nequeat, vera sit an falsa, et sit miraculorum quædam contentio, attendendum erit ad numerum et splendorem miraculorum.

Etiã in hac sententia salva est utcumque miraculorum auctoritas, et pro hac non spernenda afferuntur argumenta ex SS. Scripturis, Patribus et Historia, ut et quidam Catholici eam adoptarint; illud tamen merito displicet, quod in hac supponatur dæmonem cum Deo miraculis contendere.

Verum præplacet inter has duas sententias mediã, juxta quam negatur quidem angelis potestas patrãndi ex viribus propriis miracula vera, quod vult sententia prima, relinquitur tamen illis naturalis potestas mirabilia opera faciendi, sed sic divino subordinata imperio, ut illam nunquam exerant ad consilia divina evertenda, aut labefactandam religionem in animis hominum; sed illa uti quandoque Deum, vel ad probandam pietatem suorum, vel justissimo judicio in eos, qui ad vocem veritatis diu obsurdierunt; tuncque divinam bonitatem cavere, ne prodigia edita a veritatis inimicis noceant bonis, electosque suos confirmare, ne decipiantur. In hac igitur sententia Deus solus ob sapientissimos fines causarum naturalium ordinem per se ipsum, aut per angelorum intervertit ministerium: dæmonum vero quæcumque naturalis sit vis, nulla est licentia; et ubi se nostris rebus immisceant, non suo relinquuntur arbitrio; neque unquam per eorum ministerium in confirmationem falsi miracula patrãntur. Vide hanc sententiam expositam a Cardinali de LAMBERTINIS, postea BENEDICTO XIV. S. P. in op. de Beatif. L. 4. p. 1. c. 3., item apud Stock. t. 2. de Relig. nat. et revel. princip. late propugnata. His prænotatis

140. Ad Ant. membr. 1º. R. D. Dubium est, annon spiritus mali possint patrãre miracula vera. N. hoc enim non possunt; miracula latius dicta, h. e. opera, quæ etiam mirabilia dicere solemus. Subd. possunt hæc pro suo arbitrio N. potestate ex dictis subordinata ipsi Deo C. Vera miracula patrãre non possunt, quia, ut ait Doctor Angel. in Quæst. disput. q. 6. de miraculis a. 5. in 0. Cum operatio miraculosa sit quoddam divinum testimonium indicativum divinæ virtutis et veritatis; si dæmonibus, quorum est tota voluntas ad malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod divinam bonitatem non decet; imo huic adversatur. Quæ igitur dæmones insolita et admiranda in corporibus operantur, juxta S. Th. 1. p. q. 114. a. 4. operantur vel per illusionem sensuum tam interiorum quam exteriorum; vel per summam et imperceptam celeritatem, sublato aliquo corpore, et alio in ejus locum substituto, ut subito generatum videatur; vel applicando activa passivis, ut vel generetur aliquid insoliti et novi, vel modo hominibus incognito. Cæterum dubium esse non

posse de miraculis Christi et Apostolorum, an ex illius virtute patrata sint, constat ex dictis n. 136.

Ad membr. 2º. R. D. Difficile id est, si quilibet insolitus et admirandus effectus continuo habeatur pro miraculo C. si debite inquiretur N. Verum miraculum est effectus superans omnem naturalem virtutem causarum naturalium juxta D. Th. 1. p. q. 114. et S. Aug. L. 26. cont. Faustum. c. 3. Quia vero tribus excedi potest naturæ facultas, tres etiam sunt gradus veri miraculi. Primus et supremus est, quando facultas naturæ quoad rem ipsam superatur, uti cum sol vel stetit in cælo, vel retrocessit; cum in morte Christi coirent sol et luna, quando plurimum aberant, ut tenebræ fierent, nimirum decima quinta luna; cumque hæc solis defectio tribus perduravit horis; tantam enim moram non patitur sol, dum lunæ objectu obscuratur, sed citius pompam explicare incipit luminis sui. Secundus, quando exceditur naturæ facultas, non quidem illa, quæ fit, sed re potius illa, in qua fit; ut cum homini mortuo, aut plane jam sepulto, veluti Lazaro, redditur vita; aut vere cæco visus; potest enim natura tribuere vitam, non tamen in homine mortuo; potest infundere lucem, non tamen in oculo cæco causare sensationem visus. Tertius, quando naturæ facultas exceditur, si species ordinem et modum rei, quæ fit, ut cum socrus Petri, Christo imperante, momento a febris convalescit.

Hinc quidquid venefici, anus bustuarie, ac dæmones efficiunt subin, permittente ad tempus Deo, etsi sæpe sint res veræ, vera tamen miracula non sunt; sic veri serpentes repere ac sibilare, veræque ranæ insultare et coaxare visæ sunt in Ægypto ex imperio magorum; vero igne de cælo tactæ sunt oves Jobi; nec tamen vera erant miracula. Sicut enim, ait AUGUSTIN. L. 3. de Trinit. n. 16. matres gravidæ sunt fetibus; sic ipse mundus gravidus est causis nascentium. Has nimirum causas, quas vocant virtutes activas et passivas, angeli, quoniam eas perspectas habent, jungunt, admoventque invicem, ut enascantur ranæ, aut colubri. Sed vera miracula sunt, quæ, præter has virtutes activas et passivas naturales, fiunt imperante Deo, et natura obtemperante per virtutem illam passivam, quam vulgo dicimus obedientialem; quæ potestas circa virtutem illam passivam obedientialem non est concessa angelis, præsertim malis, ob rationem datam num. præc. Ex his jam liquet miracula vera non esse, quæ patrãrunt magi in Ægypto, nec quæ faciet Antichristus.

Denique nec dæmones, ut dictum, pro arbitrio ita uti possunt causis activis et passivis naturalibus; sed, ut vel ex ipsa Jobi historia liquet, quantum ipsis a Deo permittitur, qui id justis de causis potest ad tempus hoc ipsis indulgere, tunc tamen pro sua bonitate cavet; ne mirabilia id genus edita a veritatis inimicis, noceant bonis; electosque confirmat, ne sint deceptioni obnoxii, detegendo tandem mendacia, uti in Ægypto incantationes magorum, inque fine mundi illusiones Antichristi.

141. Inst. 1. Etiam Vespasianus cæco visum reddidit, teste Tacito L. 4. c. 48. Item Apollonius Tyaneus puellam Romæ defunctam revocavit ad vitam, multaque alia edidit miracula, quæ refert Philostratus; sic et plura gentilium miracula referunt alii.

R. N. A. Nam 1º. teste ipso Tacito cit. ante consulti medici respondebant:  
ii. p. 2.



huic (cæco, qui a Vespasiano curatus dicitur), non exesam vim luminis, et redituram, si pellerentur obstantia; ex qua narratione constat primo vere cæcum non fuisse; secundo sit dubium, an Vespasianus ipse per se arte medica, an per medicos curarit, sicque annon, quod Imperator fieri jusserrat, ipsi Imperatori tributum sit. 2º. Illud de Apollonio Tyaneo, ipse ut dubium narrat Philostratus cit. Videri potest Eusebius L. contra Hieroclem (ad calcem Demonst. Evang. p. 514. et seqq. edit. Parisiens. an. 1628.) ubi, quæ de Apollonio narrat Philostratus, vel fabulosa esse demonstrat, vel magicis conficta præstigiis, velut quod se repente oculis Imperatoris aliquando subduxerit, et similia vires naturales dæmonis non excedentia, adeo ut Euphrates Philosophus aliique Apollonium magiæ accusarint coram Domitiano. Sed et Philostratus illa referens fide dignus non est, cum integro seculo posterior fuerit, nec ullum afferat suarum narrationum vadem. Sic demum varia alia, quæ miracula a gentilibus patrata dicuntur, veri nominis miracula dici non possunt, quia partim figmenta sunt, partim debentur præstigiis, de quibus latius consule EUSEBIUM cit.

142. Inst. 2. Plurima patravit Moyses miracula eaque maxima; ergo si per hæc Christi nostri probetur divinitas, etiam Moyses esset Deus habendus.

R. N. Cons. Moyses patrabat miracula potestate non sua, sed Dei; dicebat, se cum potestate miraculorum missum esse ad Israelitas, ut cognoscerent, quod Jehova esset Deus, et non esset alius præter eum: alias miracula patravit non nisi ad divina jussa; potestatem patrandi miracula aliis conferre non potuit: Christus vero miracula edidit virtute propria; pro suo libitu, quando voluit; ut se ipsum probaret Messiam esse in lege promissum, simulque Deum ostenderet: paria, imo majora patrandi miracula facultatem ipse elargitus est discipulis, et quibus voluit, illique ea se facere testabantur non nisi in nomine, virtute Christi. Demum vitæ Christi mysteria, conceptio, natiuitas, resurrectio, ascensio, continua miraculorum series sunt ex naturæ immutatione supernaturali contexta, quorum nihil in vita Moysis reperitur.

143. Inst. 3. S. Auc. L. de unit. Eccles. c. 19. (al. ep. ad Cathol. cont. Donatist. n. 49.) vult controversiam, quam habebat cum Donatistis, dirimendam esse non ex miraculis, sed divinis Scripturis: *Removeantur, inquit, ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.* Et n. 50. *Utrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant.* Ergo agnovit infirmum esse hoc argumentum a miraculis petitum.

R. D. Vult controversiam illam non dirimendam miraculis veris N. fictis, qualia afferebant Donatistæ C. Deinde potius ex Scripturarum divinarum auctoritate dirimendam voluit, ut sic et citius et solidius finiretur, cum secus, si miraculis contendere voluisset, fuisset protrahenda longius, quia AUGUSTINUS ostendere debuisset, asserta illa Donatistarum miracula nihil aliud esse, quam figmenta mendacium hominum, aut portenta fallacium spirituum.

144. Inst. 4. Historiæ Evangelicæ auctoritas, cui innititur illa factorum a Christo certitudo, non meretur fidem: 1º. enim jam ab ætate Christi elapsi sunt anni sexaginta quatuor supra mille et septingentos; quomodo vero rerum in tam remota antiquitate gestarum certitudinem quis perspiciet? quam securitatem parere possunt monumenta tam vetusta? 2º. Illa facta non confirmantur nisi auctoritate Christianorum: scriptores enim profani aut dissentientia scribunt, aut de illis omnino silent: jam vero in propria causa nulla esse potest Christianorum auctoritas. Ita cum gentilibus omnes hoc ævo religionis revelatæ hostes.

R. N. Ass. Ad 1ºm: Si ista mille septingentorum annorum antiquitas tollat factorum certitudinem, dubitandum quoque erit, an fuerit olim ulla Judæorum civitas propriis consistens legibus; profligatus fuerit nec ne, apud Actium navali prælio Antonius: neque horum factorum, neque alterius cujuscumque ante natum Christum ulla erit auctoritas; sicque omnis fides humana ruet. Sed illa antiquitas historiæ Evangelicæ auctoritatem potius auget; utpote agnita ab omnibus ad hæc nostra tempora cujuscumque causæ patronis, a Judæis, a paganis, ab hæreticis, qui cavillandi causam levissimam semper arripuerunt; ut constat ex Apologia JUSTINI, ORIGENE LL. cont. Cels., TERTULLIANO L. de Præscript. c. 26. Celsus ipse, qui secundo seculo scripsit contra religionem Christianam, plura laudat ex Evangelis, seque illa ex libris discipulorum Christi describere affirmat. Porphyrius, Amelius, Julianus imperator, ut ex priorum quidem scriptis liquet, eosdem agnoverunt; Julianus vero id solum opposuit, quod Evangelistæ, præsertim in genealogia Christi, non concordarent. Illa vero constans omnium hominum, etiam hostium vox, fidem et auctoritatem publicam, cui contradicere non est sanæ mentis, conciliat.

Ad 2ºm. R. N. singula. Nam 1º. historici profani et judæi Evangelistarum narrationem confirmant, in iis omnibus partibus, quæ ad eorum propositum pertinebant. Quod Augustus totum jusserit recenseri imperium Romanum, quo edicto in Bethlehem adducti sunt parentes Christi, refertur a Tacito, Suetonio et Dione. Magnam lucem, seu novum sidus, quo Magi de natiuitate Christi certiores facti, visum in oriente, scripsit Chalcidius. Herodem magnam stragem fecisse infantium, nec propriis pepercisse liberis, narrat ceu rem omnibus notam Macrobius. Christum in Egyptum a parentibus delatum, concedit Celsus, aitque (apud Origen. L. 1. contr. Celsum n. 38.) ex suo in Christianos odio, ibi Christum magicas didicisse artes, quibus postea miracula fecit. Pontium Pilatum Judææ præfectum fuisse, et ex ejus sententia Christum crucifixum fuisse, memorat Tacitus. Multos ægros a Christo sanatos fuisse et alia patrata prodigia, fatentur Julianus (apud Cyrill. Alex. cont. Julian. L. 6. opp. t. 6. sect. 3ª. p. 191. E.); Hierocles (apud Euseb. contr. Hierocl. p. 512. ad calcem Demonst. Evang. edit. Parisiens. 1628.); Porphyrius, Mahomet, et alii nominis Christiani hostes. Christum multa prænuntiasse, quæ postea contigere, scripsit Phlegon in Annalibus, sub ejusque mortem obscuratum cælum, tremuisse terram: quem laudat et refert Orig. L. 2. cont. Cels. n. 33. et 59. 2º. Neque assignari potest scriptorum profanorum ullus, qui hagiographos novi Testamenti, cum scriberent, mendacii aut falsi in historia redarguisset.



143. *Obj. II. Contra Sibyllarum oracula.* 1°. Non est credibile, mulieres ethnicas a Spiritu sancto afflatas fuisse, ut de Christo clariora etiam, quam veri sanctique Prophetæ edicerent. 2°. Libri Sibyllini quam secretissime asservabantur in Capitolio; et teste Suetonio in Octav. Augusto c. 31. duobus forulis auratis absconditi tenebantur sub basi Palatini Apollinis. 3°. Quin conflagrante annis ante Christum 83. Capitolio, et ipsi, necesse est, Sibyllini libri incendio perierint. 4°. S. Aug. L. 18. de Civ. c. 46. et 47. Sibyllina carmina ab alio impostore conflata asserit. Ergo etiam illa Sibyllarum vaticinia, quæ referebant olim SS. Patres, supposititia sunt.

R. *Ad 1<sup>um</sup>.* N. A. Donum enim prophetiæ, utpote gratis datum, etiam in impio esse potest. Sic Deus in Testamento veteri Balaamo licet impio ad prophetandum usus est. Sic Caiphas scelestissimus prophetasse dicitur. Sic Matth. 7. 22. Christus declaravit reprobandos esse multos, qui in die iudicii dicent illi: *Nonne in nomine tuo prophetavimus... demonia ejecimus... virtutes multas fecimus?* Hinc ut vitæ apparens sanctitas non est certum divini afflatus signum, sic nec improbitas semper Prophetas falsitatis certo arguit. Ac quod divinus Spiritus mulieres ethnicas afflaret, specialis esse ratio poterat; ut videlicet eo modo etiam ethnicos præpararet ad adventum Filii Dei, utpote qui Judæorum vaticinia vel ignorabant, vel non admittebant ut vera; vel de eorum veritate non erant instructi.

*Ad 2<sup>um</sup>.* Falsum est, omnium Sibyllarum libros sic absconditos fuisse; sed solius Sibyllæ Cumanæ oracula obserata tenebantur, teste eod. Sueton. Quanquam, hoc non obstante, testibus Valerio Maximo, et Dionysio Halicarnasseo, Marcus Attilius Petronio Sabino illorum copiam fecerit. Libros vero aliarum Sibyllarum, per manus omnium volitasse ætate sua, M. Terent. Varro ante Christum testis est. Et vero si Sibyllæ Cumanæ carmina adeo obserata tenerentur, ut nulli ea inspiciendi copia fieret, qui igitur factum, ut *Cicero, Virgilius,* alique illa carmina recitarent? Poterant ergo et sic in Christianorum delabi manus, præsertim quod ex primaria Romanorum nobilitate plures ad sacra Christianorum transirent.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. 1°. Incerta est illa Capitolii conflagratio, cum nihil prorsus de ea meminerint *Livius, Suetonius, Tacitus,* præcipui inter Romanos historici. Imo *Suetonius,* in vita Octav. Augusti ait, hujus jussu, ob exesos prope characteres, descripta fuisse Sibyllarum carmina, et translata in templum Apollinis: et licet hoc postea sub Nerone conflagravit, flammis tamen erepta fuisse, *Fl. Vopiscus* in vita Aureliani testis est.

R. 2°. Permisso Capitolii incendio, non ideo necesse est, libri Sibyllini perierint, quippe in terræ recessu servari soliti, testibus Valerio Maximo, et Dionysio Halicarnasseo.

*Ad 4<sup>um</sup>.* R. N. id cit. loc. a S. Aug. dici; sed hoc solummodo habet: posse gentiles forte causari, Sibyllarum oracula, quatenus de Christo agunt, esse a Christianis conficta; ideoque tum proferri oportere Prophetarum vaticinia ex ipsis Judæorum, nostrorum hostium, codicibus. Cæterum S. Doctorem stare pro Sibyllarum vaticiniis, evidens fit ex c. 23. ubi de Sibylla Erythrea, hæc sane, inquit, *Erythrea Sybilla quædam de Christo manifesta conscripsit.* Tum versus profert, quorum primis litteris (quæ Acrostichis dicitur) Christum expressit. Acrostichis vero hæc est: Jesus Christus Dei

Filius, Salvator, Crux; quam Acrostichin quoque recitaverat CONSTANTINUS M. in orat. ad Patres concilii Nicæni.

146. *Obj. III. Mysterium Incarnationis prout a Christianis creditur, multas involvit implicantias.* Nam 1°. videtur impossibile ob immutabilitatem Verbi: hoc enim eo ipso, quod fieret homo, se aliter haberet; transiret a non esse ad esse; posset exercere operationes theandricas, quas ante elicere non poterat; ergo mutaretur; quod in Deo est impossibile.

2°. Videtur implicantia ex parte personalitatis Verbi, et naturæ divinæ; nam personalitas ex conceptu suo sonat aliquid alteri incommunicabile; natura vero divina jam in Verbo adæquat totam terminandi vim.

3°. Ex parte unionis; quia uniri est pati et perfici, quod in Deum cadere non posse, ipsa dictat luminis naturalis vis.

4°. Ex parte naturæ humanæ, quæ non potest subsistere subsistentia aliena; subsistere enim est stare per se; sed in Incarnatione natura humana staret per aliud, scilicet per Verbum. Quod vero natura humana non possit subsistere subsistentia aliena, prob. quia subsistentia creata est æque a natura inseparabilis, quam ejus existentia.

R. N. A. *Ad 1<sup>um</sup>.* R. N. ass. *Ad prob. D.* Se aliter haberet *alietate* propria, recipiendo formam aliquam, per quam melioraretur, vel deterioraretur N. *alietate* impropria et late dicta, h. e. præcise terminando naturam humanam, quam ante non terminabat C. Item transiret simpliciter a non esse ad esse; velut pars incompleta, aut ut subjectum perfectibile, cum incremento vel decremento alicujus perfectionis N. per modum puri termini, qui perficit, non perficitur C. Sic quoque Verbum operatur theandricæ tantum *denominative* absque nova perfectione sui, non *elicitive* cum virtute aliqua operatrice; cum Verbum inde non fiat principium elicitive istarum operationum, sed tantum dignificativum, quod Verbo nullam de novo addit perfectionem intrinsecam. Hinc in Incarnatione nulla in Verbo accidit mutatio, sed se fere habet per modum subjecti logici, quod habet denominationem novam sine nova perfectione vel imperfectione.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. N. ass. *Prob. D.* Sonat incommunicabile aliquid, alteri supposito C. alteri naturæ N. Potest personalitas se communicare naturæ, licet non personis, ut in divinis patet. Deinde D. etiam alterum: natura in Verbo jam adæquat vim terminandi necessariam, et ad intra C. liberam, et ad extra N.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. N. ass. *Prob. D.* Uniri per modum subjecti, vel partis incompletæ, est pati C. solum terminative, per modum tantum perficientis N. Verbum nec per unionem perficitur, nec illam recipit, more subjecti physici, sive unio dicatur esse entitas modalis ab extremis realiter distincta, sive sit modus tantum metaphysicus; de quo suo loco. Si enim sit metaphysice solum distincta ab extremis, jam patet, eam realiter non recipi in aliquo subjecto; si vero dicatur distingui realiter, subjectum illius erit sola humanitas, ita ut terminetur solummodo ad personalitatem Verbi. Dicitur quidem Verbum intrinsece unitum humanitati; sed hoc aliud non sonat, nec plus, quam quod intrinsece terminet humanitatem.

*Ad 4<sup>um</sup>.* R. N. ass. *Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. 1°. N. illam sumptam universaliter; non enim omne subsistere, sed aliquod tantum, est stare per se, sive vi pro-



pria; nam subsistere in genere, est præcise naturam existere totaliter, seu habere complementum ultimum, ac terminum sui esse, qui haberi potest vel a re ipsa, vel ab altero conjuncto. Hinc

R. 2<sup>o</sup>. D. Subsistere absolute, est stare per se, h. e. stare vi propria et ex sufficientia propria, et esse se ipso ultimo completum C. subsistere denominative ab altero, cui unitur, est stare per se modo dicto N.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. N. ass. Disparitas est, quod existentia præcise importet positionem rei extra causas, quæ proin necessario semper est, quamdiu res est: at subsistentia notat solummodo certum existendi modum, scilicet complete, totaliter; qui non necessario est a re ipsa, si natura unitur alteri supposito. Hæc similiaque plura commodius tractabuntur per decursum in suis locis.

147. Obj. IV. Incarnatio, qualis a Christianis creditur, summe Deum dedecet; ergo huic impossibilis est; positiva enim dedecentia alicujus in Deo impossibilitatem arguit. Prob. A. Dedecet Deum adeo deprimere majestatem suam, ut in Incarnatione; qua, dicente Paulo ad Philipp. 2. *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*; ac teste eod. 2. Cor. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Ad Gal. 3. *Factus pro nobis maledictum*. Item: sicut dedecet Deum, assumere naturam peccato vel infectam, vel inficiendam peccato; ita quoque dedecet assumere passibilem et morituram, ut verum sit dicere: *Deum pati, Deum mori*. En cur dixerit Paulus: *Prædicamus Jesum, et hunc crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*. At

R. N. A. Ad prob. 1<sup>am</sup>. D. Dedecet Deum ita deprimere majestatem suam in se ipsa et vere, cum amissione perfectionis alicujus C. tantum secundum apparentiam, majestatem solum propter altissimos fines occultando sub humanitate; unde major divina gloria, et magis divinæ perfectiones relucere N. Sic exinanivit se, quia se communicavit hypostatice humanitati, quæ comparatione Dei est quasi nihil, et quia sic apparuit homo, et quasi esset peccator, qui innocentissimus erat et verus Deus. Sic dicitur fecisse pro nobis peccatum, factus maledictum metonymice, et sensus est: fecisse pro nobis hostiam peccati, aut quia ipse, pro nobis ob peccatum maledicto subjectis, factus est hostia.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. Est *disparitas*, quia peccatum est malum morale, quod divinæ sanctitati adversatur: pati vero et mori ratione naturæ assumptæ, non est malum morale, sed physicum, quod ob varios fines Deus velle potest.

Igitur *incarnari* Deum, non fuit *deprimere*, vel amittere perfectionem majestatis suæ, sed occultare ad altiores suos fines ostendendos. Quin Incarnatio illa Deo adeo non adversatur, ut vere conveniens, h. e. consentanea fuerit ejusdem inclinationi et perfectionibus, quæ ex illa magis relucere, ipsumque creaturis magis æstimabilem, laudabilem, et amabilem reddunt. Sic

1<sup>o</sup>. Conveniens est summæ ejus bonitati; sicut enim bono non repugnat, sed convenit ejus communicatio, ita bono summo communicatio summa; sed hæc per Incarnationem fit.

2<sup>o</sup>. Maxime conveniens est *amori Dei*; hujus enim proprium est se con-

jungere cum re amata: at maxima est illa conjunctio, per quam Deus fit homo; hinc Joan. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*.

3<sup>o</sup>. Ejus *summæ misericordiæ*, cum tali modo nos redemerit, ut proin Incarnatio a Paulo 1. ad Tim. 3. dicatur, *magnum pietatis Sacramentum*.

4<sup>o</sup>. Simul etiam *justitiæ*, quam ostendere et manifestare magis non poterat, quam peccata nostra expiando in proprio Filio. *Neque dicas*: id ipsum repugnare divinæ justitiæ, ab innocente satisfactionem exigere. Nam

R. Hoc repugnat, si innocens sponte sua factus est fidejussor, et causam nocentis, satisfacere non potentis, libere ultro susceperit N. secus C. Verum Dei Filius *oblatus est, quia ipse voluit*. Is. 53.

5<sup>o</sup>. *Omnipotentia*, quæ ex admirabili utriusque naturæ divinæ et humanæ, in una persona conjunctione relucet. *Sapientiæ*, quæ modum invenit naturas a se invicem adeo remotas uniendo.

6<sup>o</sup>. *Specialis* etiam ratio *congruitatis* erat, Verbum potius incarnari, quam aliam ex personis divinis; cum enim per Verbum omnia facta fuerint, conveniebat specialiter, ut per illud omnia repararentur; et quia per Incarnationem homines adoptandi erant in filios Dei, ut ait Apost. ad Gal. 4. *misit Deus Filium suum... ut adoptionem filiorum reciperemus*, conveniens erat, ut Filius Dei naturalis incarnaretur, et ita fieret *primogenitus in multis fratribus*, ut ait Apost. ad Rom. 8.

*Si dicas*: Si ita conveniens fuerit Deo Incarnatio; ergo ei necessaria fuit, maleque fecit tam diu differendo.

R. N. *utramque seq.* Convenientia enim hæc in Deo præcise est convenientia honestatis et decentiæ, vi cujus non solum non repugnat fieri aliquid a Deo, aut eum dedecet; sed quæ præcise sonat esse consentaneum et conforme Deo, ad manifestandas peculiare perfectiones suas. Sic Deo conveniens fuit mundi creatio, quin dedeceret creationis omissio. Hinc convenientia illa non fuit positiva in Deo hoc sensu, quod ei novam rationem boni, delectabilis, utilis asferret, quomodo conveniens naturæ humanæ fuit, cui maxima inde bona, quibus carebat, et quibus perfectior evasit, accesserunt; Deus in se summe felix et affluens, nullo extra se bono reddi beatior potest; sed solum eo sensu positiva fuit, quo ante dictum.

## ARTICULUS II.

GENEALOGIA CHRISTI A CAVILLIS ET ANTILOGIS TUM GENTILIUM, TUM DEISTARUM, AC CÆTERORUM RELIGIONIS REVELATÆ HOC ÆVO HOSTIUM VINDICATUR.

Tria hic in controversiam veniunt: 1<sup>am</sup>. an Christus vere *ex Davidis stirpe*, secundum generationem humanam, *descenderit*; hinc enim religionis Christianæ veritas maxime pendet; Christum enim, verum Messiam, de tribu Juda, et quidem ex Davidis stirpe futurum, Prophetæ omnes prænantiant. 2<sup>am</sup>. Quomodo conciliari possint Matthæus et Lucas, quorum prior c. 1. v. 6. Christi genealogiam a Davide ducit per Salomonem: *David autem genuit Salomon ex ea, quæ fuit Uriæ; Salomon autem genuit Roboam, etc.* Lucas vero c. 3. eandem ordine retrogrado ducit ad Davidem per Nathanem,



pria; nam subsistere in genere, est præcise naturam existere totaliter, seu habere complementum ultimum, ac terminum sui esse, qui haberi potest vel a re ipsa, vel ab altero conjuncto. Hinc

R. 2<sup>o</sup>. D. Subsistere absolute, est stare per se, h. e. stare vi propria et ex sufficientia propria, et esse se ipso ultimo completum C. subsistere denominative ab altero, cui unitur, est stare per se modo dicto N.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. N. ass. Disparitas est, quod existentia præcise importet positionem rei extra causas, quæ proin necessario semper est, quamdiu res est: at subsistentia notat solummodo certum existendi modum, scilicet complete, totaliter; qui non necessario est a re ipsa, si natura unitur alteri supposito. Hæc similiaque plura commodius tractabuntur per decursum in suis locis.

147. Obj. IV. Incarnatio, qualis a Christianis creditur, summe Deum dedecet; ergo huic impossibilis est; positiva enim dedecentia alicujus in Deo impossibilitatem arguit. Prob. A. Dedecet Deum adeo deprimere majestatem suam, ut in Incarnatione; qua, dicente Paulo ad Philipp. 2. *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*; ac teste eod. 2. Cor. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Ad Gal. 3. *Factus pro nobis maledictum*. Item: sicut dedecet Deum, assumere naturam peccato vel infectam, vel inficiendam peccato; ita quoque dedecet assumere passibilem et morituram, ut verum sit dicere: *Deum pati, Deum mori*. En cur dixerit Paulus: *Prædicamus Jesum, et hunc crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*. At

R. N. A. Ad prob. 1<sup>am</sup>. D. Dedecet Deum ita deprimere majestatem suam in se ipsa et vere, cum amissione perfectionis alicujus C. tantum secundum apparentiam, majestatem solum propter altissimos fines occultando sub humanitate; unde major divina gloria, et magis divinæ perfectiones relucere N. Sic exinanivit se, quia se communicavit hypostatice humanitati, quæ comparatione Dei est quasi nihil, et quia sic apparuit homo, et quasi esset peccator, qui innocentissimus erat et verus Deus. Sic dicitur fecisse pro nobis peccatum, factus maledictum metonymice, et sensus est: fecisse pro nobis hostiam peccati, aut quia ipse, pro nobis ob peccatum maledicto subjectis, factus est hostia.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. Est *disparitas*, quia peccatum est malum morale, quod divinæ sanctitati adversatur: pati vero et mori ratione naturæ assumptæ, non est malum morale, sed physicum, quod ob varios fines Deus velle potest.

Igitur *incarnari* Deum, non fuit *deprimere*, vel amittere perfectionem majestatis suæ, sed occultare ad altiores suos fines ostendendos. Quin Incarnatio illa Deo adeo non adversatur, ut vere conveniens, h. e. consentanea fuerit ejusdem inclinationi et perfectionibus, quæ ex illa magis relucere, ipsumque creaturis magis æstimabilem, laudabilem, et amabilem reddunt. Sic

1<sup>o</sup>. Conveniens est summæ ejus bonitati; sicut enim bono non repugnat, sed convenit ejus communicatio, ita bono summo communicatio summa; sed hæc per Incarnationem fit.

2<sup>o</sup>. Maxime conveniens est *amori Dei*; hujus enim proprium est se con-

jungere cum re amata: at maxima est illa conjunctio, per quam Deus fit homo; hinc Joan. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*.

3<sup>o</sup>. Ejus *summæ misericordiæ*, cum tali modo nos redemerit, ut proin Incarnatio a Paulo 1. ad Tim. 3. dicatur, *magnum pietatis Sacramentum*.

4<sup>o</sup>. Simul etiam *justitiæ*, quam ostendere et manifestare magis non poterat, quam peccata nostra expiando in proprio Filio. *Neque dicas*: id ipsum repugnare divinæ justitiæ, ab innocente satisfactionem exigere. Nam

R. Hoc repugnat, si innocens sponte sua factus est fidejussor, et causam nocentis, satisfacere non potentis, libere ultro susceperit N. secus C. Verum Dei Filius *oblatus est, quia ipse voluit*. Is. 53.

5<sup>o</sup>. *Omnipotentia*, quæ ex admirabili utriusque naturæ divinæ et humanæ, in una persona conjunctione relucet. *Sapientiæ*, quæ modum invenit naturas a se invicem adeo remotas uniendo.

6<sup>o</sup>. *Specialis* etiam ratio *congruitatis* erat, Verbum potius incarnari, quam aliam ex personis divinis; cum enim per Verbum omnia facta fuerint, conveniebat specialiter, ut per illud omnia repararentur; et quia per Incarnationem homines adoptandi erant in filios Dei, ut ait Apost. ad Gal. 4. *misit Deus Filium suum... ut adoptionem filiorum reciperemus*, conveniens erat, ut Filius Dei naturalis incarnaretur, et ita fieret *primogenitus in multis fratribus*, ut ait Apost. ad Rom. 8.

*Si dicas*: Si ita conveniens fuerit Deo Incarnatio; ergo ei necessaria fuit, maleque fecit tam diu differendo.

R. N. *utramque seq.* Convenientia enim hæc in Deo præcise est convenientia honestatis et decentiæ, vi cujus non solum non repugnat fieri aliquid a Deo, aut eum dedecet; sed quæ præcise sonat esse consentaneum et conforme Deo, ad manifestandas peculiare perfectiones suas. Sic Deo conveniens fuit mundi creatio, quin dedeceret creationis omissio. Hinc convenientia illa non fuit positiva in Deo hoc sensu, quod ei novam rationem boni, delectabilis, utilis asferret, quomodo conveniens naturæ humanæ fuit, cui maxima inde bona, quibus carebat, et quibus perfectior evasit, accesserunt; Deus in se summe felix et affluens, nullo extra se bono reddi beatior potest; sed solum eo sensu positiva fuit, quo ante dictum.

## ARTICULUS II.

GENEALOGIA CHRISTI A CAVILLIS ET ANTILOGIS TUM GENTILIUM, TUM DEISTARUM, AC CÆTERORUM RELIGIONIS REVELATÆ HOC ÆVO HOSTIUM VINDICATUR.

Tria hic in controversiam veniunt: 1<sup>am</sup>. an Christus vere *ex Davidis stirpe*, secundum generationem humanam, *descenderit*; hinc enim religionis Christianæ veritas maxime pendet; Christum enim, verum Messiam, de tribu Juda, et quidem ex Davidis stirpe futurum, Prophetæ omnes prænantiant. 2<sup>am</sup>. Quomodo conciliari possint Matthæus et Lucas, quorum prior c. 1. v. 6. Christi genealogiam a Davide ducit per Salomonem: *David autem genuit Salomon ex ea, quæ fuit Uriæ; Salomon autem genuit Roboam, etc.* Lucas vero c. 3. eandem ordine retrogrado ducit ad Davidem per Nathanem,



alterum Salomonis fratrem ac Davidis filium, v. 31. *Qui fuit Mathata, qui fuit Nathan, qui fuit David.* Deinde præterquam, quod in progenitoribus Christi appareat quædam discrepantia, Matthæus Jacob Josepho patrem assignat: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ*: Lucas vero Josepho patrem tribuere videtur *Heli*, scribens: *Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat.* 3<sup>um</sup>. Quomodo duo Evangelistæ iidem in genealogia Christi concordent cum veteris Testamenti historia?

Christum ex Davidis stirpe non descendere: Matthæum et Lucam tam sibi invicem, quam historiæ Testamenti veteris aperte contradicere, olim Julianus Augustus Apostata, Porphyrius, alique affirmabant, quos hodie sequuntur ea in re unanimes, Deistæ, Naturalistæ, Indifferentistæ; verbo: omnes religionis revelatæ ac Christianæ hostes. Contra quos

148. *Dico I.* Jesus Christus Dominus noster ex stirpe David, secundum naturam humanam, progenitus est.

*Prob. S.* Matthæus continuo in fronte sui Evangelii ponit c. 1. *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*; at si Christus revera non fuisset oriundus ex stirpe David, nec sacer Evangelista tam confidenter id scripsisset; nec, si etiam scripsisset, siluissent Judæi: primum; quia cum in Judæorum gratiam suam conscripserit Evangelium, omnem sibi apud hos fidem præcidisset statim initio Evangelii sui: alterum; quia Hebræi cautissimi et diligentissimi erant in notandis servandisque genealogiis, eorum maxime, qui ex tribu Juda et stirpe David, ex qua proditurum Messiam noverant; et ex tribu Levi, ne sacerdotium quisquam ab ea tribu alienus invaderet. Unde et Josephus Lib. 1. contra Appionem Judæos præ cæteris nationibus in hoc exactos plurimum laudat. Attamen Judæorum nemo unquam S. Evangelistæ propterea est obloqui ausus. Sed nec ipsi Christo, licet Matth. 22. v. 42. non obscure, sicut sæpe alibi, filium Davidis se declararet. Cumque hoc idem de Jesu prædicarent turbæ; testaretur et Lucas c. 1., asseverarent Apostoli ad Rom. 1. v. 13., item ad Rom. 15. v. 12. et in Actib. Apost., nemine unquam contradicente, quamvis Judæi, alique Christi hostes nullam omitterent occasionem eorum dicta cavillandi; sequitur, eos pro comperto habuisse, Jesum ex Davidis stirpe satum fuisse.

*Confirm.* Cum Christus se Messiam esse sæpè diceret, non potuissent Judæi melius cum falsi convincere, quam dicendo, eum de stirpe David non esse; ex hac enim Messiam futurum, certo ex Prophetis tenebant; nullus tamen unquam id ausus fuit.

149. *Obj. I.* Ut constaret ex Evangeliiis, Christum de stirpe David progenitum esse, constare deberet ex iisdem, B. Virginem Mariam, Christi matrem, de tribu Juda et de prosapia David ortam esse: atqui hoc non constat; quia Matthæus et Lucas genealogiam Jesu tantum per Josephum contextunt; qui tantum erat putativus pater et adscititius.

*II.* Maria Jesu mater Luc. 1. 36. dicitur cognata Elisabeth, quæ erat de filiabus Aaron, sive hujus posteris; Aaron vero nepos Levi fuit, et proin de tribu Levi, 1. Paral. 6. 3. ergo et Maria de stirpe levitica fuit. *Prob. cons.* Nam vi legis Num. 36. 7. cautum Israelitis erat, ne, quam quis vellet, ad conjugii contubernium assumeret ex quaque tribu; sed omnes viri ducent

uxores de tribu et cognatione sua, et cunctæ feminae de eadem tribu maritos accipient; ergo si Elisabeth cognata Mariæ de filiabus Aaron, uxor Zachariæ sacerdotis de tribu Levi fuit, idem de Maria dicendum videtur.

*III.* Si Maria, Jesu mater, de tribu Juda, deque domo David genus traxerit; cur Evangelistæ genus Christi non per illam recensent?

*IV.* Non pauci SS. Patrum et scriptorum volunt, Lucam adornasse genealogiam Christi per lineam Nathanis sacerdotis; qui filius naturalis Uriæ sacerdotis fuerit, sed postea a Davide adoptatus post initum cum Bethsabea Uriæ uxore conjugium.

*R. Ad 1<sup>um</sup>. N. min.* Cum enim Matthæus et Lucas initio historiæ suæ Jesum prædicent *filium David*; item constanter Apost. cit. et ad Gal. 4. et simul ambo Evangelistæ diserte protestentur, Josephum Jesu, utpote de Spiritu sancto concepti, verum genitorem non esse; consequens est, Mariam de tribu Juda, deque domo David prognatam fuisse; quia secus, Jesum nulla ratione *filium David* appellare potuissent. Deinde Lucam quidem genealogiam Christi texisse per Josephum infra negabimus.

*Ad 2<sup>um</sup>. N. Cons. Ad prob. iterum N. Cons.* Lex enim illa Num. 36. illas duntaxat virgines spectat, quæ, prolis masculinæ defectu, ex asse hæredes erant; non alias. Hoc clare indicat ratio legi subjecta: *Ut hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus*; et clarius textus hebraicus: *Omnis ideo filia possidens hæreditatem de tribubus filiorum Israel, alicui de familia tribus patris sui erit in uxorem.* Proin filia non hæres poterat extra tribum suam, cui vellet, nubere. Sic ergo potuit fieri, inquit S. THOM. 3. p. q. 31. a. 2. ad 2<sup>um</sup>. ex GREG. NAZIANZ. carm. 39. de geneal. Christi. v. 44. et seqq. et ex S. AUGUSTINO contr. Faust. L. 23. c. 9. *ut pater Elisabeth uxorem habuerit de stirpe David, ratione cujus B. V. Maria de stirpe David, esset Elisabeth cognata. Vel potius e converso, quod pater B. Mariæ de stirpe David existens, uxorem habuerit de stirpe Aaron, ut nihilominus semper B. V. Maria verum germen esset et tribus Juda, et stirpis Davidicæ; et Christus, etiam posteriori casu, vere de tribu Juda esset, quod exigit Paulus, Hebr. 7. v. 14. Manifestum est, quod ex Juda ortus sit Dominus noster; in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est; ad hoc enim sufficit, si modo Joachim pater B. V. de hac tribu fuerit.*

Rectius argumentum illud adversariorum pro nostra applicatur parte, nam sic illud invertere licet: vi legis cit. Num. 36. cautum Israelitis erat, ne, quam quis vellet, ex quaque tribu assumeret in conjugii contubernium; ergo cum B. V. Maria desponsata esset Josepho, isque de domo David ac proin de tribu Juda esset, ut ait Luc. cap. 2. v. 4. occasione edicti Cæsaris Augusti: *Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem; eo quod esset de domo et familia David; etiam B. V. Maria erat; præsertim, quod unica dicatur fuisse proles, cum nihil unquam de aliquo ejus fratre sit proditum, sicque vi legis cit. Josepho, ceu cognato, nupserit.*

*Ad 3<sup>um</sup>. R.* Quia id necesse non erat, sed satis indirecte Matthæus genus Mariæ prodidit, dum dixit desponsatam Josepho, cujus genus directe recenset; cum enim B. V. Maria unica parentum Joachimi et Annæ proles esset, ut modo dictum, et probat ex SS. Patribus BARONIUS in Appar., ac saltem nullus ejusdem frater, imo nec soror assignari potuerit; ac tamen S. Josepho nu-



psertit de domo David, signum est, Josephum cognatum fuisse B. Virginis; quia in tali casu nubere cognato præcipiebat lex, ac vere Josephum cognatum fuisse ostendit EUSEB. Hist. Eccl. L. 1. c. 7., sequitur per se etiam B. Virginem de domo David fuisse. Lucas vero genealogiam Christi per Josephum non recenset, sed per progenitores B. Virginis, ut dicemus.

Neque dicas: B. V. Maria utpote summe pauper hæreditate carebat; ergo illa lex cit. ipsam non stringebat, ut Josepho ceu cognato hæreditatis causa nuberet. Nam

R. N. A. Contrarium enim tradit EPIPHAN. hæc. 78. n. 7. *Beata Virgo, inquit, Josepho tradita est, quo illam jura hæreditatis, quam possidebat, adegerant.* Esto igitur, beatissime Virginis hæreditas adeo ampla non fuerit, hæreditatem tamen aliquam possedit; quidquid imprudenter Lutherus effutiat in Comm. super *Magnificat*, eam adeo egenam et vilem describens, ut nec filia Annæ et Caiphæ Pontificum eam habere ancillam dignatæ sint.

Ad 4<sup>am</sup>. Opinio illa Patrum et scriptorum probabilis non est: 1<sup>o</sup>. enim cum Apostolo Hebr. 7. supra cit. conciliari nequit. 2<sup>o</sup>. Urias nequidem Israelita fuit, sed Hethæus ex genere Chanaan; qualem constanter Scriptura pronuntiat, 2. Reg. 11. v. 4. 6., etc. ergo sacerdos esse non poterat, cum nequidem ulli Israelitæ, extra tribum Levi, aspirare liceret ad sacerdotium. 3<sup>o</sup>. Nathan, per quem Lucas in genealogia Christum ad Davidem refert, non fuit naturalis Uriæ filius postea a Davide adoptatus; sed filius naturalis Davidis et proprius, ex Bethsabea genitus post Uriæ mortem et initum cum hac conjugium, ut constat ex 1. Paral. 3. 5. *David in Jerusalem nati sunt filii Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bethsabea.*

150. Dico II. Evangelistæ S. Matthæus et S. Lucas in Christi genealogia 1<sup>o</sup>. non repugnant sibi invicem; 2<sup>o</sup>. nec veteris Testamenti historię. Pars posterior commodius constabit ipsa solutione objectionum. Igitur

Pars 1<sup>o</sup>. ostenditur I. S. Matthæus enim genealogiam edidit Joseph, cujus pater naturalis fuit Jacob; hoc enim vox *genuit* sonat: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ*; sicque directe Josephum de Davidis stirpe demonstrans, indirecte et Mariam, verum Davidis germen ostendit, et simul Christum de Maria natum ejusdem esse cum matre stirpis prodidit juxta num. præc. E contra Lucas genealogiam Christi, non indirecte per Josephum, sed directe per veros Christi progenitores, quos secundum lineam maternam habuit, contexit. Jam vero, sive quod non esset consuetudo Hebræorum, ut aliis placet, genealogias texere per feminas; sive quod S. Lucas aliunde patrem Christi naturalem, utpote de Spiritu sancto concepti, referre non posset, ideo gradum fecit a nepote ad avum, a Christo ad Heli, Mariæ patrem.

Unde 1<sup>o</sup>. quando inquit: *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*, relativum *qui* non refertur ad Joseph, sed ad Christum, et sensus est: Christus, putabatur esse filius Joseph, sed qui fuit Heli, id est, nepos Joachimi, patris Mariæ Christi matris; *Heli* enim, ut notat CALMET in Dictionar. S. Scripturæ, *Eliacim, Joachim* videntur esse synonyma; nam Heli per apocopen idem est, qui Eliacim et Joachim; sic Eliacim Pontifex, Judith. 4. vocatur Joachim, Judith. 15. et sicut Jehova vel Ja in Joachim est nomen Dei; sic et El est nomen Dei in Eliacim, sieque

proin utrumque nomen per apocopen idem est, quod *Heli*. Alii utroque nomine patrem Mariæ compellatum volunt, vel fuisse binominem, primo Heli, quod exprimit Lucas; deinde Joachim, quo vulgariter appellatur a Christianis; hoc nomen ab his verosimiliter obtinuit, ob Mariam filiam, futuram Dei matrem; *Joachim* enim ex etymologia nominis est *præparatio Dei*. Nec rara sunt in S. Scripturis exempla: plura eidem successu temporis ob singulare factum aliquod fuisse data nomina; sic pater Davidis dictus primo *Jesse* postea assumpsit nomen *Isai* in nuptiis cum conjugē; et quid mirum, si *Heli* ob filiam Mariam, Dei matrem, dictus simul *Joachim*?


2<sup>o</sup>. Hinc patet, cur Matthæus genealogiam ducat a Salomone; e contra Lucas ordine retrogrado Christum ad Davidem referat per Nathanem; Joseph enim, per cujus genealogiam S. Matthæus indirecte ostendere volebat, Christum esse Davidis filium, vere linea recta descendit ex Salomone. S. Lucas vero Christum per Nathanem, alterum Davidis ex Bethsabea filium et Salomonis germanum fratrem, ad Davidem refert; quia genealogiam Christi directe adornat ascendendo per Christi avum, virginem ejus matris patrem, scilicet Heli, qui linea recta ex Davide descendebat per Nathanem.

151. II. Paulo aliter CORNELIUS A LAPIDE Comment. in Luc. c. 3. utrumque Evangelistam conciliat. Juxta hunc S. Matthæus dum textit Josephi genealogiam, simul B. Virginis ejusque filii Christi per Annam, Mariæ matrem et Christi aviam textit, et sic ostendit Christum naturaliter a Davide, non solum per Heli et Nathanem, sed etiam per Salomonem descendere; nam, inquit ex auctoribus ibi relatis, tempore Christi notissimum fuisse, quod *Mathan*, de quo Matthæus, communis fuerit avus Josephi et Mariæ; *Mathan* enim 1<sup>o</sup>. genuit *Sobe*, quæ fuit mater Elisabeth, uxoris Zachariæ et matris S. Joannis Baptistæ. 2<sup>o</sup>. *Jacob*, qui genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus. 3<sup>o</sup>. *Annam*, quæ nupsit Heli, sive Joachim, ex quibus Maria Christi mater progenita. Quare dum unius genealogia describitur, ut Josephi, etiam alterius, B. V. et sic Christi describitur. Quia sic ergo B. Virgo per Annam matrem suam naturaliter per Mathan et Salomonem descendebat ex Davide, simul hoc ipso ostendit, etiam Christum Mariæ filium, secundum carnem ex Davide per Salomonem descendere. Cum ergo Matthæus sic genealogiam Christi texuisset per Annam ejus aviam usque ad Salomonem et Davidem; Lucas eandem texere voluit per Heli Mariæ patrem usque ad Nathanem et Davidem, ut ostenderet, duplici titulo Jesum fuisse Davidis filium. Operæ pretium duxi ipsam genealogiæ Christi tabulam subjicere.



## DAVID

ex quo geniti



Ex hac tabula perspicitur, B. Virginem per matrem S. Annam descendere per Mathan ex Salomone æque, ac descendit Joseph; per patrem vero Heli sive Joachim descendere ex Nathan. Rursus ex ea intelligitur, S. Annam fuisse sororem Jacob, et amitam Joseph, ideoque B. Virginem, per matrem Annam, et Josephum per patrem Jacob habere avum communem Mathan, eosdemque cæteros proavos usque ad Salomonem et Davidem; igitur Matthæum, dum textit genealogiam Josephi per Jacob et Mathan, texere quoque genealogiam Mariæ et Christi, qui per matrem et aviam Annam recta descendit ex Mathan, et cæteris usque ad Salomonem; et sic denique Christum tam per patrem, quam per matrem descendere ex Davide, quod ostendere Evangelistarum scopus fuit.

132. Fundamenta hujus opinionis sunt 1°. magna auctoritas plurimorum et doctissimorum virorum, quos refert CORNELIUS A LAP. hic; inter quos et S. HIPPOLYTUS Episcopus Portuensis et Martyr, apud Nicephorum L. 2. c. 3. Mathan dat duas filias, *Sobe*, matrem S. Elisabeth, ex qua natus S. Joannes Baptista, et *Annam*, matrem B. Virginis, ex qua natus est Jesus. 2°. Quia Lucam texere genealogiam Christi per hujus avum et patrem B. Virginis, teste CORNELIO A LAP. communis est Doctorum sententia, quos tum hic, tum SUAREZ magno numero citat, et sequitur 3. p. q. 27. Disp. 3.; ergo dicendum est, genealogiam Matthæi texti per S. Annam, eamque fuisse filiam Mathan; alioquin avi, abavique omnes, quos recenset Matthæus, ad Joseph tantum pertinebunt, nihil vero ad B. Virginem et Christum; cum tamen Matthæus statim initio dicat: *Liber generationis Jesu Christi*. 3°. Plurimorum Patrum S. AMBRÓS. L. 3. in Lucam, S. HIERON., THEODORET. in cap. 22. Jerem., S. BERNARDI in illud: *Signum magnum*, etc. tum Doctorum cum Suarez sententia est, B. Virginem et Christum ex *regibus* traxisse genus, adeoque non solo Davide, sed etiam Salomone, etc.

Hinc jam liquet, hunc secundum Evangelistas conciliandi modum præcellere adhuc priori; quod si tamen hic præplacere, revera concedi oportebit, Christum ejusque virgineam matrem ex Davide per solum Nathanem genus trahere juxta Lucam, ac dicere, S. Matthæo solum propositum fuisse, ostendere, non quomodo B. Virgo et Christus naturaliter per *Salomonem* descendant ex Davide sed quomodo Christus sit filius David, ob Mariam desponsatam Joseph, juxta dicta n. 149. Resp. 1. ad 3<sup>um</sup>. Eligat lector ex duabus his sententiis quam volet; in quem finem objectiones contra utramque subjicio.

133. *Obj. I. cont. sentent. 1<sup>am</sup>*. Gratis asseritur, idem esse Eliacim, Joachim, Heli; aut patrem B. Virginis binominem fuisse. 2°. Immerito relativum *qui* trahitur ad Jesum, cum referri debeat, more suo, ad id, quod vicinius est, adeoque ad Josephum; de quo proinde cum dicat Lucas, *qui fuit Heli*, intelligi debet filius *legalis*; nam *naturalis* filius erat Jacobi. 3°. Deus promiserat Davidi Christum ex eo per Salomonem descendurum esse, 2. Reg. 7. 12., Ps. 88. 37. Sed in dato systemate non descendisset per Salomonem.

R. Ad 1<sup>am</sup>. N. A. Patet ex ratione et exemplis allatis, quorum adhuc plura Scriptura suppeditat; dum e contra, qui Julii Africani systema sequuntur, Josephum fuisse filium *legalem* Heli, ne unicum ex tota Scriptura exemplum promere possunt genealogiæ *legalis*.

Ad 2<sup>am</sup>. R. N. ass. Ad rat. D. Si id, quod vicinius, habeat se tantum per modum parenthesis interjectæ N. secus T. Hæc vero, *ut putabatur Joseph*, sunt interjecta per parenthesis; ad hæc vero sequens relativum referri non solet; sed ad id, quod parenthesis præcedit, quodque eo casu proin est vicinius, sicque apud Lucam est *Jesus*. Deinde relativum, *qui*, non semper ad id, quod vicinius est, sed non raro ad principalius, licet remotius, refertur. Habe exemplum, Gen. 29. 22. *Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum*, scilicet Laban ad Jacob, *dans ancillam filiae, Zelpham nomine*. Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus, etc. Ubi relativum *quam* non ad nomen vici-



nus, *Zelpham*; sed ad principalius, utpote orationis velut fundamentum, licet remotius pertinet, ad *Liam* inquam.

Ad 3<sup>um</sup>. R. N. Hoc enim ex cit. loc. non evincitur; nam quoad primum, in sensu litterali sermonem esse de *Salomone*, verba indicant: *ipse edificabit domum nomini meo*; additur quidem: *et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum*; sed hæc: *in sempiternum*, juxta dicta n. 82. non respiciunt semper omnia futura tempora, sed sæpe determinatam epocham, et tempus vitæ, sicque hic *Salomoni* regnum stabile ad dies vitæ ejus promittitur; ut amplius patet ex sequentibus: *qui*, scilicet *Salomon*, nam in *Christum* hæc cadere non possunt, *si inique aliquid gesserit; arguam eum in virga virorum*, etc. Quæ singula in *Salomone* impleta sunt. Ad alterum textum eadem est responsio.

154. Obj. II. cont. *utramque sentent.* In priore sententia *Lucas* texuisset genealogiam *Christi* per *B. Virginem*; in altera idem tenet, et præterea *S. Matthæus* præterquam quod textat genealogiam *Josephi* per *Jacob*, *Mathan*, etc. progenitores naturales ad *Salomonem*, simul genealogiam *Christi* per *B. Virginem* et *Annam* a *Salomone* deducit: atqui genealogias formare per feminas a *Scripturarum* consuetudine abhorret; ergo.

R. Neque *Lucas*, neque *Matthæus* proprie texuisse genealogiam per feminas dici potest: non prior; hic enim a *Christo* ad avum *Heli*, ne memorata quidem *B. Virgine*, gradum fecit; licet vero *Heli* esset pater *B. Virginis*; hoc tamen non erat texere genealogiam per feminas. Non posterior; nam *S. Matthæus* proprie directe texuit genealogiam *Josephi*; quanquam genealogia eadem simul ostendat, *Christum* per *B. Virginem*, et *S. Annam* aviam ex *Salomone* a  *Davide* descendere; quia *Mathan* juxta dicta communis avus erat et *Josephi* et *B. Virginis*. Quod vero uterque *Evangelista* *Christum* ad *Davidem* referat per *B. Virginis* progenitores tam secundum lineam hujus maternam, ut *S. Matthæus* per *Annam*, quam paternam, ut *Lucas*, mirum videri non debet; quia *Christus* patrem naturalem in terris non habebat, per quem referri ad *Davidem* potuisset. Ideo, ne quis id carperet, ambo *Evangelistæ* diligenter monent, *Christum* de *Spiritu sancto* conceptum esse; hinc mutato conceptionis ordine in *Christo*, etiam genealogiæ ejus contextendæ ratio immutari debuit.

155. Obj. III. Potius videtur amplectendum systema *Julii Africani*; quia id plerique veteres, et quidem *SS. Patres* adoptarunt.

Observa: Systema *Julii Africani*, ut hodie proponi solet, vult *Mathan*, de quo *Matthæus*, ex uxore *Estha*, alii *Jescam* vocant, genuisse *Jacob* patrem naturalem *Josephi* sponsi *B. Virginis*; sed *Mathan* demortuo, eandem *Esthan* nupsisse *Mathat*, de quo *Lucas*, quodque *Mathat* ex hac genuerit *Heli*; sed cum etiam *Heli* mortuus esset sine liberis, ejus uxorem relictam duxerit *Jacob*, utpote *Heli* frater uterinus ex *Estha*, juxta legem *Deut. 25. v. 5. Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui: et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel*; sicque *Jacob* vere ex relictâ uxore *Heli* genuerit *Josephum*. Igitur in hoc systemate *Joseph*

est filius naturalis *Jacobi*; et propter cit. legem, legalis *Heli*: proinde *Matthæus* textit genealogiam *Christi* per *Joseph*, ceu filium legalem *Heli*. En ipsum systema:

Matthæi cap. 1.	Luc. cap. 3.
MATHAN	MATHAT
ex <i>Estha</i> conjuge genuit <i>Jacob</i> ,	ex eadem <i>Estha</i> vidua <i>Mathanis</i> genuit <i>Heli</i> fratrem uterinum <i>Jacobi</i> .
JACOB	HELI
ex vidua <i>Heli</i> fratris sui uterini genuit <i>Joseph</i> , sponsum <i>B. Virginis</i> ,	ducta uxore, moritur sine liberis, relicta fratri <i>Jacob</i> vidua, ex qua proin
JOSEPH	JOSEPH
filius naturalis <i>Jacobi</i> .	filius legalis est <i>Heli</i> .

Dixi vero supra: ut hodie proponi solet. Nam in epist. *Julii Africani* legitur apud *Eusebium* *Hist. Eccl. L. 1. c. 7.* quod *Mathanis* viduam duxerit *Melchi* et ex hac genuerit *Heli*, fratrem uterinum *Jacobi*. Quod directe adversatur *S. Lucæ*, qui inter *Melchi* et *Heli*, adhuc duos interponit, *Levi* et *Mathan*. Nunc

R. N. A. Nam. 1<sup>o</sup>. abhorret hoc systema penitus a *divinarum Scripturarum* consuetudine; in quibus ne unum exemplum, aut vestigium genealogiæ per patrem legalem est. 2<sup>o</sup>. Sequitur ex eo hoc ingens absurdum, quod neuter *Evangelista* referat ullum ex veris *Christi* secundum carnem progenitoribus, ut proinde de facto adhuc careamus vera genealogia *Christi*: nam quomodo genealogia *Christi* dici poterit; dum, præter *Davidem*, ceu stirpem, ne unus ex veris ejus progenitoribus memoratur? 3<sup>o</sup>. Saltem probabilius est, legem *Deut. 25.* loqui de fratribus non uterinis, sed germanis, hi enim soli retinebant nomen et hæreditatem patris. 4<sup>o</sup>. *Estha* hic impertinenter adducitur; esto enim in ea velut matre coeant uterini fratres *Jacob* et *Heli*; coire tamen nequeunt in *Mathan* et *Mathat* cæterisque usque ad *Davidem*; nihil ergo illi fratres uterini hic faciunt ad genealogiam *B. Virginis* et *Christi*; ita ut ex illis ostendatur *Jesus* ex semine *Davidis*, natus *Davidi* secundum carnem, ut vult *Scriptura*. 5<sup>o</sup>. Quod *Julius Africanus* ipse, licet hoc systema ipsi videatur optimum, illud tamen dubitanter proponat, dum inquit: *Sive itaque ad hunc modum, sive aliter habet res ista, non poterit quisquam, meo judicio, clariorem expositionem reperire. Quisquis autem æquo animo præditus est, idem quod nos, curabit, etiamsi certum desit testimonium.* *SS. Patres* *Julium Africanum* secuti sunt; unde nemo vitio vertet, si utpote in re merissimi facti, ex datis rationibus, communem potius *Theologorum*, et *Scripturæ* interpretum aliter sentientium, sequamur. Sic et nemo hodie eos amplius *Patres* sectatur, qui *Nathanem*, *Uriæ* *Hethæi* filium, sacerdotem dicebant. Ac demum non tantum esse *SS. Patrum* numerum *Julio Africano* adhærentium, quantus a quibusdam asseritur; apud *P. Calini* videre est.

156. Obj. IV. cont. p. 2<sup>am</sup>. conclus. Utraque genealogia cum veteris Testamenti historia non concordat. Nam 1<sup>o</sup>. *Matth. c. 1. Joram* genuit *Oziam*:



at 4. Reg. 8. 24. et c. 11. n. 1. *Joram genuit Ochoziam, Ochozias genuit Joas, Joas genuit Amasiam, Amasias autem genuit Oziam*; ergo tres generationes prætermisæ sunt.

2<sup>o</sup>. Matth. cit. v. 9. *Achaz autem genuit Ezechiam*: atqui hoc est incredibile. *Prob. min.* 4. Reg. 16. 2. *Viginti annorum erat Achaz, cum regnare cepisset, et sedecim annis regnavit*: sic vero vixit annis 36. relicto regni hærede Ezechia. Præterea 4. Reg. 18. 2. *Ezechias viginti quinque annorum erat, cum regnare cepisset*; si jam 25. annos Ezechia subtrahas a 36. quibus regnavit Achaz, remanebunt 11.; ergo Achaz generasset Ezechiam anno ætatis suæ decimo, quod fidem superat.

3<sup>o</sup>. Matth. cit. v. 11. *Josias genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis*; atqui 4. Reg. 24. et 2. Paral. 36. *Joachim pater naturalis Jechoniae fuit. Præterea Josias in prælio Maggeddonensi occubuit, ante transmigrationem Babylonis, 2. Paral. 35. ergo Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis generare non potuit.*

4<sup>o</sup>. Matth. v. 12. *Post transmigrationem Jechonias genuit Salathiel*; sed Jerem. 22. 30. *Jechonias dicitur sterilis: Scribe virum istum sterilem.* Deinde apud Lucam c. 3. *Salathiel dicitur filius Neri.* Et demum 2. Paral. 33. *Salathiel genitus dicitur in ipsa transmigratione Babylonis; non ergo post illam primum genitus est.*

5<sup>o</sup>. Matthæus ait: *Salathiel genuit Zorobabel*: at 1. Paral. 3. 19. *Zorobabel ponitur Phadaice filius.*

6<sup>o</sup>. Lucas inter Patriarchas, qui post diluvium vivere, immiscet *Cainan* filium *Arphaxad*; hujus autem *Cainan* inter *Sale* et *Arphaxad* medii nulla fit mentio in Testamento veteri.

R. N. Ass. Ad 1<sup>am</sup>. D. *Joram genuit Oziam* immediate N. mediate C. Scripturæ enim phrasi etiam nepotes filiorum nomine veniunt: sic Christus filius David dicitur, et Judæi omnes filii Abraham. Unde et Is. 51. 2. ait: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saran, quæ peperit vos*; at tamen *Isaie* ætate plus mille anni numerabantur ab Abraham et Sara. Cæterum observat S. Hier. in cap. 1. Matthæi, Evangelistæ propositum fuisse tres tesseradecades in diverso temporum statu ponere; cur vero Matthæus præcise tres illas generationes prætermiserit, causam dat idem et ex eo Doctor Angelicus 3. p. q. 31. a. 3. ad 4. *quia Joram generi se miscuerat impiissimæ Jezabelis*; genuit enim *Ochoziam* ex *Athalia* filia *Achab* et *Jezabelis*, cujus stirpi maledixerat Deus, 3. Reg. 31. 21. Qua ratione etiam tribus *Dan* in recensione signatorum omittitur Apoc. 7. quia a cultu Dei deficiens se gentibus immiscuerat, Judic. 18. Non ultra tamen tertiam generationem *Jorami* posteritas est ab Evangelista omissa, quia, Exod. 20. 3. punitio Dei non nisi ad tertiam, vel quartam generationem protendebatur.

Ad 2<sup>am</sup>. R. N. min. Ad prob. R. 1<sup>o</sup>. D. Remanebunt undecim, non computatis annis incompletis et inchoatis C. his computatis N. Scriptura ordinarie annos incompletos computare non solet; at si et hi computentur, Achaz, juxta S. Scripturæ interpretes, anno ætatis suæ decimo quarto Ezechiam genuit; nimirum Achaz, cum regnare cepisset natus erat 20. annos, et unum incompletum, quem Scriptura computare non solet; regnavit autem 16. annis completis, decimo septimo inchoato et non completo; adeoque mortuus est, anno ætatis suæ trigesimo octavo. Ezechias vero cum regnum

adiit, annum vigesimum quintum inchoaverat, sed nondum compleverat. Si igitur detrahas 24. annos Ezechia a 38. Achazi, hic Ezechiam genuit anno ætatis decimo quarto.

R. 2<sup>o</sup>. Cum P. Calini: *Viginti annorum erat Achaz, cum quatuor ante mortem Joatham annis regnare cepisset, et sedecim annis regnavit solus post mortem patris.* Achaz igitur, cum mortuus est, annorum 40. fuit. Subtrahe his 25. annos Ezechia, et remanent Achazo 15. anni, quibus jam satis pubes generare potuit; frequens est enim in Scriptura, filios *sub patre vivo* regnasse.

Ad 3<sup>am</sup>. R. D. *Josias genuit Jechoniam* secundum N. primum C. Et D. min. *Joachim* fuit pater naturalis Jechoniae secundi C. primi N. Duos distinguere Jechonias oportet. *Jechonias primus*, qui et *Eliacim*, item *Joachim* dictus est; estque ille, quem Josias genuit; et fratres hujus Jechoniae sunt *Joachaz*, seu *Johanan*, *Sedecias*, et *Sellum*, 1. Paral. 3. 13. *Jechonias secundus* vero filius fuit Jechoniae primi, dicti *Joachim*, nepos Josia, et pater *Salathielis*, quem post transmigrationem, scilicet in ipsa captivitate genuit. Ubi quoad S. Matthæum, nota; quod in Jechonia finit tesseradecadem secundam; in Jechonia vero secundo tesseradecadem tertiam ordiatur. Solutio hæc est S. Hier. in c. 1. Matth., S. AMBROS. L. 3. in Lucam, aliorumque communior. Denique hæc, in transmigratione Babylonis, idem sonant, ac circa transmigrationem primam.

Ad 4<sup>am</sup>. R. Ne idem bis repetamus, vide quæ sufficienter de hoc *Jechonia* diximus n. 29. *Salathiel* vero apud Lucam alius est ab illo, de quo Matthæus.

Ad 5<sup>am</sup>. R. *Zorobabel*, de quo Matthæus, diversus est ab illo 1. Paral. 3. Unde mirum non est, si et diversi parentes utrique assignentur. Et vero duos fuisse *Zorobabeles* ex diversis et patribus, et filiis respectu utriusque dignoscitur.

Ad 6<sup>am</sup>. R. D. Nulla fit *Cainanis* mentio in hebraico C. in versione LXX. N. Hos vero secutus est S. Lucas; sed LXX. saltem Gen. 11. *Cainanem* interserunt, supplentes hebraicum; quibus, etsi nos lateat vera causa ob quam a Moyse prætermisus sit, fides haberi debet, utpote hebraicarum traditionum peritissimis. Unde, ut phrasi mansueta utar, minus honorifica videtur eorum sententia, si non S. Lucæ scriptori Theopneusto, et LXX. Interpretibus, dum ab illis intrusum *Cainanem* volunt; saltem Ecclesie, quæ *Cainanem* nunquam censuit expungendum, et SS. Patribus plurimis, qui *Cainanem* retinuerunt; velut S. Hieron. qui jussu Damasi latinam S. Lucæ Evangelii versionem correxit, S. AUG. L. 16. de Civ. c. 3., S. GREG. NAZIANZ. 29. Carm. de geneal. Christi aliisque.





## DISPUTATIO II.

### DE QUIDDITATE, SIVE NATURA INCARNATIONIS.

Ab existentia ex ordinatæ methodi legibus ad investigandam quidditatem ipsam, sive essentiam progredimur. Hanc breviter æque, ac nitide ad mentem S. Scripturæ, ac Conciliorum expressam exhibet Athanasianum symbolum, à tota Ecclesia adoptatum: *Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est... Qui; licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ; sed unitate personæ.* Unde Incarnationis quidditas in duobus versatur articulis, natura duplici, et una in Christo persona; ac tota mysterii summa in unione hypostatica, sive personali, naturæ utriusque, divinæ et humanæ in una Verbi persona, quiescit. Hinc, juxta ordinem enatarum hæreseon, agemus Sect. 1<sup>a</sup>. De unitate personæ. 2<sup>a</sup>. De duplici in Christo natura. 3<sup>a</sup>. De gemina Christi voluntate.

### SECTIO I.

#### DE UNITATE PERSONÆ IN CHRISTO.

Dogma catholicum de unitate personæ in Christo scopulus Nestorii fuit; ad quem impedit, duas in Christo personas asserens. Quare articulo 1<sup>o</sup>. Nestorianismi epitomen historicam dabimus, quo dicendis major lux affulgeat. 2<sup>o</sup>. Dogma catholicum elucidabimus; et in sequentibus, quæ porro ad Nestorianismi historiam et crisin pertinent, disputabimus.



## ARTICULUS I.

## EPITOME HISTORICA NESTORIANISMI.

## §. I.

*Nestorii, ejusque hæresis initia.*

157. Nestorius impii architectus erroris, Germanicia, Syriæ oppidulo oriundus, monasticam vitam in Laura S. Euprepii professus fuit prope Antiochiam, una cum Joanne Antiochenorum postea Episcopo, et Theodoro Cyrensis pariter Ecclesiæ deinde Antistite. Præceptorem ibi habuit Theodorum Mopsuestenum, a quo de Incarnatione Verbi male sentire didicit. Ab hoc instituto ad clerum translatus, et presbyter factus Antiochenæ Ecclesiæ, quod sermone promptus, ac disertus esset, docendi populi munus suscepit. Quo in munere ita se gessit, ut partim popularem plausum orationibus suis, quas eo dirigebat; partim externa severitate morum sibi venerationem conciliaret. Unde post mortem Sisinnii anno 427. Antiochia accitus Nestorius, ad ipsam Constantinopolitanam sedem evectus est. Ut primum vero Pontificatum suscepit, vehemens suum in hæreticos odium declaravit, in prima statim coram Theodosio Imperatore oratione, qua sic eum allocutus fuit: *Da mihi, Imperator, puram ab hæreticis terram; et ego caelum tibi vicissim dabo: evertite mecum hæreticos, et ego tecum Persas evertam.* At dum in hæreticorum perniciem incumbit Nestorius; hæreticus et ipse, imo architectus et princeps novæ est hæresis factus, quam olim a Theodoro præceptore haustam, non multo post spatio proferre et fieri cepit.

## §. II.

*Nestorii impura dogmata.*

158. Fons et caput totius impuri dogmatis Nestorii fuit, quod unionem duarum naturarum in Virginis utero sic factam assereret, ut ante formatus fuerit homo integer et perfectus, subsistens subsistentia propria, et propriam habens personam, quam sibi deinde Verbum conjunxerit, non unionem hypostatica, physica, substantiali, sed morali vel accidentali; 1º. *inhabitationis*, quatenus Verbum habitavit in eo, velut in templo, speciali tamen modo, quam in justis cæteris; 2º. *unitatis*, seu conformitatis affectus, nimirum quatenus voluntas hominis semper conformis erat voluntati divinæ; 3º. *operationis*, quatenus homo ille fuit instrumentum Verbi; 4º. *dignitatis*, quod homo ille esset *divinitatis possessor*. Hinc fluebant errores alii.

1º. Duas in Christo personas esse, duos filios, Christos duos; licet hoc palam profiteri nollet; clam tamen, per ancipites sententias, et velut cuniculos adstruebat, teste S. CYRILL. epist. 8. ad cler. Constantinop. (opp. t. 5:

part. 2ª. sect. 2ª. p. 33. D.), S. VINCENT. LIRIN. Commonit. n. 12., FACUNDO HERMIANENSI L. 1. c. 4. VIGIL. TAPSENS. contr. Eutych. L. 2. n. 3.

2º. Verbum non esse vere incarnatum; et Christum secundum carnem dici Deum, ut olim Moyses, etsi major sit hominis Christi, quam Moysis dignitas. Ita Nestorius ipse apud CYRILL. ALEX. LL. adv. Nestor. (opp. t. 6. p. 22. E. et 40. D.)

3º. Colligebat Nestorius, non oportere naturæ unius propria tribuere alteri. Hinc non recte dici: Verbum, sive Deum esse passum; et, qui hoc dicebat, Cyrillum errare, atque Apollinaristarum erroris reum esse.

4º. Sanctissimam Virginem Θεοτόκον h. e. *Deiparam* negabat appellandam esse; sed Χριστοτόκον *Christiparam*; Ἀνθρωποτόκον *Hominiparam* vocabat, Χριστοτόκον sumendo, non in sensu orthodoxo, quem alias illa vox habere potest; sed prout opponitur alteri Θεοτόκον indicando, non Deum a B. Virgine, sed hominem genitum fuisse; ut, plerorumque suffragio tota Nestoriana pravitas in voce Χριστοτόκον *Christipara*, velut in compendium redacta contineatur.

## §. III.

*Gesta inter S. Cyrillum Alexandrinum, et Nestorium.*

159. Hæresi illa primum Constantinopoli disseminata, dici non potest, quantum offensi propterea fideles, qui a Concilii Nicæni temporibus solerter instructi, usque eo B. Virginem ceu Dei matrem coluerant. Quare Nestorio se scriptis continuo opposuere S. PROCLUS CYZICENUS, JOANNES CASSIANUS, MARIUS MERCATOR, inter quos tamen S. CYRILLUS ALEXANDRIN. eminuit, qui, data primum ad Monachos Ægypti epistola, reticito auctoris nomine, eos contra pestilentem Nestorii hæresin præmunivit; tum aliam scripsit ad Theodosium imperatorem, sive librum de *recta fide*; item, ad imperatrices alteram, quibus recentem hæresin confutavit. Quin exulceratum propterea Nestorium, datis quoque ad eundem litteris, placare studuit. Sed cum operam perderet, et Nestorius jam Romam ad COELESTINUM I. scripsisset; ad eum quoque S. CYRILLUS scripsit, Pontificemque de Nestorii dogmate instruxit.

Igitur COELESTINUS Romæ anno 430. coacta Synodo, excommunicationis sententiam tulit in Nestorium, nisi intra decimum a denuntiatione diem, ejurata hæresi, *aperta et scripta confessione* profiteretur fidem; simulque S. Cyrillo vices suas committens, præcepit, ut, nisi pareret Nestorius, hunc a Romanæ Sedis, et omnium Episcoporum communione rejectum renunciaret; ipse autem Ecclesiæ Constantinopolitanæ provideret. Ea de re certiores simul S. Pontifex reddidit Nestorium ipsum; Constantinopolitanum clerum, populumque; Joannem Antiochenum; Juvenalem Hierosolymitanum, aliosque Præsules.

S. Cyrillus Romani Pontificis, et Occidentalis Ecclesiæ auctoritate fretus, ad Joannem Antiochenum, aliosque de Nestorio scripsit. Joannes quoque Nestorium ad respiscendum hortatus est. Sed cum obfirmatus in hæresi expugnari non posset; S. CYRILLUS congregata universa Ægyptiacæ diocesis suæ



Synodo, tertiam ex illa scripsit epistolam, eamque synodicam ad Nestorium, cum duodecim capitulis quæ totidem anathematismis ipsius feriebant hæresin; simul denuntians, latam a COELESTINO contra ipsum sententiam ratam fore; nisi, damnato errore, illis capitulis subscriberet.

Nestorius inde in furorem actus, duodecim et ipse capitula, sive anathematismos, illis S. CYRILLI opposuit, quibus contra Catholicum dogma suam affirmavit hæresin. Nec verbis posthac furere contentus, factis persequi orthodoxos cepit. Constantinopolitanos, qui ferme omnes ab ejus communiōne recesserant, dire exagitavit, præfectorum abusus potentia: item monachos, quos ubique habebat adversarios: Imperatorem quoque calumniis contra S. Cyrillum commotiorem reddidit. Quæ res, cum turbæ auferentur, convocando Ephesum generali Concilio causam dedit, Theodosio, consentiente COELESTINO, hac de re per Petronium monito, ut constat ex litteris Cælestini datis ad Synodum.

## §. IV.

*Synodus Ephesina, Generalis III., et Nestorii condemnatio.*

160. Cœpta fuit Ephesina Synodus anno 431., Episcoporum supra 200. numero celebris. Præfuit initio solus S. CYRILLUS, tum jure suæ Sedis, utpote à Romana secundæ, absentibus adhuc Legatis Pontificiis; tum ut Legatus Sedis Apostolicæ ad exequendam sententiam in Nestorium latam, dum Legati advenirent Pontificis, ARCADIVS et PROJECTVS episcopi, ac PHILIPPVS presbyter. Tota vero Synodus actionibus septem terminata. Ac licet de industria moras necceret JOANNES ANTIOCHENVS, Nestorii amicus, ob veterem consuetudinem jam in Laura contractam; per legatos tamen, ut fieret Synodi initium, annuerat. Igitur

Actio I. die 22. Junii habita, in qua tertio citatus Nestorius ægre tandem respondit, se, cum omnes advenissent Episcopi, etiam affuturum; designabat vero Orientales, qui adhuc in itinere, vel apud Joannem Antiochiæ morabantur. Detrectante itaque judicium Nestorio, tandem ex præscripto et auctoritate Canonum ac Cœlestini, ut professi sunt Patres, damnatus est Nestorius, omnique episcopali dignitate, et sacerdotali gradu exutus, incredibili totius urbis lætitia.

At *Candidianus* Comes, Nestorio addictus, antequam synodalia acta conficerentur mittenda Imperatori, hunc calumniis in Synodum prævenit: item Nestorius, de vi et injuria a Memnone Ephesino sibi illata conquerens, quod is, cæterique adventum Joannis et Orientalium exspectare noluissent.

Interea aliquot post Act. I. diebus, adest JOANNES ANTIOCHENVS cum 22. Episcopis, qui vix e curru descendens, adhuc pulverulentus, privatum conventum habuit; et exceptis Candidiani querelis de Cyrilli et Memnonis gestis, utrique Episcopatum abrogat; CYRILLVS vero nominatim ab eo notatus est ob duodecim capitula, vel anathematismos, in quibus Apollinaris, Eunomii, Arii nefaria dogmata vulgasset.

Sed cum et Legati Pontificii interea advenissent, et Act. II. lectis iis, quæ contra Nestorium Act. I. acta fuerant, etiam ipsi in Act. III. subscribunt.

Act. IV. S. CYRILLVS et MEMNON libellos obtulerunt Synodo contra Joannem Antiochenum, rogantes, ut citaretur ad Synodum, ad reddendam sui facti rationem. Missi proinde ad Joannem Episcopi, a militibus quibus, vallatus erat, ex ejus imperio rejecti.

Act. V. Missis tertio ad Joannem Episcopis tribus, sed eo adhuc detrectante judicium, S. Synodus Joannem et Episcopos cum eo triginta tres schismatica Synodo collectos ferit excommunicationis sententia, omnique dignitate ac sacerdotali gradu privatos mulctat, irritaque decernit singula, quæ contra CYRILLVM ac MEMNONEM gesserant.

Nestorii contra patroni, maxime *Candidianus* et *Trenæus* Comites, nihil non tentabant ad opprimendam Synodum, ejusque obliteranda Acta. Imperatorem etiam eo calumniis contra S. Synodum commovent, ut ad Synodum scribens per Palladium Magistrinum omnia irrita decerneret. At S. Synodo se strenue defendente, Imperator veriora edoctus interea, subscribit latæ in Nestorium sententiæ, Maximianum presbyterum in Constantinopolitanam sedem loco Nestorii substituit, non parum operæ ad felicem exitum conferente S. PULCHERIA virgine Augusta.

Nestorius vero ad Lauram rediit, cumque nec ibi a disseminando suo impio dogmate desisteret, Theodosius illum in oasim relegavit, ubi ærumnis confectus, exesa a vermibus lingua, qua sacrilegas in Dei Matrem voces egerat, vivere desiit.

## §. V.

*S. Cyrilli Alexandrini et Joannis Antiocheni reconciliatio.*

161. Oppressa Nestoriana hæresi, Theodosius in id deinde incubuit, ut S. CYRILLVM ac JOANNEM Antiochenum ad concordiam reduceret. Quod anno 432., Sixto summo Pontifice, S. Cœlestini successore, perfectum est sub his conditionibus. 1°. Ut JOANNES ANTIOCHENVS anathema diceret Nestorio. 2°. Ejus depositioni subscriberet. 3°. Ratam haberet Maximiani ordinationem, suffecti in locum Nestorii; ac demum confessioni fidei a CYRILLO missæ subscriberet. Quibus singulis a Joanne præstitis, pax inter utrumque Præsulem redintegrata fuit, et simul universæ restituta Ecclesiæ.

## ARTICULVS II.

UTRUM UNIO UTRIUSQUE IN CHRISTO NATURE VERE SIT HYPOSTATICA SIVE PERSONALIS?

Paulo aliis subinde terminis quæstio eadem proponi solet: an unio Verbi cum humanitate facta sit in persona, scilicet Verbi? Item: an utraque natura divina et humana in Christo unitæ sint in unitatem personæ, scilicet ut in una persona Verbi subsistant? Sed ad idem recidunt; idemque sonant, ac: utrum una sit in Christo persona?

Cum vero Incarnatio definiatur per ordinem ad naturam, personam, unionem hypostaticam, horum, aliorumque terminorum intelligentia cum primis necessaria est, tum ad ipsum hoc mysterium rite intelligendum,



Synodo, tertiam ex illa scripsit epistolam, eamque synodicam ad Nestorium, cum duodecim capitulis quæ totidem anathematismis ipsius feriebant hæresin; simul denuntians, latam a COELESTINO contra ipsum sententiam ratam fore; nisi, damnato errore, illis capitulis subscriberet.

Nestorius inde in furorem actus, duodecim et ipse capitula, sive anathematismos, illis S. CYRILLI opposuit, quibus contra Catholicum dogma suam affirmavit hæresin. Nec verbis posthac furere contentus, factis persequi orthodoxos cepit. Constantinopolitanos, qui ferme omnes ab ejus communiōne recesserant, dire exagitavit, præfectorum abusus potentia: item monachos, quos ubique habebat adversarios: Imperatorem quoque calumniis contra S. Cyrillum commotiorem reddidit. Quæ res, cum turbæ auferentur, convocando Ephesum generali Concilio causam dedit, Theodosio, consentiente COELESTINO, hac de re per Petronium monito, ut constat ex litteris Cælestini datis ad Synodum.

## §. IV.

*Synodus Ephesina, Generalis III., et Nestorii condemnatio.*

160. Cœpta fuit Ephesina Synodus anno 431., Episcoporum supra 200. numero celebris. Præfuit initio solus S. CYRILLUS, tum jure suæ Sedis, utpote à Romana secundæ, absentibus adhuc Legatis Pontificiis; tum ut Legatus Sedis Apostolicæ ad exequendam sententiam in Nestorium latam, dum Legati advenirent Pontificis, ARCADIVS et PROJECTVS episcopi, ac PHILIPPVS presbyter. Tota vero Synodus actionibus septem terminata. Ac licet de industria moras necceret JOANNES ANTIOCHENVS, Nestorii amicus, ob veterem consuetudinem jam in Laura contractam; per legatos tamen, ut fieret Synodi initium, annuerat. Igitur

Actio I. die 22. Junii habita, in qua tertio citatus Nestorius ægre tandem respondit, se, cum omnes advenissent Episcopi, etiam affuturum; designabat vero Orientales, qui adhuc in itinere, vel apud Joannem Antiochiæ morabantur. Detrectante itaque judicium Nestorio, tandem ex præscripto et auctoritate Canonum ac Cœlestini, ut professi sunt Patres, damnatus est Nestorius, omnique episcopali dignitate, et sacerdotali gradu exutus, incredibili totius urbis lætitia.

At *Candidianus* Comes, Nestorio addictus, antequam synodalia acta conficerentur mittenda Imperatori, hunc calumniis in Synodum prævenit: item Nestorius, de vi et injuria a Memnone Ephesino sibi illata conquerens, quod is, cæterique adventum Joannis et Orientalium exspectare noluissent.

Interea aliquot post Act. I. diebus, adest JOANNES ANTIOCHENVS cum 22. Episcopis, qui vix e curru descendens, adhuc pulverulentus, privatum conventum habuit; et exceptis Candidiani querelis de Cyrilli et Memnonis gestis, utrique Episcopatum abrogat; CYRILLVS vero nominatim ab eo notatus est ob duodecim capitula, vel anathematismos, in quibus Apollinaris, Eunomii, Arii nefaria dogmata vulgasset.

Sed cum et Legati Pontificii interea advenissent, et Act. II. lectis iis, quæ contra Nestorium Act. I. acta fuerant, etiam ipsi in Act. III. subscribunt.

Act. IV. S. CYRILLVS et MEMNON libellos obtulerunt Synodo contra Joannem Antiochenum, rogantes, ut citaretur ad Synodum, ad reddendam sui facti rationem. Missi proinde ad Joannem Episcopi, a militibus quibus, vallatus erat, ex ejus imperio rejecti.

Act. V. Missis tertio ad Joannem Episcopis tribus, sed eo adhuc detrectante judicium, S. Synodus Joannem et Episcopos cum eo triginta tres schismatica Synodo collectos ferit excommunicationis sententia, omnique dignitate ac sacerdotali gradu privatos mulctat, irritaque decernit singula, quæ contra CYRILLVM ac MEMNONEM gesserant.

Nestorii contra patroni, maxime *Candidianus* et *Trenæus* Comites, nihil non tentabant ad opprimendam Synodum, ejusque obliteranda Acta. Imperatorem etiam eo calumniis contra S. Synodum commovent, ut ad Synodum scribens per Palladium Magistrinum omnia irrita decerneret. At S. Synodo se strenue defendente, Imperator veriora edoctus interea, subscribit latæ in Nestorium sententiæ, Maximianum presbyterum in Constantinopolitanam sedem loco Nestorii substituit, non parum operæ ad felicem exitum conferente S. PULCHERIA virgine Augusta.

Nestorius vero ad Lauram rediit, cumque nec ibi a disseminando suo impio dogmate desisteret, Theodosius illum in oasim relegavit, ubi ærumnis confectus, exesa a vermibus lingua, qua sacrilegas in Dei Matrem voces egerat, vivere desiit.

## §. V.

*S. Cyrilli Alexandrini et Joannis Antiocheni reconciliatio.*

161. Oppressa Nestoriana hæresi, Theodosius in id deinde incubuit, ut S. CYRILLVM ac JOANNEM Antiochenum ad concordiam reduceret. Quod anno 432., Sixto summo Pontifice, S. Cœlestini successore, perfectum est sub his conditionibus. 1°. Ut JOANNES ANTIOCHENVS anathema diceret Nestorio. 2°. Ejus depositioni subscriberet. 3°. Ratam haberet Maximiani ordinationem, suffecti in locum Nestorii; ac demum confessioni fidei a CYRILLO missæ subscriberet. Quibus singulis a Joanne præstitis, pax inter utrumque Præsulem redintegrata fuit, et simul universæ restituta Ecclesiæ.

## ARTICULVS II.

UTRUM UNIO UTRIUSQUE IN CHRISTO NATURE VERE SIT HYPOSTATICA SIVE PERSONALIS?

Paulo aliis subinde terminis quæstio eadem proponi solet: an unio Verbi cum humanitate facta sit in persona, scilicet Verbi? Item: an utraque natura divina et humana in Christo unitæ sint in unitatem personæ, scilicet ut in una persona Verbi subsistant? Sed ad idem recidunt; idemque sonant, ac: utrum una sit in Christo persona?

Cum vero Incarnatio definiatur per ordinem ad naturam, personam, unionem hypostaticam, horum, aliorumque terminorum intelligentia cum primis necessaria est, tum ad ipsum hoc mysterium rite intelligendum,



tum diversas locutiones Patrum conciliandas; quorum vel neglectus, vel ignorantia Nestorianæ, Sabellianæ, aliisque hæresibus causam dedit. Quare

162. I. NATURA, ut hic a Theologis sumitur, ipsam significat essentiam, sive rationem specificativam cujusque substantiæ, præscindendo, utrum in se, an in alio subsistat. In quem sensum definitur a Boetio, L. de persona et duab. natur. c. 1. *Natura est unquamque rem informans specifica differentia*. Ita natura humana dicit animal rationale, quod specificam hominis differentiam efficit; sed præscindendo adhuc, an in se, an in alio subsistat.

Qui philosophice de natura disserunt, eam ab essentia saltem ratione distinguunt, et hoc discriminis ponunt, quod essentia ordinem solummodo dicat ad esse rei, abstrahendo ab operatione; natura vero ad operationem rei; illamque definiunt, *principium motus et quietis ejus, in quo est*. At, hodierno usu, Theologi in quæstionibus de SS. Trinitatis et Incarnationis mysteriis, naturam, essentiam, substantiam promiscue sumunt cum Ecclesia in Conc. Lateran. IV., in quo Patres abstrahendo a subtilitate illa metaphysica, in professione fidei enuntiant: quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus tres quidem sint personæ; sed una essentia, substantia, seu natura. C. Firmiter. de SS. Trinit. Ante Lateranense Concilium et adhuc tempore Conc. Florent., nomen substantiæ etiam pro supposito usurpatum fuit; explicante Joanne Theologo Sess. 18.

163. II. SUBSISTENTIA ut sic, juxta modernum usum spectata, sumi potest in concreto, tum in abstracto. Priori in acceptione est ipsa natura existens totaliter, et ultimo completa, et Patribus idem sonat, quod suppositum. Altera in acceptione, in qua communiter in Scholis sumitur, formam sonat, vel ultimum complementum formæ denominantis rem subsistentem. Unde natæ voces, *suppositalitas, personalitas*; quæ est ratio, per quam aliquid subsistit in supposito, vel persona. Subsistentia vero in abstracto describi potest *ultimus terminus, seu complementum ultimum, quo natura in ratione substantiæ completa, constituitur in ratione suppositi*.

Dixi 1º. Subsistentia ut sic. Natura enim in ratione substantiæ completa potest subsistere vel *subsistentia propria*; vel *aliena*, ut de facto natura humana in Christo. Ut tamen res dicatur subsistere, subsistentia propria, id insuper requiritur, ut sistat vel existat in se, et non in alio tanquam pars, sive, ut alii loquuntur, per unionem physicam non trahatur ad totum dignius. Unde subsistentia etiam dici solet, *totalitas, sive existentia in se*. Sic de facto natura humana in Christo non habet subsistentiam propriam, sed subsistit subsistentia Verbi, quia per ipsam sui a Verbo assumptionem, trahitur ceu pars ad totum dignius, quod est Christus. E contra Verbum, licet sistat in illo toto, quod est Christus, tamen sistit in se, vel subsistit subsistentia propria, quia totum illud, *Christus*, non est quid dignius et perfectius Verbo divino etiam solo, utpote jam ante infinite digno et perfecto.

An vero illa negatio unionis cum digniore constitutum formale sit hujus subsistentiæ, vel an connotatum solum in obliquo? sicut pariter, an *ultimus terminus* ille, vel *ultimum complementum* istud sit modus physicus superadditus, vel tantum metaphysicus et respectivus, ac proin talis etiam forma sit subsistentia? Quæstio est metaphysica, in qua, salvis utriusque

partis juribus, nostra pace quis, quid velit, sentiat. Saltem in priori connotatione negationis istius, in altera *modus respectivus* abunde sufficit.

Dixi 2º. Juxta modernum usum. Nam a Latinis olim etiam accipiebatur pro essentia, ut patet ex Conc. Rom. apud THEODORET. Eccles. Hist. L. 2. c. 17. (opp. t. 3. p. 618. A. edit. Sirmond. an. 1642.) ubi dicitur Spiritum sanctum habere unam cum Patre et Filio subsistentiam, id est, essentiam; at communi postea consensu pro persona sumi cæpit a Concil. Constantinop. I. ep. ad Damas. (Lab. t. 2. p. 964. C.), Concil. Chalced. Act. 3. (Lab. t. 4. p. 568. B.), Concil. V. Generali Collat. 8. can. 1. (Lab. t. 5. p. 567. E.), et Generali VI. Act. 4. (Lab. t. 6. p. 684. D.).

164. III. SUPPOSITUM, ex natura et subsistentia in abstracto consurgit; et definitur: *Naturæ completæ individua substantia*, ubi per substantiam intelligunt subsistentiam. Hinc ad suppositum requiritur 1º. *Natura completa*, ideoque a ratione suppositi excluditur anima rationalis, etiam in statu separationis a corpore, quia natura non est. 2º. *Per se subsistens*, juxta num. præc. 3º. *Individa*, i. e. determinata et singularis.

165. IV. PERSONA a supposito differt, ceu a genere species. Suppositum enim quid generalius est, nec solum Deo, angelo, homini, sed etiam brutis, plantis, et substantiis inanimatis tribuitur. At vero persona non nisi substantiis ratione præditis, Deo, angelis, hominibus; unde et *dignitatis nomen* compellatur. Quare persona nihil est aliud, quam suppositum rationale, vel intellectuale, et definitur ex BOETIO L. cit. c. 3. a D. THOMA q. 29. a. 1. 0. *Rationalis naturæ (completæ) individua substantia*, sive *subsistentia*, in sensu n. præc.

166. V. HYPOSTASIS, usu nunc recepto, idem est prorsus, quod persona, ut *unio hypostatica* idem sonet, quod *personalis*, derivatione sumpta a persona Verbi, in qua fit naturarum conjunctio.

Dixi: *Usu nunc recepto*. Nam ante, et aliquantum post Nicænum Concilium natura et hypostasis promiscue usurpata sunt. Ante communius sumebatur pro natura et essentia; a Dionysio tamen L. 2. de Hierarch. pro persona sumitur. Post Nicænum vero communius pro persona, licet non ubique. Sic, apud PETAV. L. 2. Theol. Dogm. de Incarn. c. 6., CYRILL. ALEXANDRIN. veterem hypostasis sensum, nondum apud Alexandrinos antiquatum necessaria de causa contra Nestorium retinuit. Et D. HIERONYMI ævo de voce *hypostasis* lis inter ipsos adhuc Patres fuit, Latinis adhuc frequenter illam pro *essentia* sumentibus. In quem sensum et ipse inclinasse HIERON. videtur, ep. 37. (al. 13.) ad Damasum scribens: *Taceantur tres hypostases, et una teneatur; venenum sub melle latet*. Nimirum, quod Ariani hypostasis nomine suum errorem tegerent; cumque tres in Deo hypostases dicerent, tres ipsi substantias diversas vellent intelligi. Rogat tamen Damasum HIERON., ut figat et determinet usum et significationem *hypostasis*.

At consentiente tandem Ecclesia utraque, Latina, et Græca, pro persona adhiberi cæpit, ex Conciliis n. 163. cit., et pro eodem sumi, *suppositum, persona, subsistentia, hypostasis*, quem morem in sequentibus nos quoque tenebimus.



167. Dico. Unio Verbi divini cum natura humana in Christo est vere hypostatica sive personalis, scilicet facta in persona Verbi; sic, ut in Christo sit una tantum persona, scilicet Verbi.

Conclusio est dogma fidei, definitum contra Nestorium in Concilio Ephesino, in quo recepta fuit epist. S. CYRILLI ALEXANDRINI ad Nestorium cum 12. capitulis, sive anathematismis, quæ 12. capitula habita sunt postea ut Concilii Ephesini propria: anathematismo autem tertio (opp. S. Cyrill. t. 6. sect. 1<sup>a</sup>. p. 149. B.): *Si quis in uno Christo dividit subsistentias post unionem, anathema sit.* Similiter Concil. Chalcedon. Act. 5. (Labb. t. 4. p. 368. B.): *Salva*, inquit Patres, *utriusque naturæ proprietate, et in unam personam atque subsistentiam concurrente: non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium et unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum* (agnoscimus). Accedunt publicæ fidei professiones; 1<sup>o</sup>. in symbolo Apostolorum: *Credo... et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* 2<sup>o</sup>. in symbolo Nicæno, quod, cum declarasset, Christum esse *Deum de Deo, lumen de lumine, Patri consubstantialem, addit: qui propter nos homines... incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est.* Atqui si duplex esset in Christo persona, jam non idem, qui Deus est Dominus noster, natus esset ex Maria Virgine. Unde in symbolo Athanasii, quod adoptavit Ecclesia, paucis totum ponitur: *unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

168. Prob. I. Ex S. SCRIPTURA. 1<sup>o</sup>. Juxta S. Scripturam Christus unus et idem est Deus et homo simul: Ps. 109. : *Dixit Dominus Domino meo... ex utero ante Luciferum genui te.* Matth. 3. *Hic* (Christus) *est filius meus dilectus.* Ad Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus.* Atqui Christus unus et idem non fuit simul homo et Deus secundum naturam, ut probabitur Sect. sequenti; ergo secundum personam.

2<sup>o</sup>. Deus vere factus est homo. Joan. 1. : *Verbum caro factum est.* Ad Philipp. 2. *Qui, cum in forma Dei esset... formam servi accipiens.* Ad Gal. 4. *Misit Filium suum factum ex muliere.* Atqui certe non est factus homo per conversionem divinitatis in carnem; neque enim talis mutationis capax est Deus, neque hoc unquam ipsi somniarunt Nestoriani. Sed nec factus dici potest homo per unionem moralem, vel accidentalem, qualis est inter amicos, vel inter Deum et justos; quia, quantacumque fingatur amicitia, nunquam tamen amicus dicitur factus alter amicus, et quantocumque amore sanctus jungatur Deo, nunquam dicitur: Deus factus est ille sanctus. Et ratio a priori est: quandocumque sunt duæ personæ, vel substantiæ internæ per se subsistentes, non potest altera dici de altera, nisi denominative solum et adjective; sic homo dici potest vestitus, non autem vestis, quia inter hominem et vestem sola unio accidentalis intervenit; ergo cum tamen Deus dicatur factus homo, filius hominis, id intelligi debet per unionem physicam, hypostaticam, vel personalem.

3<sup>o</sup>. Scriptura sacra uni eidemque Christo utriusque naturæ divinæ et humanæ proprietates attribuit. Joan. 8. ait Christus: *Antequam Abraham feret; ego sum.* Joan. 10. *Ego et Pater unum sumus, et tamen simul: Pater*

*major me est.* Joan. 6. *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Joan. 3. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo, etc.* Atqui esse ante Abraham, et simul multis post seculis nasci de Virgine; esse unum cum Patre, et Patre minorem, etc. diversa plane sunt, et tamen eidem unice Christo tribuuntur; non uni ratione naturæ, ut probabitur contra Eutychianos; ergo ratione personæ. Et vero, si duæ fuissent in Christo personæ, ac duplex Christus, non potuisset sic loqui absque mendacio; pronomem enim *ego* personam loquentem designat; adeoque personam humanam, si fuisset in Christo; quia, qui hæc loquebatur, homo erat: atqui falsum est, Christum ut hominem esse ante Abraham, etc.; ergo.

4<sup>o</sup>. Ex sacris Scripturis B. Virgo Maria est vere Θεοτόκος, Deipara, quæ Deum genuit. Is. 7. 14. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Luc. 1. 35. *Quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ad Gal. 4. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere;* in græco est Γενόμενον, quæ vox generatum significat, sicut Γένεαις generationem. Ad Rom. 1. 2. *Quod ante promiserat per prophetas de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Atqui non hoc sensu dicitur Deipara, quod nudam divinitatem, Deumque purum genuerit; nemo enim unquam adeo desipuit, ut id cogitaret; ergo quod genuerit eum, qui Deus simul et homo est, propter intimam et hypostaticam utriusque naturæ unionem.

Prob. II. EX RATIONE. Nam duæ formæ, quæ in abstracto non prædicantur de se invicem, nec in concreto prædicantur; nisi ob conjunctionem in eodem supposito, ut patet in albedine et dulcedine; ut enim vera sit propositio: album est dulce; necesse est, utramque formam uniri in eodem supposito, ut lacte; vel si in diversis sint suppositis, falsa erit propositio. Sic vero se habet in præsentī materia humanitas et divinitas; quia una non est altera, et tamen Deus est homo, et homo Deus; ergo hoc est ob talium formarum, sive naturarum, conjunctionem in eadem persona; scilicet quia subsistentia terminans naturam divinam, est ipsissima subsistentia terminans naturam humanam.

169. Obj. I. Ex S. SCRIPT. 1<sup>o</sup>. Ad Coloss. 2. 9. divinitas in Christo inhabitare dicitur: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* 2<sup>o</sup>. Ipsemet Christus Joan. 2. 19. humanitatem suam templum appellat: *Solvite templum hoc;* qua locutione et Patres aliquando utuntur, ac in specie S. CYRILLUS L. 6. in Joan. (opp. t. 4. p. 631. C.) Christi humanitatem divinitatis templum appellat. Ergo in Christo datur tantum unio inhabitationis, quæ non potest esse physica, personalis, vel vere hypostatica.

Ad 1<sup>am</sup>. R. D. In Christo inhabitat divinitas in sensu vulgari, quomodo quis dicitur inquinatus ædium, vel olim Deus habitasse dicitur in templo Salomonis N. inhabitat corporaliter, i. e. vere hypostatice unita C. Sic etiam anima dicitur habitare in corpore, scilicet metaphoricè, quo non obstante, illi vera unione physica jungitur.

Ad 2<sup>am</sup>. R. D. Humanitatem appellat templum in sensu vulgari, ut ante N. ratione singulari, ob hypostaticam et veram conjunctionem humanitatis,



sub qua divinitas latebat *C*. Sic etiam 1. Pet. 2. S. PETRUS animam suam quasi in tabernaculo ait existere: atqui non ideo dicere voluit, animam suam cum corpore solum moraliter, accidentaliter unitam fuisse. Eadem est responsio ad Patres quosdam, ac S. CYRILLI verba, eadem metaphora utentis. Certe nemo hypostaticam Verbi cum humanitate unionem CYRILLO vehementius contra Nestorium defendit.

170. *Obj. II. EX PATRIBUS.* Ex his aiunt 1<sup>o</sup>. alii, ut S. AUG. L. de Agon. Christiano. c. 11. et alibi, Verbum assumpsit *hominem*; unde et in hymno Ambrosiano cantatur: *Tu ad liberandum suscepturus hominem.* Atqui vox homo personam humanam importat. 2<sup>o</sup>. Alii, ut BASILIUS serm. de Spiritu sancto ad Amphiloeh. (apud Theodoret. in reprehens. 5. Anathem. opp. t. 4. p. 474. D.) et EUSTATH. a Gelasio cit., L. de 2. nat. (Bibl. PP. t. 4. p. 424.) Christum appellant *hominem Deiferum*. Item alii ut ATHANASIUS ipse in Exposit. fidei. n. 4. et 4. et JOANN. DAMASC. de Fide L. 3. c. 15. (opp. t. 2. p. 235. C. edit. Venet. an. 1748.) *Dominicum hominem, instrumentum divinitatis* vocant. Sed hæ locutiones unionem moralem, vel accidentalem rectius, quam hypostaticam sonant.

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. D. Dicunt a Verbo assumptum hominem in concreto *N*. in abstracto, per hominem intelligendam humanitatem *C*.

*Ad 2<sup>am</sup>.* iterum D. Sic appellant Christum in sensu Nestorio favente, unionem accidentalem exprimere volentes *N*. in sensu orthodoxo, quem æque habere possunt *C*. Has similesque locutiones jam Theodorus Mopsuestenus in suæ causæ patrocinium congresserat; sed frustra: ut enim merito LEONTIUS BYSANTINUS L. 3. cont. Nestorian, observat (Bibl. M. PP. t. 4. part. 2<sup>a</sup>. p. 1010. D.) non de verbis, sed de sententiis ac verborum sensu, et mente proferentium quæstio moveri debet; cum vocibus iisdem tam Nestoriana hæresis, quam Catholica veritas exprimi possit.

Sic igitur dicunt assumptum *hominem*, indicantes integram hominis naturam, non mutilatam, assumptam fuisse, ut Apollinaris voluerat, aut umbratilem, ut Phantasiastæ somniabant. Unde et in symbolo Athanasiano de Christo dicitur: *Perfectus Deus, perfectus homo*; sed quo sensu? *ex anima rationali et humana carne subsistens*, i. e. tota natura. Sic S. EPIPH. hæ. 77. n. 19. Dimœritas, h. e. Apollinaristas, redarguit, quod dici nollent: *Verbum assumpsisse perfectum hominem*, eo quod de puris hominibus ea vox in Scripturis adhiberetur; sed occurrit EPIPHAN. negans pravitatis aliquid subesse voci, et vim ejus explicat, ut sit idem, ac *in se ipsum formavit assumendo propriam humanitatem*. Quid clarius?

Sic Christum *Deiferum* (Basil. habet carnem Deiferam), *Dominicum*, etc. dixerunt, exprimere volentes veram unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, teste S. MAXIMO Martyre in Scholiis ad caput 7. Libri de cœlesti Hierarch. (opp. S. Dionys. t. 2. p. 23. edit. Venet. an. 1736.), ubi exponit, qua ratione BASILIUS Deiferam Christi carnem (idem est de reliquis nominibus) appellet: *Verum caro*, inquit, *ipsius Domini secundum substantiam et subsistentiam unita fuit ipsi Deo Verbo; ideo etiam ipse carnem gestare a Patribus dicitur, et carnem induisse. Quid igitur absurdum, si etiam ipsius caro Deifera dicitur, tanquam ferens Deum Verbum secundum unitionem indivisibilem.*

Merito tamen has loquendi rationes CYRILLUS reprehendit in Nestorio, ob pravum hujus sensum, unionem accidentalem eruere conantis; at in viris catholicis, non suspectis, et spectata auctorum eas proferentium mente, omni erroris vitio carebant.

*Inst.* At S. CHRYSOST. hom. 3. in 1. epist. ad Hebr. docet ex illo Ps. 44. *Sedes tua Deus*, etc. ab Apostolo ostendi, duas in Christo personas dari: *Hic*, inquit, *et Judæos, et Pauli Samosatani assecclas, et Arianos, Marcellumque et Sabellium ferit, et Marcionem. Quomodo? Judæos quidem, ostendens duas personas, et Deum, et hominem. Et infra: adversus Marcellum, quod sint duæ personæ divise per hypostasin.*

R. N. A. Christi enim nomen in illa hom. cit. loc. nequidem legere est; sed simpliciter ait, duas esse personas juxta verba Prophetæ et Apostoli: *propterea unxit te Deus, Deus tuus*; sed hoc S. CHRYS. de duabus personis divinis intelligit Patre et Filio incarnato, confutare intendens Judæos; distinctas esse personas Patrem et Filium, non unam, ut erronee putabant Judæi; deinde Christum esse simul Deum et hominem, quem illi hominem purum erant arbitrati; hic enim idem Prophetæ et Pauli scopus erat. Quæ S. CHRYS. mens adeo perspecta erat Nestorio ejusque fautoribus, ut nec hæresiarcha ipse, nec Theodoretus Nestorii propugnator, licet perpetuus S. Chrysostomi lector, nec JOANNES ANTIOCHENUS, nec FACUNDUS HERMIANENSIS, acerrimus trium capitulorum defensor, alias diligenter S. Chrysostomi loca corradens L. 11. c. 5., unquam ad CHRYSOSTOMUM appellavit. Sed et S. CHRYSOST. dogma Catholicum jam ante Nestorii ortum adeo diserte et nitide docuit, et impium Nestorii dogma decretoria sententia feriit, ut magis non posset. *Valde pium*, ait S. CHRYSOST. epist. ad Cæsarium (opp. t. 3. p. 743. E.) Christum, *qui morte circumdatus est, confiteri in divinitate perfectum, unum Filium unigenitum, non dividendum in filiorum dualitatem, non alterum et alterum; absit; sed unum et eundem Dominum Jesum, Deum, Verbum, carne nostra amictum... Fugiamus eos, qui dividunt naturam. Etsi enim duplex natura, verumtamen indivisibilis, et indissipabilis unitio in una filiationis constenda persona.*

171. *Obj. III.* Si una esset in Christo persona, scilicet Verbi; ergo verum esset dicere: *unus de Trinitate est passus*: atqui hoc non; nam HORMISDAS S. Pontifex hanc propositionem in Monachis Scythiæ damnavit.

R. C. M. N. *min. et prob.* HORMISDAS solum repressit temeritatem et pertinaciam monachorum Scythiæ, qui hanc propositionem contendebant necessario adjiciendam esse definitioni Concilii Chalcedonensis; quasi hæc, nisi adderetur illa propositio, manca et imperfecta foret; atque ideo de Nestorianismi labe infectos habebant, qui dictæ propositioni subscribere renuebant. Quem intempestivum zelum, pertinacemque animum reprehendit HORMISDAS, ceu tumultuum et dissensionum causam, ac silere jussit de propositione ista, circa ipsam vero propositionem judicium non tulit. At hunc loquendi modum postea revera approbavit Ecclesia in Concil. general. V. Collat. 8. can. 4. et 5. (Labb. t. 3. p. 558.), JOANNES II. S. P. in epist. ad Justinianum, in qua et Imperatorem laudat, qui eam tuebatur; e contra damnat monachos Acemetas contra sentientes.



172. *Obj. IV. Ex RATIONE.* 1°. De conceptu substantiæ est, subsistere per se; definitur enim, *quod est per se*: atqui humanitas Christi est substantia; ergo debet subsistere per se; vel secus, non erit substantia. 2°. Si humanitas Christi careat proprio subsistendi modo, non erit vera et perfecta substantia; quia careret substantia sua, quæ est complementum naturæ, et hujus perfectio. 3°. Persona est *naturæ rationalis individua substantia*: atqui Verbum assumpsit naturam rationalem individuum; ergo. 4°. Persona Christi est composita, ex Synodo generali V. Collat. 8. can. 4. ubi definitur, *unionem factam esse secundum compositionem*. Et additur: *subsistentiam Christi esse compositam*. Ergo duæ debent esse in Christo personæ; nam persona composita duas dicit personas simplices, ex quibus componitur.

*Ad 1<sup>am</sup>. R. D.* De conceptu substantiæ est, subsistere per se; perseitate, quæ excludat inhæsiōem alteri tanquam subjecto, more accidentium *C.* quæ excludat subsistentiam in alio *N.* Plus ex conceptu substantiæ nequit evinci: est de conceptu substantiæ posse subsistere substantia propria et connaturali; non autem ita actu subsistere; ac non posse subsistere substantia nobiliore et digniore, quæ vices suppleat substantiæ propriæ.

*Ad 2<sup>am</sup>. N. A. Ad prob. D.* Subsistentia est complementum et perfectio naturæ, hanc perficiens in ratione naturæ, vel essentiæ *N.* illam constituens in ratione suppositi, et hoc tantum sensu perficiens *C.* At si constituatur in ratione suppositi per subsistentiam nobiliorem et digniorem, habetur complementum ultimum, et sic perfectio nobiliori modo, quem ex suo conceptu non excludit substantia.

*Ad 3<sup>am</sup>. D.* Est individua substantia, i. e. substantia *C.* individua natura *N.* juxta n. 165. Ideo fit, ut persona, quia est naturæ rationalis individua substantia, substantiam faciat existere separatim, et incommunicabilem alteri. At Verbum non assumpsit naturam humanam jam subsistentem, et habentem personam propriam.

*Ad 4<sup>am</sup>. R. D.* Persona Christi considerata *præcise* secundum id, quod dicit in recto, et secundum se, est composita *N.* considerata tam secundum id, quod dicit in recto, quam secundum id, quod dicit in obliquo *C.* Priore modo enim considerata, est personalitas Verbi, quæ est simplicissima. At quia personalitas Verbi subsistit in duabus naturis inter se unitis, ideo considerata posteriore modo recte dicitur composita, h. e. *subsistens duabus naturis*; ex quo nullo modo sequitur, ipsam compositam esse ex duabus personis simplicibus. Et hæc mens fuit Patrum Syn. V.; illud enim: *secundum compositionem*, opponunt Eutychianis asserentibus unionem factam secundum confusionem naturarum; et Nestorianis, volentibus factam secundum affectum, vel simili morali modo.

173. *Obj. V. Specialiter* contra, quod B. Virgo sit Θεοτόκος *Deiparâ*. B. Virgo non genuit divinitatem; ergo.

*R. N. Cons.* Ut enim sit et dicatur mater Dei, satis est, quod genuerit eum, qui est Deus; ferme ut in humanis: ut enim mulier sit, et dicatur mater hominis, satis est, quod eum genuerit, qui est homo, licet nobiliorem hominis partem, animam, non generet.

*Inst. 1.* Terminus generationis est suppositum: atqui suppositum divinum non potest terminare generationem temporalem; quia terminus gene-

rationis non potest esse ante actionem generationis: atqui suppositum divinum jam erat ante generationem temporalem ipsius Christi; ergo.

*R. N. min. Ad prob. D. min.* Suppositum, vel persona divina, ut est simplex, et subsistens in sola natura divina, jam erat ante *C.* ut est composita, et subsistens simul in natura *N.*

*R. Neque dicas:* Sicut terminus generationis divinæ est persona: ita pariter generationis humanæ persona humana. Nam persona divina, cum infinita sit, terminare generationem humanam potest; non sic e contra persona humana generationem divinam.

*Inst. 2.* Mater suo filio consubstantialis esse debet: atqui B. Virgo non est consubstantialis filio; alias foret Dea, ut inferebat Nestorius.

*R. D. A.* Debet esse consubstantialis filio ex omni parte *N.* ex aliqua parte, secundum naturam, quam ipsi communicat *C.* Licet igitur non sit consubstantialis suo filio secundum naturam divinam, recte tamen mater Dei dicitur; quia genuit eum, qui est Deus. Et ulterior ratio est, quia generatio terminatur ad personam, non ad naturam; unde non solemus dicere, nec proprie dicitur, natura humana genita; sed homo genitus: atqui homo, a B. Virgine genitus, est Deus; ergo et illa mater Dei, juxta illud S. Elisabeth Luc. 1. *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

*Inst. 3.* Ergo eodem jure dici posset B. Virgo mater Verbi divini.

*R. D. Illat.* Mater Verbi formaliter *N.* materialiter, quatenus est mater illius, qui est Verbum Patris *C.* In rigore, *Verbum formaliter*, significat terminum generationis æternæ per divinum intellectum. Quo tamen non obstante, etiam in sensu catholico, passim dicitur mater Verbi, scilicet materialiter, sensu dato.

## ARTICULUS III.

AN IN CONCILIO EPHESINO GENERALI III. CANONICE DAMNATUS SIT NESTORIUS? ET NUM HUIUS ERRORI ADHÆSERIT JOANNES ANTIQCHENUS CUM SUIS ORIENTALIBUS EPISCOPIS?

Primum negant ex *Calvini* schola et secta scriptores posteriores *Albertinus*, *Ægidius Gaillard*, aliique, non tam personæ Nestorii gratia, quam ea occasione detrahendi Synodo œcumenicæ, indeque ducendi argumentum, ad infringendam aliarum Synodorum auctoritatem. Quoad alterum ratio dubitandi quibusdam est visa, quod JOANNES plura gesserit Ephesi, præcipue damnando S. CYRILLI 12. capitula, vel anathematismos; quibus tamen hic S. Præsul dogma catholicum tuitus, damnabat nefariam doctrinam Nestorii. Sed

174. *Dico I.* Nestorius legitime ac canonice ab Ephesina Synodo damnatus est. Conclusio continet partes duas; 1°. quod *legitime*, sive juste, ob doctrinam hæreticam damnatus sit. 2°. quod *canonice*; sive quod in ejus condemnatione erratum non fuerit contra formam judicii. Igitur

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Nestorius vere hæresin docuit; ergo legitime, et juste damnatus est. *Cons. patet. Prob. A.* Nam 1°. Nestorium docuisse, a Verbo assumptum esse hominem perfectum, subsistentem, constat ex symbolo ab



172. *Obj. IV. Ex Ratione.* 1°. De conceptu substantiæ est, subsistere per se; definitur enim, *quod est per se*: atqui humanitas Christi est substantia; ergo debet subsistere per se; vel secus, non erit substantia. 2°. Si humanitas Christi careat proprio subsistendi modo, non erit vera et perfecta substantia; quia careret substantia sua, quæ est complementum naturæ, et hujus perfectio. 3°. Persona est *naturæ rationalis individua substantia*: atqui Verbum assumpsit naturam rationalem individuum; ergo. 4°. Persona Christi est composita, ex Synodo generali V. Collat. 8. can. 4. ubi definitur, *unionem factam esse secundum compositionem*. Et additur: *subsistentiam Christi esse compositam*. Ergo duæ debent esse in Christo personæ; nam persona composita duas dicit personas simplices, ex quibus componitur.

*Ad 1<sup>am</sup>. R. D.* De conceptu substantiæ est, subsistere per se; perseitate, quæ excludat inhesionem alteri tanquam subjecto, more accidentium *C.* quæ excludat subsistentiam in alio *N.* Plus ex conceptu substantiæ nequit evinci: est de conceptu substantiæ posse subsistere substantia propria et connaturali; non autem ita actu subsistere; ac non posse subsistere substantia nobiliore et digniore, quæ vices suppleat substantiæ propriæ.

*Ad 2<sup>am</sup>. N. A. Ad prob. D.* Subsistentia est complementum et perfectio naturæ, hanc perficiens in ratione naturæ, vel essentiæ *N.* illam constituens in ratione suppositi, et hoc tantum sensu perficiens *C.* At si constituatur in ratione suppositi per subsistentiam nobiliorem et digniorem, habetur complementum ultimum, et sic perfectio nobiliori modo, quem ex suo conceptu non excludit substantia.

*Ad 3<sup>am</sup>. D.* Est individua substantia, i. e. substantia *C.* individua natura *N.* juxta n. 165. Ideo fit, ut persona, quia est naturæ rationalis individua substantia, substantiam faciat existere separatim, et incommunicabilem alteri. At Verbum non assumpsit naturam humanam jam subsistentem, et habentem personam propriam.

*Ad 4<sup>am</sup>. R. D.* Persona Christi considerata *præcise* secundum id, quod dicit in recto, et secundum se, est composita *N.* considerata tam secundum id, quod dicit in recto, quam secundum id, quod dicit in obliquo *C.* Priore modo enim considerata, est personalitas Verbi, quæ est simplicissima. At quia personalitas Verbi subsistit in duabus naturis inter se unitis, ideo considerata posteriore modo recte dicitur composita, h. e. *subsistens duabus naturis*; ex quo nullo modo sequitur, ipsam compositam esse ex duabus personis simplicibus. Et hæc mens fuit Patrum Syn. V.; illud enim: *secundum compositionem*, opponunt Eutychianis asserentibus unionem factam secundum confusionem naturarum; et Nestorianis, volentibus factam secundum affectum, vel simili morali modo.

173. *Obj. V. Specialiter* contra, quod B. Virgo sit Θεοτόκος *Deipara*. B. Virgo non genuit divinitatem; ergo.

*R. N. Cons.* Ut enim sit et dicatur mater Dei, satis est, quod genuerit eum, qui est Deus; ferme ut in humanis: ut enim mulier sit, et dicatur mater hominis, satis est, quod eum genuerit, qui est homo, licet nobiliorem hominis partem, animam, non generet.

*Inst. 1.* Terminus generationis est suppositum: atqui suppositum divinum non potest terminare generationem temporalem; quia terminus gene-

rationis non potest esse ante actionem generationis: atqui suppositum divinum jam erat ante generationem temporalem ipsius Christi; ergo.

*R. N. min. Ad prob. D. min.* Suppositum, vel persona divina, ut est simplex, et subsistens in sola natura divina, jam erat ante *C.* ut est composita, et subsistens simul in natura *N.*

*R. Neque dicas:* Sicut terminus generationis divinæ est persona: ita pariter generationis humanæ persona humana. Nam persona divina, cum infinita sit, terminare generationem humanam potest; non sic e contra persona humana generationem divinam.

*Inst. 2.* Mater suo filio consubstantialis esse debet: atqui B. Virgo non est consubstantialis filio; alias foret Dea, ut inferebat Nestorius.

*R. D. A.* Debet esse consubstantialis filio ex omni parte *N.* ex aliqua parte, secundum naturam, quam ipsi communicat *C.* Licet igitur non sit consubstantialis suo filio secundum naturam divinam, recte tamen mater Dei dicitur; quia genuit eum, qui est Deus. Et ulterior ratio est, quia generatio terminatur ad personam, non ad naturam; unde non solemus dicere, nec proprie dicitur, natura humana genita; sed homo genitus: atqui homo, a B. Virgine genitus, est Deus; ergo et illa mater Dei, juxta illud S. Elisabeth Luc. 1. *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

*Inst. 3.* Ergo eodem jure dici posset B. Virgo mater Verbi divini.

*R. D. Illat.* Mater Verbi formaliter *N.* materialiter, quatenus est mater illius, qui est Verbum Patris *C.* In rigore, *Verbum formaliter*, significat terminum generationis æternæ per divinum intellectum. Quo tamen non obstante, etiam in sensu catholico, passim dicitur mater Verbi, scilicet materialiter, sensu dato.

## ARTICULUS III.

AN IN CONCILIO EPHESINO GENERALI III. CANONICE DAMNATUS SIT NESTORIUS? ET NUM HUIUS ERRORI ADHÆSERIT JOANNES ANTIQCHENUS CUM SUIS ORIENTALIBUS EPISCOPIS?

Primum negant ex *Calvini* schola et secta scriptores posteriores *Albertinus*, *Ægidius Gaillard*, aliique, non tam personæ Nestorii gratia, quam ea occasione detrahendi Synodo œcumenicæ, indeque duendi argumentum, ad infringendam aliarum Synodorum auctoritatem. Quoad alterum ratio dubitandi quibusdam est visa, quod JOANNES plura gesserit Ephesi, præcipue damnando S. CYRILLI 12. capitula, vel anathematismos; quibus tamen hic S. Præsul dogma catholicum tuitus, damnabat nefariam doctrinam Nestorii. Sed

174. *Dico I.* Nestorius legitime ac canonice ab Ephesina Synodo damnatus est. Conclusio continet partes duas; 1°. quod *legitime*, sive juste, ob doctrinam hæreticam damnatus sit. 2°. quod *canonice*; sive quod in ejus condemnatione erratum non fuerit contra formam judicii. Igitur

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Nestorius vere hæresin docuit; ergo legitime, et juste damnatus est. *Cons. patet. Prob. A.* Nam 1°. Nestorium docuisse, a Verbo assumptum esse hominem perfectum, subsistentem, constat ex symbolo ab



ipso Nestorio condito, quod Charisius presbyter Patribus Ephesinis obtulit, ut videre est Act. 6. (Lab. t. 3. p. 678. C.)

2°. Ideo aiebat hominem in utero B. Virginis formatum, sive filium Virginis, alium esse ab unigenito Dei Filio; ut loquitur Nestorius ipse in anathematismo primo contra Cyrillum (Lab. ibid. p. 423. C.): *Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, et non potius nobiscum Deum: hoc est inhabitasse eam quæ secundum nos est, naturam, per id quod unicus est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit: matrem etiam Dei verbi, et non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit... anathema sit.* Unde liquet, duos eum filios in Christo asseruisse, unum Filium Dei, alterum Virginis, quem Emmanuel vocat: huncque solum a Virgine genitum esse, siquæ illam solius meri hominis matrem esse. Quæ duo sæpe aliis in scriptis repetit; prius in Quatern. 16. ex Conc. Ephes. Sess. 1. (Lab. t. 3. p. 523.), alterum in ep. 2. ad Cyrill. (opp. S. Cyrill. t. 5. part. 2. Sect. 2. p. 27.) Et serm. vel homil. 1. de Incarn. n. 6. (inter opp. Marii Mercat. part. 2. p. 5. edit. Garnerii.): *Habet matrem Deus? Ergo excusabilis gentilitas matres Diis subintroducens... Non, vir optime, Maria peperit Deum.*

3°. Quod ex adoptato principio consequens erat, in Christo non dari unionem substantialem physicam, et hypostaticam, sed moralem duntaxat, atque accidentalem, ipse professus est. 1°. *Habitationis*, cum totum Incarnationis mysterium nihil esse aliud velit, quam *habitationem Dei in homine*, Quatern. 16. cit. 2°. *Dignitatis* ibid. Unde et ejus vox erat, Quatern. 16. (Lab. p. 524.): *Propter eum, qui portat; eum, qui portatur, veneror: propter eum, qui latet; eum, qui apparet, adoro.* 3°. *Operationis, affectus*, ut iterum ex ipso Nestorio constat apud CYRILL. ep. 2. (opp. t. 5. part. 2. p. 20. B.) Quæ omnia, aiunt Patres Ephesini, se hausisse ex ipsis Nestorii scriptis, et sermonibus.

Conf. 1. Cum JOANNES ANTIQCHENSIS ad litteras Cyrilli propterea moneret Nestorium, ut ab his erroribus prædicandis desisteret, ad idemque hortaretur CYRILLUS; præciperet Celestinus S. P. sub pœna depositionis, et excommunicationis, ut professione fidei orthodoxæ hos errores ejuraret; ac tandem ipsa Ephesina Synodus idem exigeret; nulli unquam paruit Nestorius; ergo, facto proprio, rursus se reum assertæ doctrinæ probavit.

Conf. 2. Testimonio veterum omnium, qui de Nestorio scripserunt, præcipue S. CYRILLI in anathematismis 12. contra Nestor. Item epist. ad Celestinum S. P.; THEODORET. L. 4. de hæ. ; CASS. L. 2. de Incarn. et L. 5.; LIBERATI in Breviario Caus. Nestor. (Lab. t. 5. p. 740.); ipsius Imperatoris THEODOSII, cleri, et populi Constantinopolitani, ac totius Christiani orbis, qui constanter usque huc Nestorium ceu hæresiarcham execratus est; ut proin non appareat, qui sine impudentiæ et summæ temeritatis nota negari queat, etiamsi ab auctoritate Synodi œcumenicæ præscinderemus, Nestorium docuisse hæresin.

175. Prob. 2°. p. In condemnatione Nestorii nihil ab Ephesinis Patribus erratum fuit quoad formam judicii et condemnationis canonicæ; ergo. Prob. A. Ut quis canonicè condemnètur, requiritur 1°. criminis notitia, et debita probatio. 2°. Testes non suspecti, et non illegitimi. 3°. Diligens ante

sententiam inquisitio et examen. 4°. Concessa reo se purgandi copia. 5°. Judex competens. 6°. In reo pertinacia. Atqui hæc omnia in condemnatione Nestorii concurrerunt.

1°. Notoria erat Nestorii hæresis, quam scriptis et sermonibus disseminabat; ad quam tota Constantinopolitana urbs, exceptis paucis Nestorii assentatoribus, turbata fuit, adeo ut plerique de populo, clero, et senatorio ordine, Nestorium, ubi esset, refugerent, ne ejus se communione polluerent; et liquet amplius ex ante dictis;

2°. Testis erat clerus et totus Constantinopolitanus populus, qui Nestorii concionibus interfuit; item S. CYRILLUS, Episcopi Ephesi congregati supra 200. et convocati ex omnibus partibus, quorum fides nullo ex capite suspecta reddi potest; iique omnes nullo ex delicto, aut aliunde illegitimi; item urbs Constantinopolitana.

3°. Judicium hoc non fuit præproperum, aut sine accurato examine; ut enim ex ipsis Concilii Actis constat, Act. 1. Nestorii scripta explorata sunt diligenter, et cum Nicæna fide, ac SS. Patribus, divinisque Scripturis collata.

4°. Nec conqueri potuit Nestorius, se non auditum, condemnatum fuisse; quippe juxta canones, tertio legitime citatus et honorifice, missis ad eum Episcopis, ut se Concilio sisteret; non modo non paruit contumax; sed missos etiam legatos, ne quidem aspectu et alloquio dignatus, superbe et contemptim abegit.

5°. Episcopi in causis fidei debite congregati, ut in Concilio generali legitimo, sunt veri et competentes judices; erantque tum illi uniti Ecclesiæ capiti, Romano Pontifici, qui jam ante quoque in Romana Synodo sententiam tulerat in Nestorium.

6°. Pertinacia Nestorii summa fuit; quippe sæpe monitus, ut ab errore desisteret: sæpe damnatus in pluribus particularibus ante Ephesinam Synodis: Romanis quatuor, tot Alexandrinis, accedunt Constantinopolitanæ; quibus singulis, uti et generali Ephesinæ se submittere renuit; ut proin merito Patres Ephesini condemnationis et depositionis sententiam miserint ad Nestorium, sub hac epigraphe: *Nestorio novo Jude.*

176. Obj. I. Nestorius nullius eorum reus fuit, ob quæ est condemnatus; ergo. Prob. A. 1°. B. Virginem confessus est *Deiparam*, Θεοτόκον, serm. 5. n. 4. (inter opp. Marii Mercat. part. 2. p. 30.): *Si quis hac voce Θεοτόκος gaudet, apud me nulla est de voce invidia; tantum ne Virginem faciat Deam.* Et serm. 12. n. 7. (ibid. p. 86.): *Damna eos, qui dicunt secundum Apollinarianis et Arii sensum Dei genitricem, et ego una tecum clamo Θεοτόκος.* Et n. 22. *Quæ peperit, propter unitatem dicatur genitrix Dei, i. e. Θεοτόκος.*

2°. Negavit Nestorius duas esse in Christo personas, duos filios; nam in epist. ad Cyrillum, quæ est inter Cyrillianas ordine quinta (opp. S. Cyrill. t. 2. part. 2. sect. 2. p. 26. E.): *Nomen Christi, ait, expertem patiendi, et patibilem substantiam in una et singulari significare persona.* Ac paulo post (ibid. p. 27. A.): *Divinitatis et humanitatis in unius personæ copulationem congruentium rationem vocat.*

3°. Idem Nestorius aperte profitetur apud CYRILL. L. 2. cont. Nestor. (opp.



t. 6. p. 44. D.) : quemadmodum unitas in Christo, ac divisio, vel duplicitas spectanda sit; scilicet: *nullam esse divisionem copulationis illius, neque filietatis; sed neque, qua Christus est, ullam inesse divisionem; verum divinitatis et humanitatis duntaxat.* Quare infert: *nec duos nos habere Christos; nec filios duos, sed unum.* Atqui hæc propositiones orthodoxe sonant; ergo.

R. N. A. Ad 1<sup>am</sup>. D. Confessus est Deiparam in sensu orthodoxo N. pravo et hæretico C. Nimirum, vocem Θεοτόκος, Deipara; tribui B. Virgini permisit, non in sensu catholico, juxta quem Deum genuit; sed in sensu maligno; eatenus, quia genuit hominem, qui postea unites Deo, et factus Dei templum est; ut dictum in Concl. prob. 2. et ipse exposuit in epist. ad Coelestinum. (Labb. t. 3. p. 331. A.): *Ferri tamen potest hoc vocabulum (Θεοτόκον).... propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa; non quia ipsa mater sit Dei Verbi; nemo enim antiquiorem se parit.*

Ad 2<sup>am</sup>. D. similiter. Negavit in sensu catholico N. hæretico C. Fundamentale enim principium totius Nestorii hæresis fuisse, quod Verbum sibi univertit hominem in utero B. Virginis perfecte formatum, sicque subsistentem in se, ac propriam habentem personam, vidimus n. 174. ex symbolo Nestorii. Dum vero subin personam unitatem profiteri visus est; unitatem intellexit non aliam, quam moralem, eo quod persona in Christo humana esset moraliter unita personæ divinæ, unionē habitationis, vel dignitatis, etc.; cum Incarnationis mysterium nihil aliud crederet esse, quam *habitationem Dei in homine*, ut modo ante et supra diximus. Quæ unitas coincidit cum unitate ex fictione juris; juxta quam tutor et pupillus, pater et filiusfamilias dicuntur et censentur persona una.

Ad 3<sup>am</sup>. Eadem est resp., et quidem his in locis aperte ipse unitatem dignitatis exprimit; nam in primo vox *dignitatis* ab adversariis prætermissa suppleri debet; sic enim cit. loco verba sonant: *nullam esse divisionem copulationis, quæ in dignitate consistit.* Et in altero ita habent: *sed unum et eundem esse dignitate.*

177. Obj. II. Cum Synodus Ephesina sententiam ferret in Nestorium, nondum erat œcumenica; nam 1<sup>o</sup>. nondum aderat Joannes Antiochenus cum Episcopis suis Orientalibus. 2<sup>o</sup>. Nondum aderant Legati Pontificii, quippe qui nonnisi celebrata jam Actione 1., in qua damnatus Nestorius, adveniant. 3<sup>o</sup>. Nestorius ipse non adfuit; quin Episcopi stantes a parte Nestorii palam contestati fuerant, se irritum habituros, quidquid decerneretur in Nestorium antequam Joannes cæterique Orientales advenissent; ergo certe canonicè damnatus non fuit.

R. Ad 1<sup>am</sup>. N. A. Ad prob. 1<sup>am</sup>. Licet de industria moras traheret, ut Nestorio faveret, ut ait Synodus Act. 5. (Labb. t. 3. p. 639. E.) in relatione ad Coelestinum: *Tanta dilatione malitiose usus est, cum ipsum anteverterint, qui majori viarum intercapedine distabant;* ipse tamen jam per legatos consenserat ad dandum initium Synodo, etiam se absente. Ephesum vero cum advenisset, Synodus eum, ut interesset, honorifice invitaverat. Etsi daremus nihil horum observatum actumque fuisse, non ideo sequitur; ergo Synodum, propter Joannis cum suis absentiam, œcumenicam non fuisse, alioquin nulla unquam fuisset œcumenica Synodus; imo moraliter esset impossibile, ut haberi posset, cum in nulla unquam omnes convenerint Epi-

scopi; et fieri moraliter non possit, ut omnes conveniant, nullo excepto. Sed sufficit ad œcumenicitatem Synodi, omnes, qui jure convocandi sunt, legitime convocatos fuisse. Quod si ex convocatis adesse malitiose morentur, mora, secundum regulas juris, his solum, non aliis, nocere debet. Ac demum ex Orientalibus illis Episcopis Joannis Antiocheni plures nequidem ex jure convocandi, nedum exspectandi erant, cum, teste Synodo in relat. cit. (Labb. ib. p. 663. E.) ex his *alii essent ob graves culpas depositi; cum ipsis etiam Pelagiani, Celestiani.*

Ad 2<sup>am</sup>. COELESTINUS executionem sententiæ jam Romæ in Nestorium latam commiserat S. CYRILLO; qui proin vices Romani Pontificis gerebat, ut adeo aliorum Legatorum Pontificis absentia nihil sententiæ in Nestorium latae canonicitati derogeret. Deinde Legati Pontificii, qui de novo advenerant, excussis diligenter in Act. 2. iis, quæ Act. 1. contra Nestorium decreta fuerant, et ipsi in Act. 3. subscripserunt.

Ad 3<sup>am</sup>. Contumacia, qua Nestorius canonicè citatus comparere noluit, utpote reus, ipsi soli, non Synodo obesse potest; alioquin in reum contumaciter comparere nolentem nunquam posset a judice ferri sententia. Idem est de Episcopis Nestorianis. Absentia vero Orientalium his juxta resp. ad 2<sup>am</sup>. patrocinari non poterat.

178. Inst. 1. CYRILLUS erat Nestorii inimicus; et tamen, promotore maxime CYRILLO, lata fuit sententia in Nestorium.

R. S. CYRILLUM adversarium fuisse doctrinæ perversæ Nestorii, non personæ. Nam imprimis, antequam Nestorius spargeret hæresin suam, nullas prorsus cum Nestorio similtates habuit. Post vero nihil non movit CYRILLUS, ut Nestorium aberrantem reduceret; ut constat ex ejus epist. ad Nestorium, et Joannem Antiochenum. Quod vero plane pertinacem impugnarit, tuendo dogma catholicum, pro officio fecit. Nec tam ipse promotor erat sententiæ in Nestorium, quam Ephesini Patres omnes, Nestorii scriptis diligenter excussis.

179. Inst. 2. Nestorii accusatores simul erant testes, imo judices; ut CYRILLUS, THEODOTUS Ancyranus, ACACIUS Mitylenensis: at hoc repugnat formæ canonici judicii; ergo.

R. 1<sup>o</sup>. Quoad S. CYRILLUM; nec proprie testis fuit, nec accusator Nestorii, sed accusator erat populus Constantinopolitanus: clerus urbis ejusdem; qui de doctrinæ Nestorii impietate querebantur: monachi qui pro convocanda Synodo libellum supplicem Imperatori obtulerant. Scripsit quidem de Nestorii doctrina ad Coelestinum S. P. CYRILLUS; sed postquam intellexisset, Nestorium prius ad eundem scripsisse. Testes erant, qui de populo et clero concionantem audiverant, homilias Nestorii legerant, et reliqua Nestorii scripta: ipsi etiam anathematismi contra CYRILLUM; et epist. ad eundem. CYRILLUS autem potius partes strenui defensoris fidei, et, accepta a COELESTINO facultate, executoris sententiæ Romani Pontificis egit.

R. 2<sup>o</sup>. THEODOTUS vero et ACACIUS, si quid in Concilio protulerunt contra Nestorium, non præcise qua accusatores egerunt; sed, more aliorum etiam judicum, ad declarationem justæ sententiæ, quæ fertur.

180. Dico II. Nunquam JOANNES ANTIOCHENUS Nestorii erroribus adhæsit.



*Prob. 1<sup>o</sup>. Non adhæsit iis ante Ephesinam Synodum. Prob. Post acceptas enim COELESTINI et CYRILLI litteras, Joannes, data ad Nestorium epistola, adeo non approbavit ejus errorem, ut ab eodem dehortaretur etiam Nestorium. Etenim, in epist. cit. (Lab. t. 3. p. 393. A.) si id, quod nominis (Deiparæ) significatione offertur, non recipimus, restat, ut in gravissimum errorem prolabamur. Imo vero, ut inexplicabilem illam unigeniti Filii Dei œconomiam abnegemus. Quandoquidem nomine hoc sublato, vel hujus potius nominis notione repudiata, sequitur mox, illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostræ salutis causa suscepit; tum Dei Verbum neque se exinanivisse, neque in servi formam se demittens, ineffabilem quandam benignitatis magnitudinem humano generi exhibuisse, etc. Quorum vereris pium sensum convenienti voci Θεοτόκος prædicare? et similia. Hæc certe Joannis animum a Nestorii impuro placito longe remotum produunt.*

*2<sup>o</sup>. Neque in ipsa Synodo, cum Joannes esset Ephesi; licet enim, ut primum advenisset, coacto propriis in ædibus cum suis Orientalibus conciliabulo, multa non excusanda egerit, sententiam depositionis ferendo in S. CYRILLUM, et MEMNONEM; ejus contra Nestorium anathematismos rejiciendo, ceu de Apollinaris, et Eunomii hæresi suspectos; ipsam Synodum Ephesinam impugnando, etc.; ipsum tamen Nestorii dogma nunquam, nec sua in CYRILLUM censura approbavit, teste SIXTO Rom. Pontifice, in ep. post initam pacem ad Cyrillum data (Lab. t. 3. p. 4177. A.): Non se exuli vestro sanctus frater noster Joannes addiderat: non ejus est blasphema prædicatione deceptus. Et S. CYRILLO ipso epist. ad Valerianum (opp. t. 2. part. 2<sup>a</sup>. sect. 2<sup>a</sup>. p. 171. A.): Religiosissimi totius Orientis Episcopi una cum Domino meo Joanne... scripta dilucidaque confessione omnibus palam fecerunt, se profanas Nestorii vocum novitates, æque ac nos condemnasse et anathematizasse, sequæ nullo unquam loco eas habuisse.*

*3<sup>o</sup>. Minime vero post initam inter ipsum, et S. CYRILLUM, et Ecclesias pacem, sive post Synodum; quod constat ex oratione, quam PAULUS EMISENUS Alexandriæ, illuc ea de causa a Joanne et Orientalibus missus, ad pacem cum Cyrillo incundam habuit in festo Nativitatis, cum summa acclamatione populi, cujus hæc professio (Lab. t. 3. p. 4097. A.): Non igitur duos Filios asserimus; neque merum hominem Emmanuelem, qui ex Deipara Virgine natus est; neque gratiam, veluti Prophetam, aut Justum aliquem, plus aliis consecutum, etc. Præterea ex ipsiusmet Joannis ad SIXTUM summum Pontificem litteris, quibus exponit, se primum non æquo tulisse animo, quæ contra Nestorium gesta fuerant; sed adjungit (Lab. ibid. p. 4089. A.): Placuit et nobis quoque in S. Synodi sententia, qua Nestorium deposuit, acquiescere, ipsumque pro deposito habere, ac (N. B.) blasphemam illius doctrinam anathematizare.*

*Igitur ex tota Actorum serie illud colligitur, JOANNEM Nestorii personæ, ob veterem amicitiam cum illo jam tum in monasterio ad Lauram contractam, quod in epitome historica supra notavimus, fuisse quidem, et conatum; ut prævisæ eriperet depositionis sententiæ; at non adhæsisse Nestorii nefando dogmati.*

181. *Obj. Patres Ephesini 1<sup>o</sup>. in epist. synodica ad clerum Constantino-*

*politanum monent, quod Joannem cum suis anathematizarint (Lab. t. 3. p. 770. C.): quod cum Nestorio sentire, nequaquam cessent. Idem aiunt in relat. ad Imperatorem. 2<sup>o</sup>. S. Cyrillus epist. ad Theopemptum scribit (opp. t. 5. part. 2. p. 92. D.) eos Nestorii dogmata loqui, sentire, et confiteri; ergo.*

*R. Patres Ephesini et S. CYRILLUS sic scribebant, eo quod tam pertinaciter adhærendo Nestorii partibus et ipsam impugnando Ephesinam Synodum, se, non sine fundamento; suspectos fecissent apud omnes in urbe de Nestorii doctrina C. quod re ipsa hac infecti fuerint N. Res illa meri facti erat, cujus veritatem detexit exitus, eos revera Nestorii hæresi infectos non fuisse. Unde et S. CYRILLUS, veritate comperta, correxit opinionem suam in epist. ad Valerian. cit. in Concil. Item epist. ad Acacium Mitylenensem.*

*Nec inde sequitur, temerarium fuisse hoc Patrum in Joannem ejusque Episcopos Orientales judicium; tum ob dicta in resp., tum ideo, quod citati a Synodo, ut fidei suæ contra Nestorium rationem redderent, id facere nollent. Hinc ad summum, in re meri facti, falsum fuit.*

*Si ais: Joannes cum suis in conciliabulo suo damnavit 12. capitula, sive anathematismos S. CYRILLI, quos totidem Nestorianæ doctrinæ erroribus directe opposuerat; ergo hos CYRILLI anathematismos damnando, hoc ipso approbavit doctrinam Nestorii.*

*R. D. A. Damnavit anathematismos S. CYRILLI, quatenus impugnabant doctrinam Nestorii N. quia, ut aiebat Joannes in decreto, utque ipse putaverat, CYRILLUS impugnando Nestorium, lapsus videbatur in hæresin Apollinaris, Eunomii, et Arii C. At hoc falsum erat, ut ostendet Articulus sequens.*

## ARTICULUS IV.

UTRUM S. CYRILLUS IMPUGNANDO NESTORIUM LAPsus SIT IN APOLLINARIS HÆRESIN; EJUSQUE EPISTOLÆ ET ANATHEMATISMI OMNIS VACENT ERRORIS CULPA?

*Apollinaris hæresin S. CYRILLO, velut ab hoc in Epistolis et Anathematismis contra Nestorium expressam, primus objecit Theodoretus Cyrensis, Cyri Episcopus, Nestorio impense favens, et conciliabuli Ephesini contra Synodum œcumenicam præcipuum fulcrum. Post initam S. Cyrillum inter, et Joannem Antiochenum, ac reliquos Orientales, atque Ecclesias pacem, Orientalium variis opinio eadem insedit de Cyrillo: memorata hujus scripta ab errore Apollinaristarum pura non esse. Posterioribus nostris temporibus, ex Doctoribus Protestantium quidam Nestorium sanctis Patribus et Martyribus, S. Cyrillum e contra Apollinaristarum et Eutylianorum feci adnumerant. At quoad primum interim*

182. *Dico. S. CYRILLUS impugnando Nestorium in Apollinaris hæresin lapsus non est, ejusque scripta, Epistolæ, et Anathematismi omni errore vacant.*

*Prob. I. de EPISTOLIS: 1<sup>o</sup>. Auctoritate ipsius EPHESINÆ SYNODI Act. 1. in qua lectæ sunt S. Cyrilli ad Nestorium litteræ et a Patribus approbatæ, qui suum de earum orthodoxia judicium hisce expresserunt in relatione ad Imperatorem Act. 1. (Lab. t. 3. p. 570. E.) Cyrilli religiosissimi sanctissimique Archie-*



*Prob. 1<sup>o</sup>. Non adhæsit iis ante Ephesinam Synodum. Prob. Post acceptas enim COELESTINI et CYRILLI litteras, Joannes, data ad Nestorium epistola, adeo non approbavit ejus errorem, ut ab eodem dehortaretur etiam Nestorium. Etenim, in epist. cit. (Lab. t. 3. p. 393. A.) si id, quod nominis (Deiparæ) significatione offertur, non recipimus, restat, ut in gravissimum errorem prolabamur. Imo vero, ut inexplicabilem illam unigeniti Filii Dei œconomiam abnegemus. Quandoquidem nomine hoc sublato, vel hujus potius nominis notione repudiata, sequitur mox, illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostræ salutis causa suscepit; tum Dei Verbum neque se exinanivisse, neque in servi formam se demittens, ineffabilem quandam benignitatis magnitudinem humano generi exhibuisse, etc. Quorsum vereris pium sensum convenienti voci Θεοτόκος prædicare? et similia. Hæc certe Joannis animum a Nestorii impuro placito longe remotum produunt.*

*2<sup>o</sup>. Neque in ipsa Synodo, cum Joannes esset Ephesi; licet enim, ut primum advenisset, coacto propriis in ædibus cum suis Orientalibus conciliabulo, multa non excusanda egerit, sententiam depositionis ferendo in S. CYRILLUM, et MEMNONEM; ejus contra Nestorium anathematismos rejiciendo, ceu de Apollinaris, et Eunomii hæresi suspectos; ipsam Synodum Ephesinam impugnando, etc.; ipsum tamen Nestorii dogma nunquam, nec sua in CYRILLUM censura approbavit, teste SIXTO Rom. Pontifice, in ep. post initam pacem ad Cyrillum data (Lab. t. 3. p. 4177. A.): Non se exuli vestro sanctus frater noster Joannes addiderat: non ejus est blasphema prædicatione deceptus. Et S. CYRILLO ipso epist. ad Valerianum (opp. t. 2. part. 2<sup>a</sup>. sect. 2<sup>a</sup>. p. 171. A.): Religiosissimi totius Orientis Episcopi una cum Domino meo Joanne... scripta dilucidaque confessione omnibus palam fecerunt, se profanas Nestorii vocum novitates, æque ac nos condemnasse et anathematizasse, sequæ nullo unquam loco eas habuisse.*

*3<sup>o</sup>. Minime vero post initam inter ipsum, et S. CYRILLUM, et Ecclesias pacem, sive post Synodum; quod constat ex oratione, quam PAULUS EMISENUS Alexandriæ, illuc ea de causa a Joanne et Orientalibus missus, ad pacem cum Cyrillo incundam habuit in festo Nativitatis, cum summa acclamatione populi, cujus hæc professio (Lab. t. 3. p. 4097. A.): Non igitur duos Filios asserimus; neque merum hominem Emmanuelem, qui ex Deipara Virgine natus est; neque gratiam, veluti Prophetam, aut Justum aliquem, plus aliis consecutum, etc. Præterea ex ipsiusmet Joannis ad SIXTUM summum Pontificem litteris, quibus exponit, se primum non æquo tulisse animo, quæ contra Nestorium gesta fuerant; sed adjungit (Lab. ibid. p. 4089. A.): Placuit et nobis quoque in S. Synodi sententia, qua Nestorium deposuit, acquiescere, ipsumque pro deposito habere, ac (N. B.) blasphemam illius doctrinam anathematizare.*

*Igitur ex tota Actorum serie illud colligitur, JOANNEM Nestorii personæ, ob veterem amicitiam cum illo jam tum in monasterio ad Lauram contractam, quod in epitome historica supra notavimus, fuisse quidem, et conatum; ut prævisæ eriperet depositionis sententiæ; at non adhæsisse Nestorii nefando dogmati.*

181. Obj. Patres Ephesini 1<sup>o</sup>. in epist. synodica ad clerum Constantino-

*politanum monent, quod Joannem cum suis anathematizarint (Lab. t. 3. p. 770. C.): quod cum Nestorio sentire, nequaquam cessent. Idem aiunt in relat. ad Imperatorem. 2<sup>o</sup>. S. Cyrillus epist. ad Theopemptum scribit (opp. t. 5. part. 2. p. 92. D.) eos Nestorii dogmata loqui, sentire, et confiteri; ergo.*

*R. Patres Ephesini et S. CYRILLUS sic scribebant, eo quod tam pertinaciter adhærendo Nestorii partibus et ipsam impugnando Ephesinam Synodum, se, non sine fundamento; suspectos fecissent apud omnes in urbe de Nestorii doctrina C. quod re ipsa hac infecti fuerint N. Res illa meri facti erat, cujus veritatem detexit exitus, eos revera Nestorii hæresi infectos non fuisse. Unde et S. CYRILLUS, veritate comperta, correxit opinionem suam in epist. ad Valerian. cit. in Concil. Item epist. ad Acacium Mitylenensem.*

*Nec inde sequitur, temerarium fuisse hoc Patrum in Joannem ejusque Episcopos Orientales judicium; tum ob dicta in resp., tum ideo, quod citati a Synodo, ut fidei suæ contra Nestorium rationem redderent, id facere nollent. Hinc ad summum, in re meri facti, falsum fuit.*

*Si ais: Joannes cum suis in conciliabulo suo damnavit 12. capitula, sive anathematismos S. CYRILLI, quos totidem Nestorianæ doctrinæ erroribus directe opposuerat; ergo hos CYRILLI anathematismos damnando, hoc ipso approbavit doctrinam Nestorii.*

*R. D. A. Damnavit anathematismos S. CYRILLI, quatenus impugnabant doctrinam Nestorii N. quia, ut aiebat Joannes in decreto, utque ipse putaverat, CYRILLUS impugnando Nestorium, lapsus videbatur in hæresin Apollinaris, Eunomii, et Arii C. At hoc falsum erat, ut ostendet Articulus sequens.*

## ARTICULUS IV.

UTRUM S. CYRILLUS IMPUGNANDO NESTORIUM LAPsus SIT IN APOLLINARIS HÆRESIN; EJUSQUE EPISTOLÆ ET ANATHEMATISMI OMNIS VACENT ERRORIS CULPA?

*Apollinaris hæresin S. CYRILLO, velut ab hoc in Epistolis et Anathematismis contra Nestorium expressam, primus objecit Theodoretus Cyrensis, Cyri Episcopus, Nestorio impense favens, et conciliabuli Ephesini contra Synodum œcumenicam præcipuum fulcrum. Post initam S. Cyrillum inter, et Joannem Antiochenum, ac reliquos Orientales, atque Ecclesias pacem, Orientalium variis opinio eadem insedit de Cyrillo: memorata hujus scripta ab errore Apollinaristarum pura non esse. Posterioribus nostris temporibus, ex Doctoribus Protestantium quidam Nestorium sanctis Patribus et Martyribus, S. Cyrillum e contra Apollinaristarum et Eutylianorum feci adnumerant. At quoad primum interim*

182. Dico. S. CYRILLUS impugnando Nestorium in Apollinaris hæresin lapsus non est, ejusque scripta, Epistolæ, et Anathematismi omni errore vacant.

*Prob. I. de EPISTOLIS: 1<sup>o</sup>. Auctoritate ipsius EPHESINÆ SYNODI Act. 1. in qua lectæ sunt S. Cyrilli ad Nestorium litteræ et a Patribus approbatæ, qui suum de earum orthodoxia judicium hisce expresserunt in relatione ad Imperatorem Act. 1. (Lab. t. 3. p. 570. E.) Cyrilli religiosissimi sanctissimique Archie-*



*piscopi epistolas de fide conscriptas cum hac expositione (Nicæne fidei et Patrum) contulimus, collatisque dogmatibus ac sententiis consentaneas reperimus, nec ulla re doctrinam ejus a pia illa expositione discrepantem. Ac in relatione ad Cœlestinum S. P. (Lab. t. 3. p. 662. B.): Lectæ sunt litteræ, quas sanctissimus... Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus Cyrillus ad eum (Nestorium) scripserat; quas S. Synodus approbavit, ut recte inculpateque exaratas, atque in nullo dissentaneas divinis Scripturis, etc.*

2<sup>o</sup>. Auctoritate Cœlestini S. Pontificis in epist. ad CYRILLUM, qua hujus zelum et fidei tuendæ studium dilaudat (Lab. ib. p. 348.): *Nos quoque, dilecte Frater, nonnulla addituri eramus; nisi eadem omnia, quæ nos sentimus ac tenemus, te itidem sentire, ac tenere perspiceremus, et in fide tuenda fortissimum te propugnatorem esse, exploratum haberemus. Et in altera ad Nestorium (Lab. ib. p. 361. B.) ait, se Ecclesiæ Alexandrinæ sacerdotis fidem probasse et probare, monetque Nestorium, ut eadem sentiat.*

*Prob. II. de ANATHEMATISMIS. Nam et hos ab Ephesina Synodo approbatos fuisse, testatur VIGILIUS S. P. in decreto, quo exauctoravit Rusticum et Sebastenum, Romanæ Ecclesiæ diaconos; tum JOANNES SEBASTENUS in epistola Synodica ad Leonem imperatorem; LIBERATUS in Breviar. Et profecto Synodus V. Collat. 8. can. 13. (Lab. t. 5. p. 578.) non alia de causa THEODORETI scripta quædam, tanquam impia, anathemate notavit, nisi quod 12. CYRILLI capitula sive anathematismos damnasset; eademque de causa, can. 14. Ibas Edesseni ferit epistolam. Nec aliter insequentibus Synodi judicavit, quæ superiorum, et inter has quintæ Synodi Acta comprobantur.*

183. *Obj. I. S. CYRILLUS ipse agnovit postea, se ex nimio contra Nestorium studio in errorem incidisse Apollinaris; ergo. Prob. Ant. Si id non agnovisset CYRILLUS, cur ergo, cum pacem iniret cum Joanne Antiocheno aliisque Orientalibus, ab iis non exegit, ut suos in Nestorium anathematismos approbarent; aut certe revocarent damnationem eorum, velut insectorum Apollinaris hæresi, unde tanta S. CYRILLO conflagratur infamia?*

*R. N. A. Ad prob. R. S. CYRILLUM prudenti ex œconomia et studio restituendæ inter Ecclesias pacis, tacuisse de suis capitulis. Equidem inde Orientales aliqui causam sumpsere judicandi, CYRILLUM retractasse sua capitula; sed immerito. Nihil enim prorsus retractavit, ut ipse declarat epist. ad Acacium (opp. t. 5. part. 2<sup>a</sup>. sect. 2<sup>a</sup>. p. 110. D.): Volebant, inquit, omnia aboleri, quæ vel epistolis, vel tomis, vel libris evulgaveram, et soli fidei, quæ a sanctis Patribus nostris Nicææ edita fuerat, consentire; ego vero ad ista ita rescripsi: Expositioni fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adheremus omnes. Quæ vero recte contra Nestorii blasphemias scripsimus, ea ejusmodi esse, ut nulla nobis ratione persuaderi possit, ut recte scripta esse negemus.*

*Nec contendas, hoc loco S. CYRILLUM loqui solum de epistolis suis, aliisque libris, non 12. capitulis, vel anathematismis, ex quibus potissimum argumenta contra CYRILLUM petuntur. Nam anathematismi CYRILLI erant pars epistolæ ejusdem tertie ad Nestorium et synodice, quam dedit ad Nestorium tum primum, cum a Cœlestino S. P. declaratus esset executor sententiæ, quam Cœlestinus tulerat in Nestorium; et cum ante celebrasset Alexandrinam Synodum.*

184. *Inst. 1. Orientalium plures, docti, catholicique Episcopi semper habiti, ut Andreas, Theodoretus, impugnarunt Cyrilli capitula, quod Apollinaris hæresin continerent; ergo.*

*R. Neutrius auctoritas valet quidquam; ambo adhærebant Nestorio, et Joanni Antiocheno ac hujus conciliabulo: scripseruntque contra Cyrillum ex hortatu tum Nestorii, tum Joannis; quando hic conciliabulum cogeat Ephesi ad impugnandam Ephesinam Synodum. Mandavit ergo, inquit in Breviario c. 4. LIBERATUS de Joanne loquens (Lab. t. 5. p. 744. D.) Andree et Theodoro Episcopis Concilii sui, ut scripto ostenderent contra ipsa duodecim capitula, tanquam Apollinaris dogma instaurantia. Sed et uterque a CYRILLO confutatus, ad id eum stimulantibus Patribus Ephesinis, ut liquet ex Conc. Actis. Sed et ab hac censura sufficienter a Synodo ipsa absolutus est S. CYRILLUS, cum ista Act. 5. omnia decerneret irrita, quæ Joannes cum suis contra CYRILLUM tentaverat. Demum THEODORETUS ob impugnata duodecim CYRILLI capitula in Syn. gen. V., ut dict. prob. 2., pœnas dedit.*

185. *Inst. 2. Aduer post Ephesinam Synodum, et pacem inter Ecclesias restitutam, duodecim CYRILLI capitula impugnabant Orientales catholici, et alii, neque tamen his contradicebat Cyrillus; ergo signum est, quod retractaverit. Prob. A. Nam impugnabat Ibas Edessenus in epist. ad Marin Persam, GENNADIUS Constantinopolitanus Episcopus, vir sanctus, qui duodecim capitula ut hæretica damnavit, teste FACUNDO HERMIANENSI in Defens. trium Capitul. L. 2. c. 4.; impugnabat et ISIDORUS PELUSIOTA, epist. L. 1. ep. 310. et 370.*

*R. 1<sup>o</sup>. in genere: Impugnarunt decepti, et quod CYRILLI mentem non essent assecuti C. vel T. secus N. Dixi: vel T. Non enim de omnibus citatis, quod impugnarint, verum est. Cur vero post pacem initam, adhuc Orientalium nonnulli putarint, CYRILLUM retractasse capitula sua, dictum n. 183. in resp.*

*R. 2<sup>o</sup>. Ad prob. in specie: Ibas quidem impugnabat CYRILLUM ejusque capitula, sed male; nec enim in Concil. Chalcedonensi ante receptus est, quam, quæ in epistola ad Marin contra CYRILLUM scripserat, ipse dilisset.*

*Nec dicas: Ipsa tamen Ibas epistola in Synodo Chalcedonensi approbata fuit, testibus FACUNDO Hermianensi L. 5. et 6. et LIBERATO in Breviar. Nam*

*R. Id falsum esse, tum ex Actis liquet Concilii Chalcedonensis; tum diserte affirmat Synodus V. propter epistolam Ibas condemnans: unde in Chalcedonensi solum Ibas, a Dioscoro depositus, restitutus est sedi suæ, cumque jure suffragii admissus in consessum Concilii, postquam in CYRILLUM scripta excusasset. Nullatenus vero epistola ipsa approbata fuit. FACUNDO tandem et LIBERATO hac in re fides non debetur, scribentibus pro domo sua, ut aiunt; quippe acerrimis trium capitulorum defensoribus.*

*Ad GENNADIUM Constantinopolitanum, qui Anatolio successit, respondeo librum illius contra CYRILLUM et hujus 12. capitula non extare. Ac Facundo quidem merito diffidi posset, ut qui in libris illis, quos pro famosis tribus capitulis edidit, in laudandis auctoribus non semel hallucinatus est; observante PETAVIO Theol. Dogm. de Incarn. L. 6. c. 11. Sed permissio, quod S. CYRILLUM impugnasset GENNADIUS; id fecit deceptus falsis rumoribus, nec assecutus mentem Cyrilli. Hoc ipse demum FACUNDUS fateri coactus est,*



L. 2. c. 4. Gennadium dicentis (Cyrilli) intentionem minus intellexisse. Quin idem ejus iudicium de Iba est L. 6. c. 3. ubi: *Fatendum est, inquit, hanc epistolam satis ostendere, quod reverendissimus Ibas, quemadmodum dictum est, cum Orientalibus, aliarumque provincialium Episcopis, intentionem ditorum B. Cyrilli minus intelligens, et suspicatus quod negaret in Christo differentiam naturarum, consequens iudicavit, quia in Apollinaris dogma incidisset. Tum vero falsam illam Orientalium opinionem fuisse docet, ac CYRILLUM defendit ibid.*

Ad ISIDORUM PELUSIOTAM, respondeo: nego quod impugnavit CYRILLUM; sed solum hunc monuit, deceptus pariter falsis rumoribus a Joannis Antiocheni factione sparsis; scripsit enim hæc ad CYRILLUM, quo tempore res Ephesi fervebat. Responsum ipsa Isidori verba confirmant: *Multi ex iis, qui Ephesi coacti sunt, te traducunt ut tuas inimicitias persequentem, ac non ea, quæ Jesu Christi sunt, orthodoxe querentem.*

186. *Inst. 3.* Acta Ephesinæ Synodi nihil referunt de iudicio Patrum, circa tertiam CYRILLI ad Nestorium cum anathematismis epistolam; ergo hi a Synodo approbati haud fuere.

R. N. *Cons.* Licet enim acta, quæ ad nos non integra pervenerunt, de hoc Patrum iudicio nihil referant; epistolam tamen illam tertiam cum anathematismis receptam et approbatam fuisse, dubium fieri non potest, tum propter *prob. 2<sup>m</sup>*. supra; tum singulariter ideo, quod Catholici, contra Acephalos disputantes Constantinopoli in collatione habita, id opponerent Acephalis; quin hi vel negarent, vel negare possent. Habita est collatio illa Justiniano imperante.

187. *Inst. 4.* Si tertia illa CYRILLI epistola cum anathematismis sit vere orthodoxa et approbata Ephesi, cur ergo Concilium Chalcedonense illam non recepit? Ita jam olim Acephali objiciebant Catholicis. Ante resp.

*Observe:* In Act. 2. Concil. Chalcedonensis recitata sunt antecedentium decreta Synodorum, Nicænæ et Constantinopolitanæ primæ, tum Patrum testimonia, ut hanc sibi velut regulam ponerent, quam in condenda fidei formula sequerentur; inter Patres nominarunt CYRILLI epistolas duas tantum, alteram ad Nestorium, alteram ad Joannem Antiochenum. Harum prior est CYRILLI secunda ad Nestorium; posterior ea quam, reddita jam pace, per Paulum Emissenum misit ad Joannem; ut constat ex verbis AETHI Archidiaconi epistolas recitantis, in Actis Concilii. De tertia vero illa CYRILLI epistola nulla ibi facta mentio est, nec in alia Actione Concilii. Hinc dum Patres Act. 3. in definitione fidei, post symbola duorum primorum Conciliorum, Cyrilli quoque *Synodicas* ad Nestorium litteras recipere se profitentur, etsi per *Synodicas* tertia quoque intelligi forte posset, utpote quæ data est ex Alexandrina Synodo, et vulgo dicebatur *Synodica*, teste DIOXYSSIO EXICHO in Præfat., rectius tamen juxta Act. 2. per *Synodicas* litteras intelligitur secunda Cyrilli ad Nestorium, quæ etiam erat *Synodica*, data ex anteriore Alexandrina Synodo. Cur vero tertia illa Cyrilli epistola in Synodo Chalcedonensi commemorata non fuerit? cum Catholicis olim contra Acephalos in collatione (Labb. t. 4. p. 1767. E.)

R. 1<sup>o</sup>. Sed eam Concilium nec exclusit, aut rejectit: Si enim omnes for-

mas et definitiones fidei in Epheso contra Nestorium facti Concilii suscepit et confirmavit Chalcedonense Concilium, quemadmodum hanc habuit refellere?

R. 2<sup>o</sup>. Ratio fuit, quam iidem dabant Acephalis: *Quin adversus Nestorii blasphemias, quæ duas naturas in duas personas et duas subsistentias dividunt, unam personam et unam subsistentiam volebant definire; illa autem epistola duarum subsistentiarum intulit mentionem; propterea proprie eam nominare distulerunt, ut non invenirentur aut illi, aut sibi esse contrarii; sed magis illam alteram epistolam ejus præposuerunt, quæ super consensu symboli Nicæni laudata est; et eam, quæ ad Orientales scripta est.*

*Nec inferas:* Si CYRILLUS dixerit duas in Christo subsistentias, hoc ipso errasset, cum una sit tantum, nempe divina, in Christo subsistentia.

R. D. Si dixisset in sensu, quo nunc vox subsistentia sumitur C. si in sensu, quo olim sumebatur N. S. CYRILLUS per duas subsistentias intelligit duas naturas, essentias existentes; non vero sumpsit subsistentiam pro persona, ipsis Nestorianis id fatentibus, qui alioqui Cyrillum ut amicum amplexati fuissent.

CYRILLUS constitutum jam ante annos fere centum *ὁσίας* et *ὑποστάσεις*; discrimen exacte quidem observat in Dial. de Trinit. et in epist. ad Valerianum; at recedit ab hac consuetudine in libris contra Nestorium, quod ipse, fautoresque ejus *ὁσίας* et *ὑποστάσεις* promiscue usurparent; non sumit tamen hypostasim pro persona, ut Nestorius; sed pro natura, eratque idem, quod subsistentia. Vid. PETAV. Th. Dog. de Incarn. id longius ostendentem, de Trin. L. 4. c. 2.

188. *Obj. II.* S. CYRILLUS tamen in anathematismis hæresin Apollinaris docuit; ergo. *Prob. A.* Nam anath. 1. ait de B. Virgine: *Peperit enim carnaliter Verbum, quod ex Deo est.* At Apollinaris docuit solam carnem assumptam fuisse. Item vox *carnaliter* sonat idem ac more aliarum feminarum.

R. In nullo horum sensu vocem *carnaliter* sumit CYRILLUS, sed ut ipse Andree sibi hoc objicienti respondens declarat, *B. Virginem carnaliter genuisse Deum Verbum*, nihil aliud ei est, quam secundum carnem *genuisse Verbum*; quod apposuit ad evertendam Nestorii perfidiam, ut constaret, B. Virginem non hominem simplicem, ac nudum, sed Deum Verbum, non qua Deus est, sed qua carnem habet, genuisse. Reliqua, quæ naturarum in Christo differentiam attinent, contra quam et ex S. CYRILLO argumenta petuntur, vid. Sect. seq.

Huic similes pleræque objectiones sunt, quæ contra orthodoxiam CYRILLI ex illius anathematismis et scriptis contra Nestorium promuntur; proin pro solutione aliarum, quæ tum hic, tum contra naturarum in Christo differentiam formari possent, regulam hic observari volumus, ac semper alias, quam ipsi Patres figunt: Cum de auctoris cujusdam statu dijudicando agitur, non ex una alterave hinc inde collecta sententia, ac ne ex verbis quidem solis ferendum esse de eo iudicium; sed ex continenti oratione, ex mente ac scopo scriptoris, qui per universi operis corpus tanquam succus quidam vitalis diffunditur. Hæc regula a S. AMBROSIO traditur ep. 63. (al. 48. n. 4.) ad Sabinum: *Verbum si offenderit, virtutem professionis interrogato.* Et n. 6. *Etenim sermonem dubium mens non dubia obumbrat, et defendit a*



lapsu. Item a FACUNDO L. 9. n. 3. : *Quocirca non adspiciamus in furtivas sententiarum particulas, quas ideo præcidunt hæretici, ut in eis non appareat dicentis intentio.*

## SECTIO II.

### DE DUARUM IN CHRISTO NATURARUM DIFFERENTIA.

Apposite hic quis usurpet comparisonem, quam præclare NOVATIUS, scriptor pervetus L. de Trinit. c. 30. instituit, inter oppugnantes utrimque duas catholicum de Trinitate dogma hæreses, quarum alteri Sabellius, alteri patrocinatus est Arius : *Revera quasi inter duos latrones crucifigitur Dominus, quomodo fixus aliquando est : et ita excipit hæreticorum istorum eæ utroque latere sacrilega convicia.* Sic enim aliarum duarum hæresum medium est catholicum de Incarnatione dogma, hinc Nestorii, inde Euty-chis, qui in illud contrariis ambo studiis sunt debacchati. De priori satis hucusque actum; de Eutyche nunc agendum est, qui unitatem, non solius personæ; sed, quod hæreticum fecit, naturæ in mysterium hoc invexit. Ac 1<sup>o</sup>. cognoscenda est illius historia : 2<sup>o</sup>. error ejusdem, in quo hæserit : 3<sup>o</sup>. vindicandum dogma catholicum de existente duplici in Christo natura. : 4<sup>o</sup>. quæ porro ad Eutychanismi criticam pertinent, examinanda.

### ARTICULUS I.

#### HISTORIÆ EUTYCHIANÆ HÆRESIS SUMMARIÆ RELATIO.

#### §. I.

##### *Ejus origo et incunabula.*

189. *Eutyches*, Nestorii primum diaconus, contra hunc strenuam Ephesinis Patribus operam navavit, cujus meminit Constantinopolitana Synodus sub S. FLAVIANO præside celebrata Act. 4. et Chalcedon. Act. 1. Postea presbyter factus, et Archimandrita celeberrimi Monasterii, teste LIBERATO, in Nestorianam hæresin implacabili ferebatur odio; ex quo, ut credibile est, et quibusdam S. CYRILLI sententiis male intellectis, in errorem Nestoriano oppositum incidit, docens, ut auctor est LIBERATUS, et quotquot de ejus hæresi scripserunt : *ante adunationem, sive unionem, duas in Christo fuisse naturas; post adunationem vero unam factam esse.* Hæc cum domi inter familiares crebris sermonibus agitaret, EUSEBIUS Dorylæi civitatis Phrygiæ Salutaris Episcopus, Eutychi amicissimus, sæpe ipsum monuit, ne talia

eloqueretur. Sed Eutyche in concepta erronea mente perseverante, rem ad FLAVIANUM deferendam judicavit. Præerat is Constantinopolitanæ Ecclesiæ, PROCLUS suffectus, qui anno 447. decesserat.

#### §. II.

##### *Eutyches in Synodo Constantinopolitana damnatur.*

190. Anno igitur insequente, cum esset Constantinopoli collecta Synodus Episcoporum 40., teste THEOPHANE, ad dirimendam controversiam inter Florentium Sardium Episcopum, Lydiæ metropolitanum, et duos ejusdem provinciæ Episcopos, Joannem, et Cosinium, lite hac terminata, EUSEBIUS libellum obtulit Synodo adversus Eutychem, quo hunc hæresis accusabat.

Missi igitur JOANNES presbyter, et ANDREAS diaconus, qui illum vocarent; quibus respondit, se non solere, nec posse monasterio egredi; quod cum illi renuntiassent Synodo, simulque tam ipsi, quam JOANNES Basili Seleuciensis diaconus testarentur, Eutychem, se audientibus, dixisse unam tantum post incarnationem in Christo esse naturam; neque carnem ejus consubstantialem esse nostræ; eodem die missi alii, qui eundem secundo citarent; sed irrito quoque conatu: quin, his non obstantibus, libellos per monasteria, quibus dogmata sua exponerebat, ad Archimandritas misit, ut iis subscriberent. Quare tertia citatus vice valetudinem excusans, ad dies septem inducias rogavit. Quibus impetratis tandem 22. Novembris, comitante valida Monachorum manu, cumque ingenti stipatu militari a Florentio Patrio et magno Silentiario deductus, comparuit coram Concilio, fretus Chrysaphii, Eunuchi potentissimi in aula, favore, quem e baptismo susceperat, quique hanc illi pompam addiderat. Ab Episcopis et Florentio ipso interrogatus, hæresin suam libere et palam est professus; nec, quantumcumque rogatus, ejurare voluit. Quare damnatus a Concilio, sacerdotali dignitate, tum præfectura monasterii exutus est.

FLAVIANUS Leonem S. P. Romæ de omnibus mature informandum censuit, atque acta Synodalia simul ei transmisit; sed et Eutyches ad Leonem appellavit, de illata sibi injuria conquestus. Leo paulo serius acceptis Flaviani litteris, cum diu anceps hæsisset, comperta tandem re, damnationem Eutychem ratam habuit; eaque occasione celeberrimam illam ad Flavianum epistolam dedit, qua Incarnationis dogma catholicum penitus declaravit, Asterio et Protogene Coss. anno 449.

#### §. III.

##### *Conciliabulum, vulgo Latrocinium Ephesinum.*

191. Interim Chrysaphius nihil omisit in favorem Eutychem, atque ad opprimendum Flavianum; eoque vertebat consilia, qui deposito Flaviano in Constantinopolitana sede Eutychem subrogaret. Quare apud Theodosium Cæsarem alioquin pium, at ob simplicitatem, aulicorum insidiis opportunum, calumniis Flavianum in suspensionem vocat, ac conque-



lapsu. Item a FACUNDO L. 9. n. 3. : *Quocirca non adspiciamus in furtivas sententiarum particulas, quas ideo præcidunt hæretici, ut in eis non appareat dicentis intentio.*

## SECTIO II.

### DE DUARUM IN CHRISTO NATURARUM DIFFERENTIA.

Apposite hic quis usurpet comparisonem, quam præclare NOVATIUS, scriptor pervetus L. de Trinit. c. 30. instituit, inter oppugnantes utrimque duas catholicum de Trinitate dogma hæreses, quarum alteri Sabellius, alteri patrocinatus est Arius : *Revera quasi inter duos latrones crucifigitur Dominus, quomodo fixus aliquando est : et ita excipit hæreticorum istorum eæ utroque latere sacrilega convicia.* Sic enim aliarum duarum hæresum medium est catholicum de Incarnatione dogma, hinc Nestorii, inde Euty-chis, qui in illud contrariis ambo studiis sunt debacchati. De priori satis hucusque actum; de Eutyche nunc agendum est, qui unitatem, non solius personæ; sed, quod hæreticum fecit, naturæ in mysterium hoc invexit. Ac 1<sup>o</sup>. cognoscenda est illius historia : 2<sup>o</sup>. error ejusdem, in quo hæserit : 3<sup>o</sup>. vindicandum dogma catholicum de existente duplici in Christo natura. : 4<sup>o</sup>. quæ porro ad Eutychanismi criticam pertinent, examinanda.

### ARTICULUS I.

#### HISTORIÆ EUTYCHIANÆ HÆRESIS SUMMARIÆ RELATIO.

#### §. I.

##### *Ejus origo et incunabula.*

189. *Eutyches*, Nestorii primum diaconus, contra hunc strenuam Ephesinis Patribus operam navavit, cujus meminit Constantinopolitana Synodus sub S. FLAVIANO præside celebrata Act. 4. et Chalcedon. Act. 1. Postea presbyter factus, et Archimandrita celeberrimi Monasterii, teste LIBERATO, in Nestorianam hæresin implacabili ferebatur odio; ex quo, ut credibile est, et quibusdam S. CYRILLI sententiis male intellectis, in errorem Nestoriano oppositum incidit, docens, ut auctor est LIBERATUS, et quotquot de ejus hæresi scripserunt : *ante adunationem, sive unionem, duas in Christo fuisse naturas; post adunationem vero unam factam esse.* Hæc cum domi inter familiares crebris sermonibus agitaret, EUSEBIUS Dorylæi civitatis Phrygiæ Salutaris Episcopus, Eutychi amicissimus, sæpe ipsum monuit, ne talia

eloqueretur. Sed Eutyche in concepta erronea mente perseverante, rem ad FLAVIANUM deferendam judicavit. Præerat is Constantinopolitanæ Ecclesiæ, PROCLUS suffectus, qui anno 447. decesserat.

#### §. II.

##### *Eutyches in Synodo Constantinopolitana damnatur.*

190. Anno igitur insequente, cum esset Constantinopoli collecta Synodus Episcoporum 40., teste THEOPHANE, ad dirimendam controversiam inter Florentium Sardium Episcopum, Lydiæ metropolitanum, et duos ejusdem provinciæ Episcopos, Joannem, et Cosinium, lite hac terminata, EUSEBIUS libellum obtulit Synodo adversus Eutychem, quo hunc hæresis accusabat.

Missi igitur JOANNES presbyter, et ANDREAS diaconus, qui illum vocarent; quibus respondit, se non solere, nec posse monasterio egredi; quod cum illi renuntiassent Synodo, simulque tam ipsi, quam JOANNES Basili Seleuciensis diaconus testarentur, Eutychem, se audientibus, dixisse unam tantum post incarnationem in Christo esse naturam; neque carnem ejus consubstantialem esse nostræ; eodem die missi alii, qui eundem secundo citarent; sed irrito quoque conatu: quin, his non obstantibus, libellos per monasteria, quibus dogmata sua exponerebat, ad Archimandritas misit, ut iis subscriberent. Quare tertia citatus vice valetudinem excusans, ad dies septem inducias rogavit. Quibus impetratis tandem 22. Novembris, comitante valida Monachorum manu, cumque ingenti stipatu militari a Florentio Patrio et magno Silentiario deductus, comparuit coram Concilio, fretus Chrysaphii, Eunuchi potentissimi in aula, favore, quem e baptismo susceperat, quique hanc illi pompam addiderat. Ab Episcopis et Florentio ipso interrogatus, hæresin suam libere et palam est professus; nec, quantumcumque rogatus, ejurare voluit. Quare damnatus a Concilio, sacerdotali dignitate, tum præfectura monasterii exutus est.

FLAVIANUS Leonem S. P. Romæ de omnibus mature informandum censuit, atque acta Synodalia simul ei transmisit; sed et Eutyches ad Leonem appellavit, de illata sibi injuria conquestus. Leo paulo serius acceptis Flaviani litteris, cum diu anceps hæsisset, comperta tandem re, damnationem Eutychem ratam habuit; eaque occasione celeberrimam illam ad Flavianum epistolam dedit, qua Incarnationis dogma catholicum penitus declaravit, Asterio et Protogene Coss. anno 449.

#### §. III.

##### *Conciliabulum, vulgo Latrocinium Ephesinum.*

191. Interim Chrysaphius nihil omisit in favorem Eutychem, atque ad opprimendum Flavianum; eoque vertebat consilia, qui deposito Flaviano in Constantinopolitana sede Eutychem subrogaret. Quare apud Theodosium Cæsarem alioquin pium, at ob simplicitatem, aulicorum insidiis opportunum, calumniis Flavianum in suspensionem vocat, ac conque-



rente Eutyche de actis Synodalibus a Notariis corruptis, obtinet, ut generalis Synodus de novo congregaretur Ephesi, cui præset *Dioscorus* Alexandriae Episcopus, excluso a præsentia jure Flaviano. *Barsumam* quoque Syrum archimandritam infamem sicarium invitavit Imperator, ac simul Leonem Rom. Pontificem; qui vero legatos misit *JULIUM* Episcopum, *RENATUM* presbyterum, *HILARUM* diaconum, *DULCITIUM* notarium.

Cæpta igitur est Ephesina spuria Synodus anno 449. sexto Id. Aug., ut est in Actis Chalcedonensis Concilii, quibus illa conciliabuli Ephesini inserta sunt, consistentibus *Dioscoro* Alexandrino, et *Julio*, aliis *Juliano* Puteolano Episcopo, vices agente *Leonis* S. P., *Juvenale* Hierosolymitano, et *Domno* Antiocheno: etiam *FLAVIANUS* adfuit, sed ut reus, nec suo loco considens, Episcopi convenere, teste auctore *Breviculi*, 360.

Instantibus *Leonis* legatis, ut Synodica ejus ad *Flavianum* epistola legeretur palam, id *Dioscorus* elusit. Post introductus et *Eutyches*, fidei suæ libellum obscuritatibus potius et amphibologiis plenum obtulit, excluso *Eusebio* *Eutyche* accusatore.

Lectis Constantinopolitanae Synodi, in qua *Eutyches* damnatus, actis, mox jubente *Dioscoro* decretum Synodi Ephesinae I. recitatum, quo prohibitum, ne quis præter ea, quæ ibi constituta erant, de fide amplius quæreret, aut retractaret; secus, si Episcopus, vel clericus esset, deponeretur; si laicus, communionem privaretur: unde *Dioscorus* contra *FLAVIANUM* et *EUSEBIUM*, ceu Ephesini illius transgressores, quod novi aliquid de fide constituissent, depositionis sententiam tulit; *Eutychem* vero in integrum restituit; alios ad subscribendum metu compulit. *FLAVIANUS* ad Sedem Romanam appellans, *cæsus et multis injuriis affectus*, ut ait *LIBERATUS*, *migravit ad Dominum*. Acta Concil. Chalced. Act. 4. a. *Barsuma* occisum produnt. Legati vero *LEONIS*, quod constanter *Flaviani* damnationi contradicerent, a *Dioscoro* in custodiam dati, uno *HILARO* excepto; qui ægre et clam fuga elapsus Romam pervenit, et de singulis *LEONEM* edocuit; qui coacto Romæ Concilio novam a *Theodosio* Synodum petiit, sed frustra; cum *Theodosius* lege lata potius Ephesinum latrocinium firmavit, et extincto *Flaviano* suffecit *ANATOLIUM*, cujus ordinationem, non ante datam professionem fidei, ratam *LEO* habere voluit, vetuitque recitari ad altare nomina *Dioscori*, *Juvenalis*, *Eustachii* *Berythenis*.

Illud his addendum, *Dioscorum* post finitum Ephesinum latrocinium, excommunicationis sententiam prope *Nicæam* tulisse in *Leonem* Pont. coactis ad subscribendum decem Episcopis.

Interea vero *Theodosio* fati functo succedens *MARCIANUS* legem *Theodosii* sustulit; atque edictum promulgavit contra Clericos et Monachos, qui relicto vero orthodoxæ Religionis cultu, *Apollinaris* vel *Eutyche* heresin et dogmata abominanda secuti essent; ac cum *LEONE* de convocanda Chalcedone generali Synodo convenit.

## §. IV.

## Concilium Chalcedonense Generale IV. in causa Eutyche.

192. Quare Chalcedonense anno 451. Concilium iniri cœpit, præsentente *LEONE* per Legatos, *PASCHASIVM* *Lilybæi*, *LUCENTIVM* *Asculanum* episcopos; *BONIFACIVM* et *BASILIVM* presbyteros, quibus accessit ex auctoritate Pontificis *JULIANUS* *Coënsis*. Convenere Episcopi supra 600. Quid in qualibet Actione gestum, latius deductum vide *Tract. de Princip. Theol. P. Kilber* n. 137.; nos, quantum ad plenius intelligenda, quæ sequuntur, satis est, rerum gestarum summam damus.

Act. III. Lata fuit depositionis sententia in *Dioscorum* his de causis: 1º. Quod similia saperet cum *Eutyche*. 2º. Quod *Eutychem* canonicè a proprio Episcopo depositum in communionem susceperit. 3º. Quod *S. LEONIS* ad *Flavianum* epistolam, quo minus legeretur, inhibuerit in suo conciliabulo. 4º. Quod excommunicationis sententiam in *LEONEM* ferre præsumpsisset. 5º. Quod canonicè ter citatus comparere detrectarit. Ac ne qua spes relinqueretur *Dioscoro* recuperandi episcopatus, quod ille in vulgus sparserat; edictum a Synodo publice propositum est, quo constaret, ita eum dignitate ac gradu spoliatum esse, ut nunquam in integrum restituendus esset.

Act. V. *ANATOLIUS*, ut jussus fuerat Act. IV. suæ symbolum fidei protulit, quod minime omnibus arrisit; cum enim ab *ASCLEPIADE* diacono recitatum esset, reclamant *S. LEONIS* Legati cum Orientalibus quibusdam, quod in eo solum inesset, ex duabus naturis esse Christum, omisso eo, quod ad tollendam prioris sententiæ æquivocationem necessarium videbatur, et a *Leone* significatum erat: in duabus esse naturis immutabiliter, inconfuse, indivise, ut diserte testatur *LEONTIVS* L. de Sectis Actione 6. ( *Bibl. Magn. PP. t. 11. p. 516. A.* ) Hinc inter Patres orta disputatio; sed cum abutum et novam de integro Synodum Romæ celebrandam minarentur *Leonis* Legati, nisi ex hujus præscripto formula fidei conciperetur; tandem in condenda definitione fidei *S. Leonis* epistolam, tumultuantibus contra *Eutyche* *Monachis*, ceu regulam ex toto secuti sunt. Ac mox ead. Act. additum decretum, complectens symbolum *Nicæum*, *Constantinopolitanum*, duas *CYRILLI* epistolas, epistolam *S. Leonis* ad *Flavianum*, quibus tota de *Incarnatione* fides in compendio expressa, ac simul lectum, et omnium sententia probatum. Post etiam

Act. VI. Cui *Marcianus* ipse cum *Pulcheria* interfuit, rursus est recitata fidei formula superiori Actione confecta, et singulorum subscriptione firmata. Quo præstito Patres ad greges suos revertendi facultatem efflagitant. Quo indicatur, jam Concilium a Patribus pro finito habitum fuisse.

Et vero in Actionibus sequentibus aliæ pertractatæ causæ sunt, et conditi *Canones*, quorum examen alterius loci et crisis est. Illud tamen non præmittendum, quod Act. VIII. *THEODORETUS* *Cyrensis* Episcopus, et Act. IX. ac X. *IBAS* *Edessæ* Episcopus, a *Dioscoro* depositi, suis tandem restituti sint sedibus; sed quod ob impugnatos *S. CYRILLI* anathematismos de *Nestorii* heresi se suspectos reddidissent, non ante, quam anathema dixissent *Nestorio* et *Eutyche*.



Tandem absoluta Synodo, et ab Imperatore publico edicto sancita, Dioscorus in pœnam relegatus Gangram Paphlagoniæ. Ægyptus tamen, Æthiopia, Alexandria Dioscoro etiam deposito servabant fidem. Ac Alexandria quidem divisa, nequidem, mortuo Dioscoro, ad pacem rediit.

## §. V.

*Turbæ post Concilium Chalcedonense, et Henoticum Zenonis.*

193. Primos tumultus concitabant *Monachi* tum *Alexandrini*, tum *Palæstini*, priores ex suo in Dioscorum studio: posteriores eo stimulati a Theodosio monacho, Eutyche antiquo amico. Ambos vero tum Marcianus imperator, tum Pulcheria comprimere laborarunt.

At Marciano defuncto *Timotheus Ælurus* totam commovet Ægyptum, et tractis ad suas partes *Monachis* miscebat omnia. Quibus commotus Leo Marciani successor, pelli Alexandria *Timotheum* jubet, et *Gangras* relegari. Non minus Orientem turbabat *Petrus Cnapheus*, sive *Fullo*, sua fraude et perfidia; sed et hic, Leonis decreto, exilio damnatus, antequam in Oasim deportaretur, clam sibi fuga consuluit.

Leone defuncto, et Zenone imperante, Basiliscus tyrannidem invadit, et, cum Eutychiæ faveret hæresi, *Timotheum Ælurum* ab exilio revocat: qui illuc cum *Petro Cnapheo* venit, Acacio jam Constantinopolitanam sedem tenente. Basiliscus contra Chalcedonensem Synodum et S. LEONIS epistolam edictum promulgat, contradicente Acacio; at tumultu populari Basiliscus fugere cogitur; atque Zeno cum exercitu urbem intrans, interfectoque tyranno, solus rerum potitur.

Zeno igitur rescissis Basilisci Actis, Acacio, qui *Petro Cnapheo* favebat, persuadente, ad conciliandos cum Catholicis Eutychianos, quasi mediam fidei formulam inter utrosque promulgavit. Quod edictum *ἐνωτικὸν, conciliatorium*, sive *unitativum* vocavit.

In hoc Nestorium et Eutychem damnat: de Dioscoro tamen, de Concilio Chalcedonensi, de epistola S. LEONIS callide tacet; cæterum 12. Cyrilli anathematismos approbat; ac universim, non aliud esse admittendum symbolum, quam Nicænum, in Conciliis Constantinopolitano I. et Ephesino œcumenico comprobatum. Etsi vero sileat de Chalcedonensi Synodo, illius tamen fidem eo edicto profitetur.

FELIX III. S. P. *Henoticum*, etsi non aperte damnaret œconomix causa, ne irritaret Zenonem, sicque graviora mala averteret; respuit tamen, et Legatos misit ad Zenonem, qui cum eo agerent. Sed hi primo in vincula coniecti, postea ab Acacio corrupti, fœde prævaricati sunt, ut etiam cum hæreticis communicarent. Quare FELIX in Synodo Romæ coacta tam Legatos excommunicavit, quam ipsum Acacium: sic quoad rem et implicite simul damnans *Henoticum*, licet, œconomix causa, istud aperte non damnaret. Sed Acacius id parvi pendens, in hæreticorum communione perstitit. Quo ex tempore Romana Sedes a Constantinopolitanæ Ecclesiæ communionem separata est, non nisi post annos 35. Justino Imperatore, et HORMISDA Rom. Pont. redintegrata pace.

## §. VI.

*Eutychiæ sectæ propagatio.*

194. Capitem magistri sui Eutyche de una Christi, post unionem, natura sententiam varios in sensus traxerunt Eutychiani. Ac quidem decem in sectas propterea divisi sunt. Quorum primo Alexandrini a *Petri Moggi* Patriarchæ sui communionem divulsi, dicti sunt *Acephali*, teste LEONTIO L. de Sect. Act. 5. (Bibl. M. PP. t. 11. p. 312. C.) quod a capite, patriarcha suo, disjuncti, seorsim congregarentur. Recedendi a patriarcha Eutychianis Alexandrinis causa fuerat, quod Petrus Moggi a Zenone in sedem Alexandrinam restitutus, hujus *Henoticum* probasset, ac proinde nec damnasset Concilium Chalcedonense, uti, ut faceret, optabant.

Nomen hoc universis postea Eutychianis commune fuit. Dicti quoque sunt *Monophysitæ*, a natura una, quam dicebant in Christo, et *Ægyptii*; quod totam fere occuparent Ægyptum; et *Schematici*; quod non veram, sed in figura tantum Christi carnem agnoscerent. Mutationem alii in Verbo factam dicebant, quod *Verbum caro factum* diceretur. Huc refer *Theopaschitas*, de quibus in Proœmio.

Universæ vero illorum factiones ad duo hodie capita referuntur; *Eutychianorum* simpliciter, qui germanam magistri sui hæresin profitentur; et *Acephalorum*, sive *Semi-Eutychianorum*, qui in quibusdam ab illo dissentiunt; singuli tamen se S. CYRILLI tueri conantur sententia, qua *unam dixit naturam incarnatam*.

## ARTICULUS II.

DOGMA CATHOLICUM DE DUPLICI VERA INTEGRAQUE NATURA, POST UNIONEM, IN CHRISTO CONTRA EUTYCHIANOS ET SEMI-EUTYCHIANOS OSTENDITUR.

195. Eutychem post unionem non nisi unam in Christo naturam agnovisse, certum est omnibus; ita enim ipse in Constantinopolitana Synodo interrogatus, candide profitebatur: *Confiteor, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunionem; post unionem vero, unam naturam confiteor*. At non æque inter auctores convenit, quo sensu per unionem, unam in Christo naturam factam Eutyches intellexerit? an mixtione; an confusione; an conversione unius in alteram; an demum compositione, quo modo corpus et anima componunt hominem; singuli enim illi sensus a diversis scriptoribus et Patribus hæresiarchæ tribuuntur. At dissidii hujus causa inde repetenda est, quod tum Eutyches ipse, tum ejus discipuli in exponendo suo dogmate, varii et mutabiles, prout premebantur a Catholicis, nunc hoc, nunc istud edicerent. Certe de Eutyche FLAVIANUS id testatur epist. ad Leonem (Labb. t. 4. p. 14. A.): *neque sciens (Eutyches) quod dicit, neque de quibus affirmat*. At parum refert, quo sensu Eutyches suum dogma intellexerit, cum nullus subsistat ex singulis. Quare simpliciter

196. Dico. Natura divina et humana per Incarnationem Verbi, sive



Tandem absoluta Synodo, et ab Imperatore publico edicto sancita, Dioscorus in pœnam relegatus Gangram Paphlagoniæ. Ægyptus tamen, Æthiopia, Alexandria Dioscoro etiam deposito servabant fidem. Ac Alexandria quidem divisa, nequidem, mortuo Dioscoro, ad pacem rediit.

## §. V.

*Turbæ post Concilium Chalcedonense, et Henoticum Zenonis.*

193. Primos tumultus concitabant *Monachi* tum *Alexandrini*, tum *Palæstini*, priores ex suo in Dioscorum studio: posteriores eo stimulati a Theodosio monacho, Eutyche antiquo amico. Ambos vero tum Marcianus imperator, tum Pulcheria comprimere laborarunt.

At Marciano defuncto *Timotheus Ælurus* totam commovet Ægyptum, et tractis ad suas partes *Monachis* miscebat omnia. Quibus commotus Leo Marciani successor, pelli Alexandria *Timotheum* jubet, et *Gangras* relegari. Non minus Orientem turbabat *Petrus Cnapheus*, sive *Fullo*, sua fraude et perfidia; sed et hic, Leonis decreto, exilio damnatus, antequam in Oasim deportaretur, clam sibi fuga consuluit.

Leone defuncto, et Zenone imperante, Basiliscus tyrannidem invadit, et, cum Eutychiæ faveret hæresi, *Timotheum Ælurum* ab exilio revocat: qui illuc cum *Petro Cnapheo* venit, Acacio jam Constantinopolitanam sedem tenente. Basiliscus contra Chalcedonensem Synodum et S. LEONIS epistolam edictum promulgat, contradicente Acacio; at tumultu populari Basiliscus fugere cogitur; atque Zeno cum exercitu urbem intrans, interfectoque tyranno, solus rerum potitur.

Zeno igitur rescissis Basilisci Actis, Acacio, qui *Petro Cnapheo* favebat, persuadente, ad conciliandos cum Catholicis Eutychianos, quasi mediam fidei formulam inter utrosque promulgavit. Quod edictum *ἐνωτικὸν, conciliatorium*, sive *unitativum* vocavit.

In hoc Nestorium et Eutychem damnat: de Dioscoro tamen, de Concilio Chalcedonensi, de epistola S. LEONIS callide facit; cæterum 12. Cyrilli anathematismos approbat; ac universim, non aliud esse admittendum symbolum, quam Nicænum, in Conciliis Constantinopolitano I. et Ephesino œcumenico comprobatum. Etsi vero sileat de Chalcedonensi Synodo, illius tamen fidem eo edicto profitetur.

FELIX III. S. P. *Henoticum*, etsi non aperte damnaret œconomix causa, ne irritaret Zenonem, sicque graviora mala averteret; respuit tamen, et Legatos misit ad Zenonem, qui cum eo agerent. Sed hi primo in vincula coniecti, postea ab Acacio corrupti, fœde prævaricati sunt, ut etiam cum hæreticis communicarent. Quare FELIX in Synodo Romæ coacta tam Legatos excommunicavit, quam ipsum Acacium: sic quoad rem et implicite simul damnans *Henoticum*, licet, œconomix causa, istud aperte non damnaret. Sed Acacius id parvi pendens, in hæreticorum communione perstitit. Quo ex tempore Romana Sedes a Constantinopolitanæ Ecclesiæ communionem separata est, non nisi post annos 35. Justino Imperatore, et HORMISDA Rom. Pont. redintegrata pace.

## §. VI.

*Eutychiæ sectæ propagatio.*

194. Capitem magistri sui Eutyche de una Christi, post unionem, natura sententiam varios in sensus traxerunt Eutychiani. Ac quidem decem in sectas propterea divisi sunt. Quorum primo Alexandrini a *Petri Moggi* Patriarchæ sui communionem divulsi, dicti sunt *Acephali*, teste LEONTIO L. de Sect. Act. 5. (Bibl. M. PP. t. 11. p. 312. C.) quod a capite, patriarcha suo, disjuncti, seorsim congregarentur. Recedendi a patriarcha Eutychianis Alexandrinis causa fuerat, quod Petrus Moggi a Zenone in sedem Alexandrinam restitutus, hujus *Henoticum* probasset, ac proinde nec damnasset Concilium Chalcedonense, uti, ut faceret, optabant.

Nomen hoc universis postea Eutychianis commune fuit. Dicti quoque sunt *Monophysitæ*, a natura una, quam dicebant in Christo, et *Ægyptii*; quod totam fere occuparent Ægyptum; et *Schematici*; quod non veram, sed in figura tantum Christi carnem agnoscerent. Mutationem alii in Verbo factam dicebant, quod *Verbum caro factum* diceretur. Huc refer *Theopaschitas*, de quibus in Proœmio.

Universæ vero illorum factiones ad duo hodie capita referuntur; *Eutychianorum* simpliciter, qui germanam magistri sui hæresin profitentur; et *Acephalorum*, sive *Semi-Eutychianorum*, qui in quibusdam ab illo dissentiunt; singuli tamen se S. CYRILLI tueri conantur sententia, qua *unam dixit naturam incarnatam*.

## ARTICULUS II.

DOGMA CATHOLICUM DE DUPLICI VERA INTEGRAQUE NATURA, POST UNIONEM, IN CHRISTO CONTRA EUTYCHIANOS ET SEMI-EUTYCHIANOS OSTENDITUR.

195. Eutychem post unionem non nisi unam in Christo naturam agnovisse, certum est omnibus; ita enim ipse in Constantinopolitana Synodo interrogatus, candide profitebatur: *Confiteor, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunionem; post unionem vero, unam naturam confiteor*. At non æque inter auctores convenit, quo sensu per unionem, unam in Christo naturam factam Eutyches intellexerit? an mixtione; an confusione; an conversione unius in alteram; an demum compositione, quo modo corpus et anima componunt hominem; singuli enim illi sensus a diversis scriptoribus et Patribus hæresiarchæ tribuuntur. At dissidii hujus causa inde repetenda est, quod tum Eutyches ipse, tum ejus discipuli in exponendo suo dogmate, varii et mutabiles, prout premebantur a Catholicis, nunc hoc, nunc istud edicerent. Certe de Eutyche FLAVIANUS id testatur epist. ad Leonem (Labb. t. 4. p. 14. A.): *neque sciens (Eutyches) quod dicit, neque de quibus affirmat*. At parum refert, quo sensu Eutyches suum dogma intellexerit, cum nullus subsistat ex singulis. Quare simpliciter

196. *Dico*. Natura divina et humana per Incarnationem Verbi, sive



unionem, non coaluerunt in unam; sed utraque post unionem inconfusa, impermixta, et integra permansit.

Conclusio est dogma fidei, definitum contra Eutychem in Synodo generali IV. Chalcedonensi; Constantinopolitana II. Ac jam ante a S. Leone S. P. in celeberrima epist. ad Flavianum, cui subscripserunt omnes Chalcedonenses Patres, quæque ab his posita fuit in decreto fidei.

*Prob. I.* Ex SS. SCRIPTURIS duplici modo: 1. iis textibus, quibus natura duplex evidenter asseritur: 2. aliis, quibus Christo contraria, quæ uni naturæ convenire nequeant, tribuuntur.

1<sup>o</sup>. Igitur S. Scriptura duas in Christo naturas evidenter adstruit. Ad Philipp. 2. v. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* En duplex forma, sive natura Dei et servi inconfusa, impermixta, et distincta Christo tribuitur. Nec obstant hæc: *semetipsum exinanivit*; non enim se exinanivit, conversione divinitatis in carnem; hoc enim impossibile est, cum Deus essentialiter immutabilis sit; sed assumptione humanitatis, *formam servi accipiens.*

*Nec dicant Eutychiani*: equidem exinanivisse se Deum sine divinitatis conversione in carnem; sed assumptione humanitatis; verum ita, ut hæc a divinitate absorpta fuerit; sicque huic mixta perierit, veluti gutta mellis aquis mixta, et evanescentis. Deinde quomodo in natura absorpta pati, crucifigi potuisset?

*Contra est*: quod hoc Apostolo directe adversetur, qui de forma servi visibili, sensibili loquitur; cum statim subdat: *et habitu inventus ut homo*; ergo hæc forma servi assumpta non sic perierat instar guttæ mellis oceani aquis mixtæ, et evanescentis. Deinde quomodo in natura absorpta pati, crucifigi potuisset?

*Item I. Joan. 1. v. 1. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.* En rursus duplicem in Christo naturam distinctam, primo divinam Verbi vitæ; deinde humanam, quæ visa oculis, contrectata manibus.

2<sup>o</sup>. S. Scriptura Christo contraria tribuit: quod sit minor Patre, et tamen idem cum Patre, Joan. 6. quod a nobis discedat, et tamen quod nobiscum maneat in æternum, Joan. 16. et similia plura. Vid. n. 167. Atqui hæc in una natura salvari non possunt. Quibus adde

3<sup>o</sup>. Ea Scripturæ loca, quæ duas in Christo voluntates, ac consequenter totidem naturas distinguunt, velut Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* At Christus, qua Deus, voluntatem suam divinam imprimis non amiserat; hoc enim ei impossibile fuit: deinde voluntas Christi, qua Dei, eadem omnino erat cum voluntate Patris; ergo habebat adhuc aliam, qua homo; ergo et utramque naturam divinam et humanam. Inde tamen inferre non licet; ergo et duo essent in Christo volentes. Nam voluntas ad naturam, ut aliunde constat, pertinet; sed volens ad personam, ut patet ex divinis; quia licet tres personæ sint, non nisi una tamen voluntas est.

197. *Prob. II.* Ex CONCILII. Nicænum diserte in Symbolo posuit: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis; et*

*incarnatus est, et homo factus est.* Idem repetit Constantinop. I. in symbolo; Ephesina œcumenica Synodus decret. de fide (Labb. t. 3. p. 690.), symbolum aliud, quam quod Nicææ fuerat editum, neque facere se professæ est, et fieri deinceps vetuit; Chalcedonensis vero contrarium in Eutyche damnavit, ut dictum Art. priore. Sed et generales Synodi aliæ, Concilium Chalcedonense insecutæ; Generalis V. Act. 1. et Collat. 8., Generalis VI. Act. 11. 13. 18., etc.

198. *Prob. III.* Ex SS. PATRIBUS, qui ante Eutychnismi tempora floruerunt, ex quibus sequentes delibamus.

1<sup>o</sup>. Ex Græcis Patribus: S. IGNATIUS M. in epist. ad Ephes. n. 7. et relatus ab ATHANASIO L. de Synod. pag. 709. n. 47. de Domino nostro Jesu Christo ita loquitur: *Unus medicus est, carnalis et spiritualis, factus et non factus: in homine Deus; in morte vita vera; et ex Maria, et ex Deo.* Post hunc CLEMENS ALEXANDRIN. Pædag. L. 1. c. 3. cœlestem pædagogum illum ait, *prodesse mortalibus tanquam hominem, et tanquam Deum, quippe peccata indulgentem, qua Deus est; ut autem est homo, pædagogi more ad non peccandum instituentem.* S. ATHANASIUS integris etiam libris naturarum discrimen in Christo tenuit: ut in ep. ad Epictetum, quam adversus Apollinaris dogma, tunc primum vulgari cœptum, elucubravit, n. 2. ait: *Potuitne, Christianis ab hominibus in dubium vocari, utrumnam Dominus noster ex Maria editus, substantia et natura Dei Filius sit; at secundum carnem, ex semine David et ex carne sanctæ Mariæ.* Ac L. 1. de Incarn. cont. Apollinar. n. 16.: *Dicendus erit Christus, perfectus Deus et perfectus homo: non quod divina perfectio in humanam perfectionem mutata sit, quod impium est dicere: nec etiam quod duæ perfectiones a se invicem divisæ dicantur, quod a pietate alienum est: neque per incrementum virtutis, et accessione justitiæ, absit: sed ratione existentie indeficientis. Ut utraque unus sint, omnino perfectus, idem Deus et homo.*

2<sup>o</sup>. Ex Latinis Patribus: TERTULLIANUS L. adversus Praxeam cap. 27., ubi ad quæstionem illam, *quomodo Sermo, sic Verbum vocat, caro factus: utrumne quasi transfiguratus in carne, an indutus carnem?* sic respondet: *imo indutus. Cæterum Deum immutabilem et informabilem credi necesse est, ut æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse; neque aliud potest esse.* En quam scite omnem alterationem excludat. At L. de carne Christi c. 5. *Utriusque substantiæ (naturæ) census hominem et Deum exhibuit; hinc natum, inde non natum; hinc carneum, inde spiritalem; hinc infirmum, inde præfortem; hinc morientem, inde viventem.* Quid clarius? S. AMBROS. L. 2. de Fide c. 4. (al. 9. n. 77.): *Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est.* Plures referunt passim alii, ut CYPRIAN. L. de Idolor. vanitate n. 11. NOVATIANUS L. de Trinit. c. 16., ac quotquot de hoc mysterio tractarunt. Cf. PETAV. de Incarn. L. 3. c. 6. et 7.

199. *Prob. IV.* RATIONIBUS THEOLOGICIS: 1<sup>o</sup>. Si est una tantummodo natura, ea vel divina, vel humana est, vel ex utraque quid compositum,  
II. P. 11



h. e. divina simul et humana, vel neutra. Si sola est divina, Christus non est homo; si humana sola, non est Deus; si neutra, nec homo est, nec Deus; si utraque simul, nec Dei est natura talis, nec hominis, et sic Christus nec consubstantialis erit Patri, nec homini.

2<sup>o</sup>. Christus in illa unica fuisset passus; ergo æque in divina, quam humana; at in divina non potuit. Ita LEPORIUS in Libell. emendat.

3<sup>o</sup>. Idem Christus dicitur Deus et homo: atqui fieri hoc non potest, nisi per unionem substantialem naturæ humanæ cum persona Verbi; impossibile enim est, ut duæ naturæ, formaliter distinctæ, de se invicem prædicentur in concreto, nisi in supposito uniantur. Cf. PETAV. loc. cit. c. 9.

200. *Obj. I.* Joan. 1. *Verbum caro factum est*; ergo divinitas conversa est in carnem; sicut Joan. 2. v. 9. cum dicitur, aqua vinum *facta*, aquæ in vinum conversio designatur.

R. N. *Cons.* Neque enim Verbum, juxta verba Joannis, magis conversum in carnem dici potest, quam in maledictum, ob verba Apostoli ad Gal. 3., ubi dicitur *factus pro nobis maledictum*. Et ratio est, quod vox *factum* non semper indicet conversionem, sed etiam communi loquendi modo acquisitionem, assumptionem alicujus; velut dum quis dicitur factus rex, sacerdos, pontifex: sensus non est, eum conversum esse in dignitatem regiam, sacerdotalem, pontificiam; sed quod hanc assumpserit. Quando vero *factum* veram conversionem designet, quando non? a subjecta materia, ac circumstantiis pendet. Hinc est disparitas ad rationem additam; aquam conversam esse in vinum circumstantiæ clamant, nec etiam quid aliunde obstat, quo minus vere in vinum converti potuerit: at dicere, divinitatem converti in aliud, non patitur subjecta materia, cum talis mutatio Deo immutabili sit impossibilis: nec contextus; continuo enim subjicitur: *et habitavit in nobis*; at vero quod habitat, non est idem cum eo, quod habitat, inquit S. CHRYS. hom. 50. (al. 11. n. 2.) in Joan.; multo minus in hoc convertitur.

201. *Obj. II.* Ex SS. Patribus. Juxta S. ATHANASIIUM in symbolo, vel quisque hujus auctor dicatur: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus*; qua loquendi ratione et alii subiude Patres utuntur: atqui ex anima et carne fit una natura in homine; ergo et ita ex divinitate et humanitate una fit, vel componitur natura in Christo.

R. 1<sup>o</sup>. Unio hypostatica cum plane singularis sit, et exemplo careat, a nobis explicari nequit, nisi per quædam similia: quæ tamen simul in aliis dissimilia sunt, et mysterium hoc sublimissimum non nisi imperfecte explicant. *Usi sunt igitur Patres*, ait RUSPICUS Disput. contr. Acephal. (Biblioth. M. PP. t. 4. part. 1<sup>a</sup>. p. 809. D.), *hoc exemplo* (ab homine desumpto)...., *ut ostenderent unum Filium, unum Christum, unum Dominum, et ejus unam personam, substantialem*. Nam ait S. AUG. ep. 3. (al. 137. n. 11.) *sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit*. Vel ad ostendendum, quod, sicut in homine duæ naturæ incompletæ existunt in una persona humana: ita ex unione naturæ humanæ cum Verbo fiat, ut duæ naturæ completæ existant

in una persona Verbi, licet in modo plurimum differant unionis; ut auctor Exposit. Fidei sub nomine JUSTINI editus n. 41. MAXENTIUS Libell. cont. Acephalos (Biblioth. M. PP. t. 4. part. 2<sup>a</sup>. p. 461.) EUTHYM. Panopl. p. 2. Tit. 15.; apud eumque S. ATHANAS. ipse declarans hoc simile, et differentiam assignans: *Hic* (Christus) *enim non ex rebus imperfectis habet, ut sit* (sicut homo), *sed perfectarum naturarum concursum ostendit in se ipso: atque illic quidem partes hominis sunt anima et corpus*: Unde

R. 2<sup>o</sup>. D. M. Sicut anima et caro unus est homo unitate suppositi, ita Deus et homo unus est Christus. Vel: sicut anima et caro, tanquam duæ naturæ incompletæ, existunt in una persona humana, ita per unionem naturæ humanæ cum Verbo duæ naturæ completæ existunt in una persona Verbi C. Sicut anima et caro sunt una natura completa, ita ex duabus naturis in Christo facta est natura una N.

202. *Inst. I.* S. IRENEUS L. 3. cap. 21. (al. 19. n. 1.), TERTULLIAN. Apol. c. 21. Incarnationem vocant *mixtionem et mixturam*; ergo S. AMBROSII. vero L. 4. de Sacram. c. 4. et quidam alii dicunt, quod Verbum factum sit caro, sicut panis in Eucharistia fit corpus Christi: sed hoc fit per conversionem; ergo.

R. Ad 1<sup>am</sup>. D. Vocant mixtionem stricte et proprie talem N. Per mixtionem intelligendo intimam ac substantialem naturarum unionem in persona C. Ita S. CYRILL. ALEXAND. contr. Nestorium L. 2. (opp. t. 6. part. 1<sup>a</sup>. p. 33. A. B.), et S. AUG. epist. 2. ad Volusianum n. præc. cit. *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo personæ mixtura est animæ et corporis; in hac mixtura est Dei et hominis; si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, quæ solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam; quanquam et in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur. Igitur duplex distingui potest mixtio: prima, qua duo ita permiscentur, ut utrumque deperdat integritatem suam, qualis est liquorum mixtio; estque strictius dicta mixtio: altera, qua duo intime, salva tamen utriusque integritate, conjunguntur; sicque subin dicitur anima misceri corpori: deque hac sola loquuntur Patres, ut amplius ex contextibus liquet, tum inde, quod naturarum in Christo differentiam post unionem discrete doceant; ut de TERTULLIANO dictum n. 198. De IRENEO autem Lib. 3. cont. Hæret. 32. (al. 22.) quo toto capite contra eos hæreticos disputat, qui specie solum, h. e. apparenter, Christum fuisse hominem dicebant.*

Ad 2<sup>am</sup>. Solum docere intendunt, quod in Eucharistia sit vere caro et sanguis Christi: sicut Verbum vere habet carnem et sanguinem; ut ex contextu patet. Cæterum quoque de mente S. AMBROSII constat ex n. 198., de S. JUSTINI, cui idem tribuitur, ex Dialogo cum Tryphone: *nam quod tu asseris, Christum... nec hominem esse, ab homine* (B. Virgine) *propagatum, non solum præter fidem videtur esse; sed etiam stultum*.

203. *Inst. 2.* At DAMASCEN. in Dialectica c. 68. *Illud, inquit, scire attinet, hypostaticam unionem, unam rerum conjunctarum naturam efficere*. Et JULIUS S. P. in epist. ad DIONYSIUM Corinthiorum Episcopum: *Necesse est, inquit;*



cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare; ac in divi-  
nam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari; ergo.

Ad 1<sup>am</sup>. N. assertum. Sed BILLIUS, qui hanc versionem adornavit, temerarie vertit naturam pro hypostasi, nam in græco extat ὑπόστασις, personam, non φύσιν naturam. Quin eod. cap. infra studiose probat DAMASCENUS, ex duabus naturis tertiam aliquam non posse effici; item toto Lib. de natur. compos. et L. de duab. Christi voluntatibus c. 8. n. 5. stringentibus verbis: Quæ ex diversis naturis composita est natura, nulli earum consubstantialis est. Nam unaquæque natura simplex suam tantum habet definitionem. Composita vero aliam definitionem habet compositam. Impossibile est autem, ea, quæ diversam definitionem capiunt, ejusdem esse substantiæ. Igitur si Christus una est natura, quomodo consubstantialis Patri erit, ac matri? Ille enim Deus est, hæc homo. Dei autem et hominis non est una natura.

Ad 2<sup>am</sup>. R. Cum LEONTIO L. de Sectis Actione 8. (Bibl. M. PP. t. 11. p. 326. C.) epistolam illam non esse JULI, sed ab Apollinari scriptam; eo potissimum argumento, quod GREGORIUS NYSSENUS in libro, quem contra Apollinarem scripsit, multa referat ex illa epistola, quæ refellit tanquam ab Apollinari dicta. Quamquam etiam permissio, inquit EULOCIUS Alexandrinus (apud PRORIUM codice 230. p. 831. edit. Andr. Schotti, Genevæ 1612.) esse JULI, nomen naturæ pro persona sumpsit.

204. Inst. 3. Teste EPHEMIO Antiocheno apud Photium cod. 229. et S. MAXIMO, plures ex Catholicis, numerari in Christo naturas acriter prohibebant, nolebantque dici duas numero naturas in Christo.

R. D. Id prohibebant aliquando ex simplicitate, bonum tamen sensum intendentes. C. Quasi ipsam naturarum differentiam in Christo negarent. Sed supposita etiam naturarum differentia, nolebant nihilominus dicere duas numero naturas; sed ea de causa, quam affert S. Maximus ipse in Opusculis, quod numerus omnis aut dividendi vim habeat, aut sit divisibilis, aut divisionem introducat. Quod illi veriti, naturas duas post unitiorem salvas esse profiteri nolebant, ne quid sectionis, vel partitionis in Incarnationis mysterium irreperet. Nam divisio removenda est ab hoc mysterio. At in hos solide quidem Catholicos, sed pro ratione temporis parum prudentes, inveci sunt S. MAXIMUS in Opusculis, EPHEMIUS Antiochenus, VIETIUS S. P. aliique.

205. Obj. III. Ex Ratione: 1<sup>o</sup>. Si in Christo duæ essent naturæ, duo etiam essent Christi. Prob. seq. Ideo in Trinitate unus est Deus, quia est unica natura; ergo a contrario, si duæ sint in Christo naturæ, duo erunt Christi. 2<sup>o</sup>. Per unionem hypostaticam constituitur compositum theandricum in ratione novi principii operationum supernaturalium; ergo etiam in ratione novæ naturæ; natura enim dicitur a Philosopho 2. Physic. c. 4. principium motus et quietis.

R. Ad 1<sup>am</sup>. N. seq. Disparitas est, quia concreta substantiva non multiplicentur, nisi multiplicentur simul natura et suppositum: hinc in Trinitate non multiplicatur Deus, quia non multiplicatur natura; quamvis tres personæ sint: Christus vero non multiplicatur, quia non multiplicatur suppo-

situm, etsi in eo sint naturæ duæ; hæc enim in una eademque Verbi persona subsistunt.

Ad 2<sup>am</sup>. N. Cons. Ad prob. R. Non definiri a Philosopho naturam, principium motus et quietis simpliciter, sed cum addito: ejus, in quo est, primo et per se. Unde colligitur, de ratione naturæ, prout ab Aristotele definitur, esse, ut sit pars primaria et essentialis alicujus compositi, cujusmodi est materia et forma in compositis naturalibus. Hinc subjungit ibid.: natura aut subjectum est, aut subjecto inest; id autem, quod ex his compositum est, natura quidem non est, sed constat natura. Similiter igitur compositum ex duabus naturis Christi unitis in persona Verbi, non est una natura; sed constat ex diversis naturis mediate invicem unitis. Deinde operationes illæ non debentur Christo ratione alicujus naturæ, quam includit; quia sunt supra exigentiam naturæ humanæ: natura autem divina non unitur immediate humanitati, sed personalitas; unde debentur Christo ratione personalitatis divinæ. Ex hactenus disputatis

206. Infer, et collige sequentia. I. Illa, quæ naturis secundum se sunt propria, etiam in Christo esse duplicia: 1<sup>o</sup>. Existentiæ duplex. 2<sup>o</sup>. Duplex duratio et præsentia localis, increata scilicet, immensitas, et æternitas ex parte naturæ divinæ; ex parte contra naturæ humanæ creata, et finita præsentia in tempore et loco. 3<sup>o</sup>. Duplex intellectus, divinus et humanus, duplex intellectio, scientia, voluntas, de qua Sectione sequenti, libertas. 4<sup>o</sup>. Duplex operatio, divina, quæ Christo communis est cum Patre, et humana, quæ dicitur Theandrica. Definita hæc sunt in Conc. Constantinop. II. Omnia duplicia unius, ejusdemque Domini Salvatoris nostri J. C. secundum evangelicam traditionem asserimus; id est, duas ejus naturas prædicamus, divinam et humanam, ex quibus et in quibus etiam post admirabilem et inseparabilem unionem subsistit, et unamquamque ejus naturam proprietatem naturalem habere confitemur; et habere divinam omnia, quæ divina: humanam omnia, quæ humana sunt, absque peccato.

207. II. Quæcumque sunt in Christo propria uni naturæ secundum se, non posse tribui alteri naturæ etiam secundum se acceptæ, et præciso supposito. Unde falsæ sunt propositiones istæ: Humanitas est Deitas; est Omnipotentia; est æterna, omnipotens, immensa, etc. aut: Deitas est corporea, mortalis, composita, etc. Cujus ratio est, quia etsi in Christo detur communicatio idiomatum, ut suo loco ex industria ostendemus; non datur tamen nisi ratione suppositi utriusque naturæ communis: igitur si naturæ præscindantur ab hypostasi, inter eas hæc communicatio inveniri non poterit; quia, in illis præcisis, ipsius communicationis deficit fundamentum, quod est suppositum. Sed de his exactius suo loco.

208. III. Unionem hypostaticam, licet negemus contra Eutychianos factam esse in unitatem naturæ; hoc tamen non obstante, in alio et sano sensu dici potest etiam suo modo facta in natura, et non tantum in persona; quia non tantum personalitas divina Verbi unita fuit naturæ humanæ, sed etiam natura divina eidem humanitati unita fuit, licet mediate tantum, scilicet mediante Verbi personalitate, ut amplius constabit Dissert. seq.



209. IV. Etsi natura divina dici possit incarnata, scilicet in Verbo; inde tamen non inferes: etiam dici posse *passam, mortuam* esse; nam esse incarnatam, nihil importat aliud, quam esse unitam carni; at huic vere unita est, saltem mediate, mediante personalitate Verbi; nec per hoc mutationem subiit; subiisset autem, si vere dici posset *passa, mortua*, etc. Unde nec divinitas debet dici *passa*, ut volebant Eutychniani; nec solus homo, ut volebat Nestorius; sed Christus est passus et mortuus, non quidem secundum formam aut naturam Dei; sed secundum formam aut naturam humanam; quia actiones suppositorum sunt.

ALERE FLAMMAM VERITATIS  
ARTICULUS III.

S. CYRILLUM ALEXANDRINUM, CIRCA NATURARUM IN CHRISTO DIFFERENTIAM, ORTHODOXE SENSISSE, NEC FAVISSE EUTYCHIANIS OSTENDITUR.

S. CYRILLUM suum esse, unanimi voce prædicabant, quotquot erant Eutychnianismi sectæ: illum Eutychnianismi reum scriptores heterodoxi quidam recenter insimulant, ac probare conantur adductis et congestis illius ex Libris sententiis; ut operæ pretium sit, in genuinam hujus S. Patris mentem, de fide tam egregie meriti, studiose inquirere. Quare contra singulos

210. Dico. S. CYRILLUS Alexandrinus quoad dogma de duarum in Christo naturarum differentia prorsus orthodoxe sensit, omnique Eutychnianismi labe ac suspitione purus est.

*Prob. clarissimis S. CYRILLI sententiis: 1º. S. P. in L. 1. contra Nestorium, hujus impietatem arguens, quod Dei genitricem appellari B. Virginem nollet, longa oratione contendit: etsi Divinitas ipsa ortum ex Maria non acceperit, ita ut existendi ab ea initium faceret, Deum tamen Verbum, qui ante omnia secula ex æterno Patre natus est, novissime vere secundum carnem esse genitum; nitide simul utramque in Christo naturam integram, impermixtam, inconfusam, exprimit (opp. t. 6. p. 9. E.): Deus est revera Christus, et unus, ac solus Dei et Patris, non divisus in hominem seorsim et similiter in Deum; sed idem existens et ex Deo Patre Verbum, et ex muliere homo nostri similis. Quibus tum naturas in Christo differentes inesse, nec tamen divisas; tum ex duabus unam non existere compositam, uti ex anima et corpore fit homo, docet; nam et manere duas naturas asserit, quæ utrique generationi respondent; et eundem Christum non minus Deum esse, quam hominem nostri similem: quod falsum esset, si una constaret ex duabus composita natura et essentia. Nam totum ab unaquaque parte reipsa differt et essentia; nec ambo inter se nomine et definitione conveniunt. Non enim homo est anima, nec animæ definitio homini tribuitur, nec appellatio in recto, sed vel in obliquo, habens animam; vel denominative aut adjective, animatus: at Christus non solum habens Deum, aut Divinus, sed proprie Deus: similiter nec habens tantum hominem, vel humanus; sed homo dicitur.*

2º. L. 2. cont. Nestor. (ibid. p. 31. D.): Ergo unum confitere, naturas non dividens; sed ita, ut scias interim ac sentias, aliam esse carnis rationem:

*aliam divinitatis soli ipsi, Christo, convenientem. Non enim carnem ipsam Verbi divinitatem esse factam dicimus; sed divinam potius, tanquam ipsius propriam. Quibus aperte naturas duas a se invicem distinctas, sed non divisas affirmat, ac sine confusione, vel conversione unitas in compositionem unius hypostasis vel personæ; hoc enim significat vocabulum ὁ εἷς, unus. Deinde passim in libris contra Nestorium, et aliis, unum esse Christum ac Dei filium prædicat, qui sit utrumque, Deus et homo; hoc autem nullo modo convenit in unum aliquem, cujus tertia quædam natura sit, ex duabus illis, unde constat et componitur, velut partibus conflata. Sed expressius*

3º. In epist. ad Nestorium, quæ incipit, *Intelligo*, approbata in Concilio Ephesino (opp. t. 3. part. 2ª. sect. 2ª. p. 23. B.): *Asserimus, ait, Verbum unita sibi secundum hypostasin carne animata rationali anima, inexplicabili modo hominem factum: et quamvis naturæ sint diversæ, vera tamen unione coeuntes, unum nobis Christum et filium effecerunt: non quod naturarum differentia propter unionem sublata sit; verum quod divinitas et humanitas secreta quadam ineffabilique conjunctione in una persona unum nobis Jesum Christum et filium constituerint. Et*

4º. In epist. ad Joannem Antiochenum, fidem suam uberius, accuratiusque declarans CYRILLUS (ibid. p. 107. C.): *Deum, inquit, immutabilem, et qui alter fieri non potest natura sua, factum hominis filium, unum deinceps intelligi cum carne propria, et e caelo dici descendisse. Sed et hominem appellari de caelo; qui perfectus in divinitate: et idem in humanitate sit perfectus, et in una intelligatur esse persona. Unus est enim Dominus Jesus Christus; tametsi non sit ignota naturarum differentia. Hæc, inquam, CYRILLUS in ea epistola, quæ in Chalcedonensi Synodo præsertim approbata est, et in fidei regulam adscita: et quoniam ab Orientalibus recepta est, ac velut conciliatrix quædam fuit pacis et concordie, tanto majorem auctoritatem habet, et ex ea mens S. CYRILLI clarius et certius dignoscitur.*

His allatis similia plane in aliis CYRILLI scriptis occurrunt; in Commonitorio ad Eulogium (ibid. p. 133. A.), ubi dicit, errare Nestorium, non dicendo duas naturas, sed earum negando unionem substantialem. In ep. ad Valerianum (ib. p. 160.) et in duabus ad Successum epistolis.

*Conf. S. CYRILLUS cum JOANNE ANTIOCHENO, et Orientalibus in eandem convenit expositionem fidei, quam ab illis oblatam admisit, et contra ejus obtractatores defendit; at Orientales nullo modo suspecti unquam erant de Eutychnianismo, quin, ut dictum, aliquando ante pacem, CYRILLUM suspectum habebant, quod naturam humanam non perfectam cum Apollinari ipsis videretur adstruere in Christo, ut constat ex Sect. præc.; ergo dum eandem cum Orientalibus expositionem fidei est amplexus et professus, satis et luculenter ab omni se Eutychnianismi suspitione purgavit.*

211. Obj. I. S. CYRILLUS in ep. 1. ad Successum scribit (opp. t. 6. part. 2ª. sect. 2ª. p. 137. D.): *Post unionem naturas, alteram ab altera, non dividimus; neque in duos filios unum illum impartibilemque secamus; sed unum asserimus filium, ut et SS. Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam; ergo post unionem non nisi unicam in Christo naturam*



209. IV. Etsi natura divina dici possit incarnata, scilicet in Verbo; inde tamen non inferes: etiam dici posse *passam, mortuam* esse; nam esse incarnatam, nihil importat aliud, quam esse unitam carni; at huic vere unita est, saltem mediate, mediante personalitate Verbi; nec per hoc mutationem subiit; subiisset autem, si vere dici posset *passa, mortua*, etc. Unde nec divinitas debet dici *passa*, ut volebant Eutychniani; nec solus homo, ut volebat Nestorius; sed Christus est passus et mortuus, non quidem secundum formam aut naturam Dei; sed secundum formam aut naturam humanam; quia actiones suppositorum sunt.

ALERE FLAMMAM VERITATIS  
ARTICULUS III.

S. CYRILLUM ALEXANDRINUM, CIRCA NATURARUM IN CHRISTO DIFFERENTIAM, ORTHODOXE SENSISSE, NEC FAVISSE EUTYCHIANIS OSTENDITUR.

S. CYRILLUM suum esse, unanimi voce prædicabant, quotquot erant Eutychnianismi sectæ: illum Eutychnianismi reum scriptores heterodoxi quidam recenter insimulant, ac probare conantur adductis et congestis illius ex Libris sententiis; ut operæ pretium sit, in genuinam hujus S. Patris mentem, de fide tam egregie meriti, studiose inquirere. Quare contra singulos

210. Dico. S. CYRILLUS Alexandrinus quoad dogma de duarum in Christo naturarum differentia prorsus orthodoxe sensit, omnique Eutychnianismi labe ac suspitione purus est.

*Prob. clarissimis S. CYRILLI sententiis: 1º. S. P. in L. 1. contra Nestorium, hujus impietatem arguens, quod Dei genitricem appellari B. Virginem nollet, longa oratione contendit: etsi Divinitas ipsa ortum ex Maria non acceperit, ita ut existendi ab ea initium faceret, Deum tamen Verbum, qui ante omnia secula ex æterno Patre natus est, novissime vere secundum carnem esse genitum; nitide simul utramque in Christo naturam integram, impermixtam, inconfusam, exprimit (opp. t. 6. p. 9. E.): Deus est revera Christus, et unus, ac solus Dei et Patris, non divisus in hominem seorsim et similiter in Deum; sed idem existens et ex Deo Patre Verbum, et ex muliere homo nostri similis. Quibus tum naturas in Christo differentes inesse, nec tamen divisas; tum ex duabus unam non existere compositam, uti ex anima et corpore fit homo, docet; nam et manere duas naturas asserit, quæ utrique generationi respondent; et eundem Christum non minus Deum esse, quam hominem nostri similem: quod falsum esset, si una constaret ex duabus composita natura et essentia. Nam totum ab unaquaque parte reipsa differt et essentia; nec ambo inter se nomine et definitione conveniunt. Non enim homo est anima, nec animæ definitio homini tribuitur, nec appellatio in recto, sed vel in obliquo, habens animam; vel denominative aut adjective, animatus: at Christus non solum habens Deum, aut Divinus, sed proprie Deus: similiter nec habens tantum hominem, vel humanus; sed homo dicitur.*

2º. L. 2. cont. Nestor. (ibid. p. 31. D.): Ergo unum confitere, naturas non dividens; sed ita, ut scias interim ac sentias, aliam esse carnis rationem:

*aliam divinitatis soli ipsi, Christo, convenientem. Non enim carnem ipsam Verbi divinitatem esse factam dicimus; sed divinam potius, tanquam ipsius propriam. Quibus aperte naturas duas a se invicem distinctas, sed non divisas affirmat, ac sine confusione, vel conversione unitas in compositionem unius hypostasis vel personæ; hoc enim significat vocabulum ὁ εἷς, unus. Deinde passim in libris contra Nestorium, et aliis, unum esse Christum ac Dei filium prædicat, qui sit utrumque, Deus et homo; hoc autem nullo modo convenit in unum aliquem, cujus tertia quædam natura sit, ex duabus illis, unde constat et componitur, velut partibus conflata. Sed expressius*

3º. In epist. ad Nestorium, quæ incipit, *Intelligo*, approbata in Concilio Ephesino (opp. t. 3. part. 2ª. sect. 2ª. p. 23. B.): *Asserimus, ait, Verbum unita sibi secundum hypostasin carne animata rationali anima, inexplicabili modo hominem factum: et quamvis naturæ sint diversæ, vera tamen unione coeuntes, unum nobis Christum et filium effecerunt: non quod naturarum differentia propter unionem sublata sit; verum quod divinitas et humanitas secreta quadam ineffabilique conjunctione in una persona unum nobis Jesum Christum et filium constituerint. Et*

4º. In epist. ad Joannem Antiochenum, fidem suam uberius, accuratiusque declarans CYRILLUS (ibid. p. 107. C.): *Deum, inquit, immutabilem, et qui alter fieri non potest natura sua, factum hominis filium, unum deinceps intelligi cum carne propria, et e caelo dici descendisse. Sed et hominem appellari de caelo; qui perfectus in divinitate: et idem in humanitate sit perfectus, et in una intelligatur esse persona. Unus est enim Dominus Jesus Christus; tametsi non sit ignota naturarum differentia. Hæc, inquam, CYRILLUS in ea epistola, quæ in Chalcedonensi Synodo præsertim approbata est, et in fidei regulam adscita: et quoniam ab Orientalibus recepta est, ac velut conciliatrix quædam fuit pacis et concordie, tanto majorem auctoritatem habet, et ex ea mens S. CYRILLI clarius et certius dignoscitur.*

His allatis similia plane in aliis CYRILLI scriptis occurrunt; in Commonitorio ad Eulogium (ibid. p. 133. A.), ubi dicit, errare Nestorium, non dicendo duas naturas, sed earum negando unionem substantialem. In ep. ad Valerianum (ib. p. 160.) et in duabus ad Successum epistolis.

*Conf. S. CYRILLUS cum JOANNE ANTIOCHENO, et Orientalibus in eandem convenit expositionem fidei, quam ab illis oblatam admisit, et contra ejus obtractatores defendit; at Orientales nullo modo suspecti unquam erant de Eutychnianismo, quin, ut dictum, aliquando ante pacem, CYRILLUM suspectum habebant, quod naturam humanam non perfectam cum Apollinari ipsis videretur adstruere in Christo, ut constat ex Sect. præc.; ergo dum eandem cum Orientalibus expositionem fidei est amplexus et professus, satis et luculenter ab omni se Eutychnianismi suspitione purgavit.*

211. Obj. I. S. CYRILLUS in ep. 1. ad Successum scribit (opp. t. 6. part. 2ª. sect. 2ª. p. 137. D.): *Post unionem naturas, alteram ab altera, non dividimus; neque in duos filios unum illum impartibilemque secamus; sed unum asserimus filium, ut et SS. Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam; ergo post unionem non nisi unicam in Christo naturam*



agnovit. Idem vero quoad unam naturam incarnatam repetit S. CYRILLUS, ATHANASIVM citans in L. ad Reginas (opp. t. 5. part. 3<sup>a</sup>. sect. 3<sup>a</sup>. p. 48. A.).

R. N. Cons. Non enim S. Pater dixit, unam esse naturam Christi; sed unam naturam Verbi incarnatam: quod verissimum est, quia sola natura divina, in Verbo subsistens, incarnata est; et sensus dicti Cyrilliani est: naturam divinam Verbi unitam esse substantialiter humanitati in personalitate Verbi; et per hanc unionem substantialem duas illas naturas coire in unam personam, unum Christum, qui simul est Deus et homo. Ita enim S. CYRILLUS ipse declarat, illum, non alium, esse hujus tum suæ, tum aliorum Patrum sententiæ sensum, in commonitorio ad Eulogium (ibid. p. 133. A.): *Licet duas naturas esse dicat (Nestorius), carnis et Verbi Dei differentiam significans; est enim alia Verbi, alia carnis natura: attamen unionem una nobiscum non confitetur; nos enim illas adunantes, unum Christum, unum eundem filium, unum Dominum confitemur; et unam postremo Dei naturam incarnatam dicimus.* Sed et ep. 2. ad Successum (ibid. p. 143. E.) ita se purgat. *Si dicentes unam Verbi naturam, tacuissimus, ac minime adjunxissemus incarnatam, excluso propemodum dispensationis mysterio; esset fortassis illorum oratio non inepta, dum interrogare se simulant: ubinam est in humanitate perfectio, persona? quomodo subsistit illa nostra essentia? Sed quia et illa in humanitate perfectio, et essentiae nostræ declaratio est, dum dicimus incarnatam; desinant baculo niti arundineo.*

Hinc liquet, studiosè S. CYRILLUM, nec alia de causa ita locutum, quam ut Nestorii se perfidiæ opponeret, vitaretque subdolum illius unionem, quæ verbotenus uniebat naturas duas; re autem ipsa disjunctas, ac seorsim subsistentes habebat, non substantiali unitas nexu; sed morali. Quare ut ostenderet, illam naturarum in Christo conjunctionem esse substantialem contra Nestorium, ac divisionis expertem, Verbi unam naturam incarnatam dixit; h. e. naturam divinam ut subsistentem in personalitate Verbi.

Singula hactenus dicta ex Syn. gen. V. amplius elucidantur, dum Can. 8. sancit (Labb. t. 5. p. 574.): *Si quis unam naturam Verbi incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut Patres docuerunt: quod ex natura divina et humana, unionem secundum subsistentiam facta, unus Christus effectus est... anathema sit.* Ubi dum dicit: sicut Patres docuerunt, declarat, quo sensu dictum illud S. CYRILLUS acceperit.

212. Inst. 1. In L. ad Reginas cit. hæc: unam Verbi naturam incarnatam, sic intelligit, ut in Christo post unionem duas naturas neget; ergo.

R. D. A. Ut duas naturas in Christo neget simpliciter et absolute N. in sensu Nestorii: duas naturas accidentaliter solum unitas, sicque quoad rem divisas, et subsistentes C. En textum ipsum: *Agnosceamus illum Dei Filium, Deum esse secundum spiritum; filium autem hominis secundum carnem; en duas naturas asserentem integras, inconfusas: non duas naturas, unam adorandam, alteram non adorandam; en rejicit duas naturas in sensu Nestorii; scilicet ob unionem solum moralem et accidentalem reipsa divisas et seorsim subsistentes, ut proinde sola divina esset adoranda, non humana: sed unam naturam Verbi incarnatam, quæ simul cum ejus carne una adoratione adoratur; h. e. naturam Verbi se agnoscere incarnatam, sive*

substantialiter unitam humanitati in, vel mediante personalitate Verbi, quæ propter unionem simul cum ejus humanitate una adoratione adoratur; cum utraque natura in eadem divina persona subsistat. Unde pergit: *Neque duos rursum filios, alterum verum adorandumque, nempe Filium Dei; alterum ex Maria, hominem non adorandum; sed per gratiam perinde, ac cæteri homines cooptatum; uti sequebatur ex principio Nestorii.*

Igitur duas naturas solum in perverso Nestorii sensu rejicit; contra vero unam naturam Verbi incarnatam ponit, ut ostenderet, hanc esse substantialiter unitam humanitati in una personalitate Verbi; sicque unum esse Filium, unum adorandum.

213. Inst. 2. S. CYRILLUS naturas in Christo post unionem sola ratione vel cogitatione distingui ait; ergo supponit, ex duabus factam esse realiter unam. Prob. A. Nam epist. 2. ad Successum (opp. t. 5. part. 2<sup>a</sup>. sect. 2<sup>a</sup>. p. 143. B.) ait, illos (Nestorianos) ignorare, quæcumque non sola mentis consideratione distingui solent, ea prorsus etiam in diversitatem distinctam, omnifariam ac privatim a se mutuo segregari; unde infertur: ergo S. CYRILLO illa sunt diversa, et separantur a se mutuo, quæ non sola ratione, vel cogitatione distinguuntur. Atqui naturæ in Christo a se divisæ, vel separate non sunt, sed unitæ; ergo sola ratione jam distinguuntur.

R. N. A. Ad prob. Dico per τὸ *distingui*, quod Latinus CYRILLUS interpretis posuit, debere intelligi *dividi*, et S. CYRILLUM duas post unionem naturas sola ratione, vel cogitatione divisas dicere, quasi a se mutuo separatas. Evincitur id 1<sup>o</sup>. ex ipso, quod ad declarandum subdit, exemplo; scilicet animæ rationalis et corporis: at inter corpus et animam realem intercedere distinctionem, nemo dubitat; licet, quamdiu homo vivit nec divisa, nec separata sint.

2<sup>o</sup>. Græcum verbum διαίρεσις, unde διαίρεσις, ubi ubi S. CYRILLUS contra Nestorium agit, pro *divisione, separatione* sumit, et semper alias in hac controversia, ut allatis textibus demonstrat PETAV. Theol. Dog. de Incarn. L. 6. c. 9.

3<sup>o</sup>. Ex scopo S. CYRILLI, et subjecta controversia; quia enim Nestorius, contra quem, et ejus occasione scripsit hæc, profitebatur ἀδιαίρετον, indivisum in duos Christos aut filios, sed unum asserebat, conjunctione morali, non substantiali, vera et propria unionem, quæ unum per se efficeret; ex adverso pugnans CYRILLUS contendebat, stante unione solum morali, neque divisionem impediri, neque duos Christos, aut filios; et propugnans simul dogma Catholicum, invictè ostendebat, non esse divisioni locum in illo, cum substantiali unionem naturæ ambæ in una personalitate Verbi conjungerentur; æque parum, quam in homine vivente corpus et anima dici divisa possint; quod erat CYRILLI exemplum. Hinc liquet 1. S. CYRILLUM græcum διαίρεσιν, quo utitur, non potuisse non sumere pro *dividere*. 2. Male Latinum S. CYRILLI interpretem pro *dividi*, ut debuisset ponere, posuisse *distingui*.

214. Obj. II. Idem CYRILLUS epist. ad Acacium (ibid. p. 115. D.): *Afferimus, inquit, dum ea, ex quibus constat unus, et solus Filius, ac Dominus Jesus Christus, cogitando versamus, duas unitas esse naturas: post unionem*



vero, tanquam sublata jam sectione in duo, unam esse credimus filii naturam, ut unus, sed hominis facti, et incarnati; ergo.

R. D. A. Unam esse filii naturam, ad excludendam naturarum divisionem C. ad adstruendam naturam unam simpliciter et absolute N. Eodem sensu dixit hic unam naturam Filii incarnati, quo supra unam naturam Verbi incarnatam; ad excludendam in Christo divisionem naturarum post unionem. Unde hujus quidem loci hic genuinus sensus est: ante unionem antecessit illa sectio, vel divisio naturarum: non utique re; quia natura humana reipsa non fuit, antequam uniretur; ergo ratione, vel cogitatione præcessit; sicut etiam in divinis Pater est Filio prior origine; hinc ait, *cogitando versamus*. At post unionem negat dividi naturas, scilicet eo modo, quo intendebat Nestorius; quod natura Verbi, utpote *incarnati*, sit unita substantialiter humanitati, et jam ambæ coeant in unam personam Verbi, ut dividi non amplius possint.

215. Obj. III. L. de recta fide, humanitatem tradit assumptam esse in unam deitatis naturam; ergo unio ex mente CYRILLI facta fuit non tantum in unitatem personæ, sed etiam naturæ.

R. N. A. Sed hoc dixit (opp. t. 3. part. 2<sup>a</sup>. sect. 3<sup>a</sup>. p. 63. B.): *Jesus Christum assumptum esse in unam illam deitatis naturam*; quod verum est: Christus enim non solam humanam naturam significat; sed Verbum ipsum cum ea copulatum, et utramque simul naturam exprimit. Nimirum eo loco probare studet CYRILLUS, Christum non esse nudum hominem, sed Deum: atque hoc ex illis Apostoli verbis adstruit. 1. Cor. 8. v. 6. *Nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*; hic enim Christus una cum Deo Patre in unam deitatis appellationem ac naturam assumitur, ex quo Deus ipse monstratur, sicque ratiocinatur CYRILLUS: *Si solum unus est Deus; nec est alter præter ipsum; assumitur autem in unam illam deitatis naturam Jesus Christus, per quem omnia: consequens est, hunc esse Deum, qui consubstantialis Patri secundum divinitatem intelligitur etiam, quando appellatus est Jesus Christus*.

Hinc evidens est, id, quod CYRILLUS dixit, Jesum Christum assumptum esse in unam divinitatis naturam, hunc habere sensum: annumeratum esse Christum Deo Patri, ac perinde Deum esse nominatum, et ei attributam divinitatis naturam, quod idem valet, atque usitatum illud postea: *unum esse Christum de Trinitate, vel unam personam*.

## SECTIO III.

## DE GEMINA CHRISTI VOLUNTATE ET DUPLICI OPERATIONE.

Affinis hæc controversia superiori est, cum eaque connexa; unde merito hic jam illam pertractandam duximus. Occasionem controversiæ hujus Monothetæ, Eutychnismi quædam relicta portio, dederunt: dum, damnato jam Eutychnismo, duas quidem in Christo naturas utcumque externe professi, non nisi unam in Christo voluntatem, et operationem pariter solum unam asserebant; sicque naturam humanam in Christo non integram, nec perfectam. Unde 1<sup>o</sup>. *Monothelismi historiam* dabimus. 2<sup>o</sup>. In quo *hæresis Monothetarum sita fuerit*, inquiremus. 3<sup>o</sup>. *Stabiliemus dogma Catholicum*. 4<sup>o</sup>. *Monothelismi labe, omnique mala œconomia et culpa Honorium I. fuisse immunem ostendemus*.

## ARTICULUS I.

## MONOTHELISMI SYNOPSIS HISTORICA.

## §. I.

## Origo.

216. Prima hujus hæresis incunabula in anno Christi 630. figimus: quod circa id temporis in flammis erumpere cœperit; licet jam prius sub cinere glisceret, et occultis Athanasii Jacobitarum Patriarchæ, Sergii Constantinopolitani, Theodori Pharanitani Episcopi consiliis foveretur. Res ita habuit, teste THEOPHANE in miscell. et CEDRENO. Cum Heraclius imperator, confecto bello Persico, Hierapoli consisteret anno imperii 20., qui juxta annales Græcorum erat Christi 630., Athanasio, Syro genere et Patriarchæ Jacobitarum (qui sectæ Eutychniæ portio, et Jacobitarum nomine, quam tunc in viso Eutychnianorum nomine, appellari malebant), Antiochenum Patriarchatum promittebat, si Chalcedonensi Synodo, duas in Christo naturas discernenti, subscriberet. Athanasius in Imperatoris vota sine mora ivit, sed astute simul quæstionem Cæsari movit de voluntate et actione Christi; duplicemne credere oporteret, an unicam? Ad quam hæsitans Imperator Sergium Constantinopolitanum, teste Syn. VI. Act. 13., qui et ipse Syrus genere, et Jacobitis ortus parentibus, ejusdemque cum Athanasio hæresis fuit socius, per litteras consuluit, qui respondit, non nisi unicam in Christo voluntatem, actionemque dici posse.

Anno 633. Cyrus Alexandrinorum Patriarcha, communicatis cum Theodoro, Pharanis Episcopo consiliis, unius voluntatis ac operationis dogma publice proposuit, et coacta in Synodo novem capita cum totidem anathematis



vero, *tanquam sublata jam sectione in duo, unam esse credimus filii naturam, ut unus, sed hominis facti, et incarnati*; ergo.

R. D. A. Unam esse filii naturam, ad excludendam naturarum divisionem C. ad adstruendam naturam unam simpliciter et absolute N. Eodem sensu dixit hic unam naturam Filii incarnati, quo supra unam naturam Verbi incarnatam; ad excludendam in Christo divisionem naturarum post unionem. Unde hujus quidem loci hic genuinus sensus est: ante unionem antecessit illa sectio, vel divisio naturarum: non utique re; quia natura humana reipsa non fuit, antequam uniretur; ergo ratione, vel cogitatione præcessit; sicut etiam in divinis Pater est Filio prior origine; hinc ait, *cogitando versamus*. At post unionem negat dividi naturas, scilicet eo modo, quo intendebat Nestorius; quod natura Verbi, utpote *incarnati*, sit unita substantialiter humanitati, et jam ambæ coeant in unam personam Verbi, ut dividi non amplius possint.

215. Obj. III. L. de recta fide, humanitatem tradit assumptam esse in unam deitatis naturam; ergo unio ex mente CYRILLI facta fuit non tantum in unitatem personæ, sed etiam naturæ.

R. N. A. Sed hoc dixit (opp. t. 3. part. 2<sup>a</sup>. sect. 3<sup>a</sup>. p. 63. B.): *Jesus Christum assumptum esse in unam illam deitatis naturam*; quod verum est: Christus enim non solam humanam naturam significat; sed Verbum ipsum cum ea copulatum, et utramque simul naturam exprimit. Nimirum eo loco probare studet CYRILLUS, Christum non esse nudum hominem, sed Deum: atque hoc ex illis Apostoli verbis adstruit. 1. Cor. 8. v. 6. *Nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*; hic enim Christus una cum Deo Patre in unam deitatis appellationem ac naturam assumitur, ex quo Deus ipse monstratur, sicque ratiocinatur CYRILLUS: *Si solum unus est Deus; nec est alter præter ipsum; assumitur autem in unam illam deitatis naturam Jesus Christus, per quem omnia: consequens est, hunc esse Deum, qui consubstantialis Patri secundum divinitatem intelligitur etiam, quando appellatus est Jesus Christus*.

Hinc evidens est, id, quod CYRILLUS dixit, *Jesus Christum assumptum esse in unam divinitatis naturam, hunc habere sensum: annumeratum esse Christum Deo Patri, ac perinde Deum esse nominatum, et ei attributam divinitatis naturam, quod idem valet, atque usitatum illud postea: unum esse Christum de Trinitate, vel unam personam*.

## SECTIO III.

## DE GEMINA CHRISTI VOLUNTATE ET DUPLICI OPERATIONE.

Affinis hæc controversia superiori est, cum eaque connexa; unde merito hic jam illam pertractandam duximus. Occasionem controversiæ hujus Monothetæ, Eutychnismi quædam relicta portio, dederunt: dum, damnato jam Eutychnismo, duas quidem in Christo naturas utcumque externe professi, non nisi unam in Christo voluntatem, et operationem pariter solum unam asserebant; sicque naturam humanam in Christo non integram, nec perfectam. Unde 1<sup>o</sup>. *Monothelismi historiam* dabimus. 2<sup>o</sup>. In quo *hæresis Monothetarum sita fuerit*, inquiremus. 3<sup>o</sup>. *Stabiliemus dogma Catholicum*. 4<sup>o</sup>. *Monothelismi labe, omnique mala œconomia et culpa Honorium I. fuisse immunem ostendemus*.

## ARTICULUS I.

## MONOTHELISMI SYNOPSIS HISTORICA.

## §. I.

## Origo.

216. Prima hujus hæresis incunabula in anno Christi 630. figimus: quod circa id temporis in flammis erumpere cœperit; licet jam prius sub cinere glisceret, et occultis Athanasii Jacobitarum Patriarchæ, Sergii Constantinopolitani, Theodori Pharanitani Episcopi consiliis foveretur. Res ita habuit, teste THEOPHANE in miscell. et CEDRENO. Cum Heraclius imperator, confecto bello Persico, Hierapoli consisteret anno imperii 20., qui juxta annales Græcorum erat Christi 630., Athanasio, Syro genere et Patriarchæ Jacobitarum (qui sectæ Eutychniæ portio, et Jacobitarum nomine, quam tunc in viso Eutychnianorum nomine, appellari malebant), Antiochenum Patriarchatum promittebat, si Chalcedonensi Synodo, duas in Christo naturas discernenti, subscriberet. Athanasius in Imperatoris vota sine mora ivit, sed astute simul quæstionem Cæsari movit de voluntate et actione Christi; duplicemne credere oporteret, an unicam? Ad quam hæsitans Imperator Sergium Constantinopolitanum, teste Syn. VI. Act. 13., qui et ipse Syrus genere, et Jacobitis ortus parentibus, ejusdemque cum Athanasio hæresis fuit socius, per litteras consuluit, qui respondit, non nisi unicam in Christo voluntatem, actionemque dici posse.

Anno 633. Cyrus Alexandrinorum Patriarcha, communicatis cum Theodoro, Pharanis Episcopo consiliis, unius voluntatis ac operationis dogma publice proposuit, et coacta in Synodo novem capita cum totidem anathem-



matismis condidit, quibus *operatio una* non obscure firmabatur. Extant hæc capita in Syn. VI. Act. 13. S. SOPHRONIUS vero adhuc dum monachus, qui Synodo intererat, cum, conatu irrito, se *Cyro* opposuisset, Constantino-polim ad Sergium se contulit. Quem cum eadem infectum lue comperisset, recessurus inde, in genua provolutus monuit, *Christi Dei passionibus vivificis obtestans*, ait S. MAXIMUS in Disp. cum Pyrrho, *ne vocem hæreticorum, unam operationem, probe a SS. Patribus extinctam renovaret.*

Eodem anno S. SOPHRONIUS in sedem Hierosolymitanam evehitur, ac sine mora habita Synodo, epistolam synodicam edidit gravem Patrum sententiis pro orthodoxo dogmate, cujus exemplar Honorio Rom. Pontif. misit, et Sergio. Sergius inde sibi metuens a Sophronio, plenas fraudam litteras ad Honorium dedit, multa mendacissime de Sophronio scribens, velut *eum secum (Sergio) convenisse, ut neuter, unius vel duplicis operationis vocem usurparet*; et id genus plura, quæ legi possunt in Dissertat. nostra de Honorio. Sed ex hoc ipso jure argui potest, illam Sergii epistolam, hic interpolatam esse. Et vero quod mendaciorum ejusmodi pretium sperare Sergius poterat, quorum summo suo probro, se a SOPHRONIO apud HONORIUM convincendum esse, non poterat non providere; cum non ignoraret, SOPHRONIUM scripsisse ad HONORIUM: quod SOPHRONIUS ipse Sergio significarat.

Interea dum ita res fervet, an. Chr. 638. moritur HONORIUS I. 12. Octobris. Eodem anno Sergius *Ecthesin* suam, quam duobus ante annis, et amplius conscripserat, Heraclii imperatoris nomine divulgavit, ipseque paulo post, ante adhuc exitum ejusd. anni 638., mense Decembri extinctus est Sergius, ut nos docet in Chronico suo Nicephorus, qui annos episcopatus Sergii, et Pyrrhi, qui Sergio successit, recenset: ut annorum ratione recte subducta, Sergius post mensem Decembrem superstes esse non potuerit. Quid vero entis illa *Ecthesis* fuerit, nunc in sequ. §. exponetur. HONORIO vero successit SEVERINUS anno 640. quo et rursus decessit, subrogato huic JOANNE IV. ann. eod. die 4. Decembris.

## §. II.

*Ecthesis Heraclii, sive rectius Sergii.*

217. *Ecthesis* illa expositio fidei erat, in qua post longam satis explanationem catholicam Trinitatis, itemque Incarnationis, simul datur ratio, cur *nec unam, nec duas dici operationes* in Christo oporteat, ac tandem in fine una in Christo voluntas asseritur. *Ecthesis* illa non aliter quam Heraclii dicebatur, quod sub ejus prodiisset nomine; auctor vero ejusdem *Sergius* erat. Cum enim eandem condemnasset JOANNES IV., SEVERINI successor, Heraclius se purgaturus, *Ecthesis*, scribebat ad Joannem, *non est mea: sed cum hanc Sergius composuisset ante quinque annos, deprecatus est me, ut nomine meo proponeretur.* A quo tempore *Ecthesis Sergiana* appellari cœpit. Circa illam

Notandum, *Ecthesin* illam jam anno 636. ineunte, adeoque duobus ante Honorii decessum annis, fuisse a *Sergio* conscriptam; quod inde conficitur. Ait Heraclius in sua ad Joannem epistola, quod *Sergius* jam *ante quinque annos* illam composuerit. Joannes vero in Severini locum subvectus fuit

anno 640. 4. Decembris, ut ex hujus vita habetur: et Heraclius, juxta annales Græcorum anno insequenti 641. Februarii 11. obiit. Inde fit consequens, Heraclium ad Joannem IV. scripsisse anno 641. ineunte, non ante; quia Joannes nondum erat summus Pontifex: nec postea; quia Heraclius e vita migravit; igitur cum scribat Heraclius, *Sergium* composuisse *Ecthesin ante annos quinque*; necesse est, illam anno 636. duobus ante Honorii obitum confecerit. Quæ observatio infra inserviet.

## §. III.

*Typus Constantis Imperatoris.*

218. Anno 648. Constans imperator *Typum* edidit, Pauli Constantinopolitani, qui Pyrrho ea in sede successerat, partum: utpote qui eundem, ut Sergius *Ecthesin*, conceperat, ut constat ex libello Synodico, qui oblatus est S. MARTINO S. P. in Secret. 2. Concil. Lateran. *Typus* vero edictum fuit, quo statuebatur, *ut, qui sunt Catholicae et Apostolicae Ecclesiae, non habeant licentiam invicem a præsentibus, de una voluntate, aut una operatione; aut duarum voluntatum, ac duarum operationum qualemcumque altercationem aut contentionem instituendi.* Verbo: quo imperabatur silentium de catholico dogmate.

At S. MARTINUS eo tempore summus Pontifex, in Conc. Lateranensi Episcoporum 130. *Ecthesin*, quam jam SEVERINUS, JOANNES IV., THEODORUS Martini prædecessor, sicut et Pyrrhum et Paulum damnaverant, iterato damnat: Itemque Monotheletarum hæresin, ejusque propugnatores, *Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Constantinopolitanos Patriarchas, ac Typum* CONSTANTIS condemnat, data ad omnes fideles ea de re epistola.

CONSTANS imperator idcirco in furorem actus, S. MARTINUM Constantinopolim per *Calliopum* abduci præcipit, ubi admodum contumeliose habitum, Chersonesum relegat in exilium, in quo ærumnis confectus gloriosus martyr occubuit.

## §. IV.

*Synodus Generalis VI. sive Constantinopolitana III.*

219. Anno 678. Constantinus Pogonatus imperator ad DONUM S. P. scribit pro cogenda generali Synodo. AGATHO, qui DONO successerat, conspecto Imperatoris zelo pacem reddendi Ecclesiae, ipse Romæ Synodum coegit, qua rursus confixa Monotheletarum hæresis. Ac Synodi quidem nomine JOANNES PORTUENSIS, ABUNDANTIUS PATERNENSIS, JOANNES RUEGITANUS, Episcopi; ab AGATHONE vero THEODORUS, et GREGORIUS Presbyteri, JOANNES Diaconus delegantur Constantinopolim, Papæ ac Synodi de catholica Trinitatis, et Incarnationis fide litteras perlaturi ad Cæsarem. Alias AGATHO addidit, quibus celebrandæ Synodi formam præscribit, mandatque sub anathematis poena, ut propositam a se fidem Synodus susciperet. Illud insuper Legatis mandaverat AGATHO, quod etiam continebant litteræ, *ut traditionem Aposto-*



*licæ Sedis, ut a Prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter referrent; nec præsumerent augere, vel minuere, sed præcise, quantum ipsis injunctum, satisfacere.*

Quare anno 680. datum Synodo initium. Inter cætera ejus Acta, quæ vid. in Tr. de Princip. Theol., sequentia in rem nostram observamus.

Act. III. cum Synodi V. codex legeretur, Monotheletarum impietas patuit; quippe geminis in locis depravasse codicem deprehensi; primo addendo fictitium sub S. MENNÆ nomine libellum, ad VIGILIUM Beatiss. Papam Rom. de eo, quod una sit Christi voluntas. Deinde libellos duos in Act. 7. ejusd. Synodi V. eidem VIGILIO supposuisse convicti, quorum alter ad Justinianum Imperatorem, alter ad Theodoram Augustam datus, dicebatur, inque iis VIGILIUS dixisse anathema in eum, *qui non consistet in Christo.. unam operationem*, quos codices Imperatori obtulerat ante Synodum Macarius Antiochenus eo tempore Monotheletarum caput; illisque immiscuerat, ut liquet ex Act. XII., exemplum epistolæ HONORII, quæ ejus prima ad Sergium dicitur.

Act. V. cum Macarius Antiochenus, alique Monotheletæ, qui aderant, polliciti fuissent Act. I. suam de una in Christo voluntate sententiam et Conciliorum sacrorum definitionibus, et sanctorum Patrum confirmare testimoniis, nihil vero asserre potuissent ex Conciliis, jussi sunt proferre sanctorum Patrum, quæ jactaverant, testimonia. Duos igitur obtulere codices sub titulo: *Testimonia sanctorum Patrum, unam Domini nostri Jesu Christi voluntatem docentia, quæ est etiam Patris et Spiritus sancti: statimque lecti fuere codices, dataque Macario a Synodo facultas fuit, nova, si vellet, testimonia proferendi; quin, quid evicisset Macarius, quid opposuissent Legati, quid alii orthodoxi Patres, aut saltem unus ex singulis inter hujus Actionis Acta notatum existeret. Primus igitur hic locus est, ex quo, Synodi hujus Acta manca esse atque mutila, dilucet. Nam quis prudens sibi in animum inducat, cum Macarius cæterique Monotheletæ geminos integros codices non nisi truncatis, corruptis, fictis SS. Patrum sententiis de una Christi voluntate refertos protulissent, omnes, tam Legatos Apostolicos, quam cæteros sedisse elingues, fraudem pessimam non objecisse hæreticis, ut constanter tamen fecere alias in Act. III. IV. præcedentibus, ac subsequente VI.*

*Nota: Acta hujus Synodi VI. manca mutilaque dici ex nostra in Act. V. animadversione, gravissime habuit ante annum P. Romanus Fischer Ord. Eremit. S. P. Augustini in Diss. de Honorio I. P. in Syn. VI. vere et juste condemnato, probatque §. III. c. 2. integro; quia Constantino roganti, an pars Macarii aliud proferre vellet, retulit Macarius et Stephanus: sufficientes sumus, aliud proferre nolumus. Signatis codicibus Legati: piissime Domine, inquit, adhuc aliquid de una voluntate et operatione non ostenderunt Macarius, etc., sed et ipsa testimonia, quæ protulerunt, detruncaverunt. At mirari subit, qua fide P. Romanus hæc verba opponat, cum non in Act. V. de qua hic sermo est, sed in Act. VI. extent, referanturque ad codicem novum, quem in hac Act. pars Macarii obtulerat. Legat, amabo! lector Actionem utramque in Act. Concilior. apud HARDVIN. t. 3. atque ita esse, ut dixi, comperiet.*

Act. VI. novæ corruptionis, novarumque fraudum in mutilandis et depravandis Patrum scriptis Macarius reus convincitur; tum in Act. VIII., quod

fidei ab AGATHONE propositæ subscribere nollet, ei *ceu novo Dioscuro, novo Apollinari* dictum anathema. Act. IX. cum allata a Macario testimonia collata essent cum Patriarchii codicibus, nova ejus corruptio patuit.

Act. XII. Imperator codices illos, quos a Macario acceperat, simul misit ad Synodum, inter quos, ut dictum ante, erat *exemplum* primæ Honorii ad Sergium Epistolæ. Hinc notetur 1º. Macarium, cum Synodum ad Monotheletarum extirpandos errores cogendam intelligeret, movisse omnia, ut Imperatorem suas in partes pertraheret, quod et Episcopi hac ipsa in Act. notarunt, reprehendentes Macarium *in devia mittentem Principem per oblatos illi codices.* 2º. Exemplum epistolæ Honorii, quale a Macario oblatum, nusquam antea apparuisse, vel ulli fuisse cognitum. Ideo unus Macarius semper appellabat Honorium, eum Monotheletis annumerans, gnarus quo id argumento faceret, quo fine; credebat videlicet Macarius hac ratione aut non damnatum iri in Synodo Monotheletarum dogma, si et MENNAM Episcopum Constantinopolitanum vitæ sanctitate clarum, tum VIGILIUM ac HONORIUM Romanos Pontifices ejusdem fuisse vel dogmatis auctores; vel certe sectatores aliis persuaderet; aut, si damnandum esset Monotheletarum dogma, hoc saltem solatio foret, quod cum Monotheletis una damnarentur Mennas, Vigilius, et Honorius.

Act. XIII. Dictum anathema Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, Cyro, Theodoro; tum HONORIO ob ejus Act. præc. epistolam adulterinis illis insertam codicibus. Jussus deinde GEORGIUS CHARTOPHYLAX ex Patriarchio asserre cætera PYRRHI, PETRI, PAULI scripta, aliam HONORII epistolam, quæ *secunda* dicitur, quaque rursus silentium, sicut in prima, de operationibus Christi indicebatur, fortuito se reperisse aiebat: quæ, sine inquisitione alia, continuo flammis data.

*Nota in Act. XIII. De hac secunda Honorii epistola nemini mortalium quidquam antea innotuerat; nequidem Macario, quam alioquin certo pariter inseruisset illis codicibus, de quibus Act. XII., sicut illam, quæ prima Honorii ad Sergium dicitur. Quid vero Agathonis Legati dixerint, cum Romani Pontificis epistola damnaretur ad rogum, nec verbulo refertur; manifesto rursus argumento, quædam in Actis desiderari, quod Artic. V. amplius probabitur.*

Act. XVII. proposita fidei definitio contra Monotheletas fuit. Ac demum Act. XVIII. repelito in singulos anathemate, terminata cum acclamatione ad Imperatorem Synodus.

## ARTICULUS II.

CONTRA MONOTHELETARUM IMPIETATEM DEFENDITUR DOGMA CATHOLICUM.

220. *Nota.* Monotheletas sic dici ab unitis voluntatis in Christo, tum; quod inde sequitur, unius operationis assertione, ex dictis abunde liquet. Quo vero sensu unam voluntatem dixerint, quædam est controversia. Sunt, qui cum VASQUEZIO non ipsam *potentiam*, sed hujus *actum* solummodo Monotheletis negatum volunt, ideo, quod concessis duabus in Christo naturis;



adeoque et humana, hujus voluntatem negare non potuerint; quippe quæ ex natura fluit per se.

At communis contra est sententia, et tenenda, ipsam humanæ voluntatis facultatem, sive potentiam, impios Christo abnegasse, sic, ut in Christo solam voluntatem divinam remansisse dicerent, quæ animam immediate, perque animam corpus moveret ad actiones, ita ut una pariter esset operatio, a Verbo tanquam fonte profluens, et per animam, corpusque in externum usque opus se effundens. Et satis aperte hæc Monotheletarum mens inde cognoscitur: 1°. Ex propria eorum confessione; voluntatem enim humanam, sive hanc naturalem, quod confiteri nolle Macarius, in Syn. VI. damnatus fuit. 2°. Ex epist. AGATHONIS, qua definivit contra Monotheletas, in Christo duas naturales voluntates, et duas naturales operationes, ubi distinguit voluntatem ipsam ab actu. Ex Syn. VI. Act. 8., dum quærit ex Macario: *an Christus humanam habuerit voluntatem et impeccabilem?* ubi aperte voluntas submititur pro ipsa potentia. At simpliciter negavit Macarius. Quamquam propterea dissimulari non possit, Monotheletas subin æquivoce locutos esse, cum a Catholicis premerentur.

Rationem vero prioris sententiæ quod attinet, ruit illa 1°. quod Monotheletas solo ore naturas duas professos esse, sit vero longe propius, cum ab iisdem ortum duxerint, qui portio erant Eutychiæ sectæ. 2°. Quia falsum est suppositum contrariæ sententiæ; Monotheletæ enim actiones perinde ac voluntates hypostasim, non naturam sequi, pro sui erroris fundamento dicebant, h. e. ut aiebant ipsi, ὑποστατικὰ esse Θελήματα, non φυσικὰ, proinde voluntates non pro naturarum, sed hypostaseon numero multiplicari. Unde S. JOANNES DAMASCENUS id refellens identidem regerebat illud: *Naturales, non hypostaticas, dicimus voluntates.* L. 3. de Fide Orthod. c. 14. et passim.

221. Dico. Duæ sunt in Christo voluntates, et duæ pariter operationes, seu volitiones, divina scilicet et humana.

Conclusio est dogma fidei, et definita in variis Conciliis, Lateranensi sub S. MARTINO I., in Synodo generali VI. ea de causa celebrata: Item in generali VII. et VIII. Sed et præterea

Prob. I. EX SACRIS SCRIPTURIS. Matth. 26. 39. *Non sicut ego volo; sed sicut tu.* Luc. 22. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Joan. 5. 31. *Non quero voluntatem meam; sed ejus, qui misit me.* Et Joan. 6. 38. *Descendi de celo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* His aliisque similibus textibus clare exprimitur voluntas humana in Christo; sed divinam in Christo nec Monotheleta aliquis, nec ullus unquam hæreticus, aut homo negavit; cum hanc Verbum amittere non posset; ergo.

Prob. II. RATIONIBUS THEOLOGICIS. 1°. Quoad duas voluntates. Voluntatis est naturæ, non hypostasis, proprietas, ut constat ex mysterio Trinitatis; ubi tres licet personæ sint, tamen una tantum voluntas est, ut contra Pyrrhum argumentabatur S. MAXIMUS (opp. t. 2. p. 161.); et ait AGATHO S. P. in epistola quæ extat Act. IV. gener. Synodi VI. (Lab. t. 6. p. 637. B.). Atqui in Christo est natura humana integra et perfecta; ut constat ex dictis contra Eutychem: et aliunde certum est, Verbum per assumptionem naturæ humanæ

nullam esse diminutionem passum in natura sua divina, cui voluntas competit; ergo.

2°. Quoad operationes. Hæc enim sequuntur formas, sive agendi principia: atqui hæc in Christo diversa sunt; scilicet naturæ diversæ, et diversæ voluntates; ergo. Nititur hæc ratio auctoritate Patrum. Sic enim ratiocinati Patres sextæ Synodi in sermone prosphœnetico (Lab. t. 6. p. 1032. C.) *Perfectum igitur in divinitate, et eundem in humanitate perfectum, secundum antiquas Patrum traditiones, et divinam Chalcedone sancitam formulam prædicamus. Atque uti naturas duas accepimus, ita et duas naturales voluntates, et duas naturales ipsius operationes agnoscimus. Quippe neutram in Christo naturam in ejus Incarnatione voluntatis expertem, aut operationis audebimus asserere; ne earum proprietates perimentes, naturas una perimamus.* Sic S. DAMASCENUS de fid. orthod. L. 3. c. 15. *Salva, inquit, naturarum differentia, salvæ erunt et eorum operationes. Non enim natura ulla est operationis expertis.* Huic item argumento S. MAXIMUS insistebat in Disputatione cum PYRRHO habita Carthagine (opp. t. 2. p. 163.)

3°. Quoad utrasque. Juxta Scripturas divinas Christus satisfacit pro peccatis nostris, ad Ephes. 1. 7. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* 1. Tim. 2. 6. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Fuit obediens, ad Philipp. 2. 8. *Factus obediens usque ad mortem.* Vere meruit; nobis quidem dona supernaturalia, hoc enim vult Apostolus ad Ephes. 1. 6. *Gratificavit nos in dilecto Filio suo,* sive per hunc, h. e. ejus merita: sibi vero exaltationem et gloriam, ad Philipp. 2. 8. *Factus obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum,* etc. Atqui non potuisset Christus ponere actus vere satisfactorios, meritorios, obedientiæ, nisi habuisset voluntatem humanam perfecte liberam, quæ actus illos eliceret; voluntas enim divina ejusmodi actus proprie tales elicere nequit, utpote qui naturæ, a qua eliciuntur, inferioritatem exigunt; ergo.

222. Obj. I. EX SS. PATRIBUS. S. DIONYSIUS, vulgo AREOPAGITA, epist. 4. ad Caium, unam tradit in Christo esse deivirilem actionem: *Qui non secundum Deum divina gessit, nec humana secundum hominem. Verum Deo viro facto unam quamdam deivirilem actionem expressit.* Quod idem docet L. de Divin. Nominib. c. 12.

R. 1°. N. A. Sed ita textum S. Patris olim Monotheletæ depravarunt; cumque S. DIONYSIUS posuisset novam deivirilem, sive theandricam operationem, impii supposuerunt unam, teste S. MARTINO I. in Concil. Lateran. (Lab. t. 6. p. 183. A.) et Synodo gen. VI. Act. 14. (id. ibid. p. 960. D.)

R. 2°. Permisso etiam gratis in S. Dionysio legi unam, nihil hoc prodesset Monotheletis, cum in sensu plane catholico id dicere potuerit; quia omnis actio humana et volitio est elicitive quidem a natura humana ceu principio quo; sed a Verbo denominative, ceu principio quod; actiones enim suppositi sunt; sicque actio potest dici una propter unitatem suppositi operantis in duabus naturis.

223. Inst. 1. S. DIONYSIUS actionem Christi ait esse theandricam, sive deivirilem; ergo, sive posuerit unam, sive novam, intellexit unam; vox enim deivirilis unam actionem compositam, vel confusam indicat.



R. N. *Cons. et prob.* Sed *deivirilis* dicitur sive theandrica, quia est Dei hominis, elicitive a natura humana; denominative a Verbo, ut supposito agente ut quod, unde valorem et dignitatem capit; sicque revera est actio *nova*; quippe soli propria composito theandricō, ut inquit SOPHON. in ep. lecta Act. 11. Syn. VI. (Labb. t. 6. p. 880. A.).

*Observe* ex cod. S. SOPHON. loco cit., item ex S. MAXIMO in notis ad ep. 4. cit. S. DIONYSII, in Christo triplex inesse operationum genus. 1°. Aliæ pure *divinæ* sunt, quas in Christo sola operatur Divinitas, quin humanitas concurrat per modum etiā causæ instrumentalis, ut creatio, conservatio, concursus divinus ad actiones creaturarum. 2°. Aliæ sunt *humanæ*, et naturæ humanæ sunt propriæ; ut actus amoris ab humana voluntate elicitus, intellectionis humanæ, obedientiæ, comestionis, passionis, etc. quæ tamen actiones etiā sunt Verbi denominative, tanquam suppositi. 3°. Aliæ *mixtæ*, dum utraque operatur natura et concurril ad actionem, ut dum Christus suo contactu patrât miracula; evocando e sepulcro Lazarum, etc. Hæ actiones magis specialiter *theandricæ* dicuntur, quia naturæ utriusque actionem continent; divinæ, per omnipotentiam concurrentis; humanæ, præstantis contactum, etc. etsi utriusque naturæ sic concurrentis actio in se distincta, et inconfusa sit.

224. *Inst.* 2. Juxta SS. Patres humanitas Christi erat Verbi divini instrumentum et organum; *Usus est*, inquit S. CYRILL. ALEXANDRIN. Dialogo de Incarnat. (opp. t. 5. part. 1°. p. 680. C.) *tanquam instrumento, propria carne.* S. ATHANAS. L. de Incarn. et orat. 4. (al. 3. n. 31.) in Arianos: *Cum Deus esset, proprium habuit corpus quo ut instrumento utens, homo propter nos factus est.* Atqui instrumentum non habet actionem propriam, et ab illa causæ principalis distinctam; ergo.

R. D. M. Erat Verbi instrumentum inanime N. activum et liberum, quod esset simul actionum suarum principium determinativum C. Sic D. m. et N. *Cons.* Natura humana erat Verbi instrumentum, quatenus illa utebatur ad nostram redemptionem; cum enim ipsa Verbi divinitas secundum se expers sit omnis passibilitatis, naturam humanam assumpsit, quæ actus meritorios et satisfactorios libere produceret, quibus una Verbum valorem ac pretium tribueret. Hoc volunt Patres. Unde et S. GREGOR. NYSSEN. contra Eunom. orat. 5. (opp. t. 2. p. 594. A.): *Divinitatem, ait, per corpus, quod induit, hominum omnium revera salutem, operatam, ut propria sit carnis perpressio, Dei autem (utpote suppositi denominative, et dignificantis) operatio.*

225. *Inst.* 3. S. CYRILL. ALEXANDR. L. 4. in Joan. (opp. t. 4. p. 361. D.) de Christo suscitante filiam principis Synagogæ ait: *Eam nempe omnipotenti suo jussu, ut Deus, et rursus tactu sanctæ carnis, vivificando, unam et cognatam per ambas naturas ostendit operationem; ergo.*

R. D. et *expl.* Unam unitate suppositi; vel unam *theandricam*, juxta superius dicta, et sic *cognatam*, quia actio eadem naturæ humanæ, a qua et ex cuius propriæ voluntatis imperio procedebat, erat simul Verbi denominative ut suppositi C. secus N. Etiam dum in patratione miraculorum natura humana præstabat vocem, contactum et similia, id simul

fiabat ex humanæ voluntatis imperio, semper paratæ ad divinæ nutum voluntatis.

226. *Obj. II.* Ex ratione. 1°. Si in Christo essent duæ voluntates, essent duo volentes; sed hoc est falsum. 2°. Christus unus est: Item est unum tantum operans; ergo et una tantum in eo voluntas est. 3°. Si duæ essent in Christo voluntates, hæ inter se discordes essent; sed hoc Christo repugnat.

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. N. *seq.* Non enim plures, ad multiplicationem voluntatum præcise, etiā multiplicantur volentes; alioquin in Trinitate, sicut est unica voluntas, sic unicum volens esset. Nimirum voluntas naturam sequitur, ad eamque pertinet; nam in divinis uti natura una, sic una tantum voluntas est; at *volens* personam respicit; hinc quia in divinis personæ sunt tres; totidem volentes sunt. At in Christo non nisi persona una est; ergo et volens unicum.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. D. Christus unus est supposito solo C. etiā natura N. At jam diximus: voluntas non hypostasis, vel personæ; sed naturæ proprietas est. *Sane quidem simpliciter velle naturæ est*, aiebat S. MAXIMUS in disputatione cum PYZRHO. D. etiā alterum: Est unum operans *ut quod*; quia est persona una, vel suppositum unum C. unum operans *ut quo* N. Operans ut quo natura est; sed hæc in Christo duplex fuit, ergo et voluntas ex dictis, et volitio.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. N. *seq.* Illa enim voluntatum discordia vel fuisset, ut argumentabatur S. MAXIMUS, naturalis, et Deum habuisset auctorem; quod est blasphemum dicere; vel fuisset peccati cujusdam effectus: sed nec Christus peccati capax fuit, nec natura, quam assumpsit, instar nostræ, vitiata aliquando peccato fuit, ut aiebat HONORIUS I. S. P. epist. ad SERGIUM (Labb. t. 6. p. 929.): *A divinitate assumpta est nostra natura, non culpa... Sine peccato conceptus de Spiritu sancto, etiā absque peccato est partus de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatæ naturæ... Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura.*

Voluntas igitur humana Christi perfectissime conformis semper divinæ fuit; Joan. 8. 29. *Ego*, aiebat Christus, *quæ placita sunt ei, facio semper.* Hinc dum Matth. 26. 39. precatur: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste*, non erat actus divinæ contrarius voluntati; non enim erat volitio efficax, sed inefficax, et conditionata, sub conditione beneplaciti divini, ut patet ex statim subjunctis: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

## ARTICULUS III.

UTRUM HONORIUS I. S. P. IN ERROREM MONOTHELETARUM PROLAPSUS FUERIT?

*Proœmium.* Triplex culpa a diversis in HONORIUM conjicitur: 1°. *Hæresis* ipsius, velut unam cum Monotheletis esset voluntatem professus. 2°. *Mala œconomia*, quod in 1°. et 2°. ad SERGIUM epistola suppresserit dogma catholicum, præcipiens SERGIO, ut silentium indiceret de una vel duplici operatione Christi. 3°. *Socordia*, quod indulgentior existens in Monotheletas eorum nefarium dogma non in cunis compresserit, sed potius foverit.



R. N. *Cons. et prob.* Sed *deivirilis* dicitur sive theandrica, quia est Dei hominis, elicitive a natura humana; denominative a Verbo, ut supposito agente ut quod, unde valorem et dignitatem capit; sicque revera est actio *nova*; quippe soli propria composito theandricō, ut inquit SOPHROX. in ep. lecta Act. 11. Syn. VI. (Labb. t. 6. p. 880. A.).

Observe ex cod. S. SOPHROX. loco cit., item ex S. MAXIMO in notis ad ep. 4. cit. S. DIONYSII, in Christo triplex inesse operationum genus. 1°. Aliæ pure *divinæ* sunt, quas in Christo sola operatur Divinitas, quin humanitas concurrat per modum etiam causæ instrumentalis, ut creatio, conservatio, concursus divinus ad actiones creaturarum. 2°. Aliæ sunt *humanæ*, et naturæ humanæ sunt propriæ; ut actus amoris ab humana voluntate elicitus, intellectionis humanæ, obedientiæ, comestionis, passionis, etc. quæ tamen actiones etiam sunt Verbi denominative, tanquam suppositi. 3°. Aliæ *mixtæ*, dum utraque operatur natura et concurril ad actionem, ut dum Christus suo contactu patrât miracula; evocando e sepulcro Lazarum, etc. Hæ actiones magis specialiter *theandricæ* dicuntur, quia naturæ utriusque actionem continent; divinæ, per omnipotentiam concurrentis; humanæ, præstantis contactum, etc. etsi utriusque naturæ sic concurrentis actio in se distincta, et inconfusa sit.

224. *Inst. 2.* Juxta SS. Patres humanitas Christi erat Verbi divini instrumentum et organum; *Usus est*, inquit S. CYRILL. ALEXANDRIN. Dialogo de Incarnat. (opp. t. 5. part. 1°. p. 680. C.) *tanquam instrumento, propria carne.* S. ATHANAS. L. de Incarn. et orat. 4. (al. 3. n. 31.) in Arianos: *Cum Deus esset, proprium habuit corpus quo ut instrumento utens, homo propter nos factus est.* Atqui instrumentum non habet actionem propriam, et ab illa causæ principalis distinctam; ergo.

R. D. M. Erat Verbi instrumentum inanime N. activum et liberum, quod esset simul actionum suarum principium determinativum C. Sic D. m. et N. *Cons.* Natura humana erat Verbi instrumentum, quatenus illa utebatur ad nostram redemptionem; cum enim ipsa Verbi divinitas secundum se expers sit omnis passibilitatis, naturam humanam assumpsit, quæ actus meritorios et satisfactorios libere produceret, quibus una Verbum valorem ac pretium tribueret. Hoc volunt Patres. Unde et S. GREGOR. NYSSEN. contra Eunom. orat. 5. (opp. t. 2. p. 594. A.): *Divinitatem, ait, per corpus, quod induit, hominum omnium revera salutem, operatam, ut propria sit carnis perpressio, Dei autem (utpote suppositi denominative, et dignificantis) operatio.*

225. *Inst. 3.* S. CYRILL. ALEXANDR. L. 4. in Joan. (opp. t. 4. p. 361. D.) de Christo suscitante filiam principis Synagogæ ait: *Eam nempe omnipotenti suo jussu, ut Deus, et rursus tactu sanctæ carnis, vivificando, unam et cognatam per ambas naturas ostendit operationem; ergo.*

R. D. et expl. Unam unitate suppositi; vel unam *theandricam*, juxta superius dicta, et sic *cognatam*, quia actio eadem naturæ humanæ, a qua et ex cuius propriæ voluntatis imperio procedebat, erat simul Verbi denominative ut suppositi C. secus N. Etiam dum in patratiōe miraculorum natura humana præstabat vocem, contactum et similia, id simul

fiabat ex humanæ voluntatis imperio, semper paratæ ad divinæ nutum voluntatis.

226. *Obj. II.* Ex ratione. 1°. Si in Christo essent duæ voluntates, essent duo volentes; sed hoc est falsum. 2°. Christus unus est: Item est unum tantum operans; ergo et una tantum in eo voluntas est. 3°. Si duæ essent in Christo voluntates, hæ inter se discordes essent; sed hoc Christo repugnat.

Ad 1<sup>um</sup>. R. N. *seq.* Non enim plures, ad multiplicationem voluntatum præcise, etiam multiplicantur volentes; alioquin in Trinitate, sicut est unica voluntas, sic unicum volens esset. Nimirum voluntas naturam sequitur, ad eamque pertinet; nam in divinis uti natura una, sic una tantum voluntas est; at *volens* personam respicit; hinc quia in divinis personæ sunt tres; totidem volentes sunt. At in Christo non nisi persona una est; ergo et volens unicum.

Ad 2<sup>um</sup>. R. D. Christus unus est supposito solo C. etiam natura N. At jam diximus: voluntas non hypostasis, vel personæ; sed naturæ proprietas est. *Sane quidem simpliciter velle naturæ est*, aiebat S. MAXIMUS in disputatione cum PYZRHO. D. etiam alterum: Est unum operans *ut quod*; quia est persona una, vel suppositum unum C. unum operans *ut quo* N. Operans ut quo natura est; sed hæc in Christo duplex fuit, ergo et voluntas ex dictis, et volitio.

Ad 3<sup>um</sup>. R. N. *seq.* Illa enim voluntatum discordia vel fuisset, ut argumentabatur S. MAXIMUS, naturalis, et Deum habuisset auctorem; quod est blasphemum dicere; vel fuisset peccati cujusdam effectus: sed nec Christus peccati capax fuit, nec natura, quam assumpsit, instar nostræ, vitiata aliquando peccato fuit, ut aiebat HONORIUS I. S. P. epist. ad SERGIUM (Labb. t. 6. p. 929.): *A divinitate assumpta est nostra natura, non culpa... Sine peccato conceptus de Spiritu sancto, etiam absque peccato est partus de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatæ naturæ... Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura.*

Voluntas igitur humana Christi perfectissime conformis semper divinæ fuit; Joan. 8. 29. *Ego*, aiebat Christus, *quæ placita sunt ei, facio semper.* Hinc dum Matth. 26. 39. precatur: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste*, non erat actus divinæ contrarius voluntati; non enim erat volitio efficax, sed inefficax, et conditionata, sub conditione beneplaciti divini, ut patet ex statim subjunctis: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

## ARTICULUS III.

UTRUM HONORIUS I. S. P. IN ERROREM MONOTHELETARUM PROLAPSUS FUERIT?

*Proœmium.* Triplex culpa a diversis in HONORIUM conjicitur: 1°. *Hæresis* ipsius, velut unam cum Monotheletis esset voluntatem professus. 2°. *Mala œconomia*, quod in 1°. et 2°. ad SERGIUM epistola suppresserit dogma catholicum, præcipiens SERGIO, ut silentium indiceret de una vel duplici operatione Christi. 3°. *Socordia*, quod indulgentior existens in Monotheletas eorum nefarium dogma non in cunis compresserit, sed potius foverit.



HONORIUM vere justeque damnatum fuisse a Synodo gen. VI. sin minus ut hæreticum, certe ut hæreseos auctorem recentius sibi demonstrandum sumpsit P. Romanus Fischer Ord. Eremit. S. Patris Augustini, SS. Theol. Baccalaur. et in Conventu Moguntino Lector, in Diss. Theol. quam tum alteri eximii P. DESIRANTII Lovaniensis Professoris regii, tum nostræ pro HONORIO typis Wirceburgensibus editæ opposuerat. Si causam, quæ movisse P. Romanum potuit, ut HONORIUM, inque HONORIO ejus defensores impugnandos susciperet, inquiram, ea se facile ipsa prodit, quod vindicatus HONORIUS non parum obsistere videretur ejus de Romano Pontifice systemati, quod sibi propugnandum decreverat. Si modum scribendi spectem, in eo modestiam, quicumque legerunt, desiderant; tantoque amplius, quod scriptor Religiosus sit; acerbior hic illic æquo est, politæ scriptionis ac litteraturæ evagatus limites: contemptum spirans non levem aliorum, jactantiam e contra propriam. Si his modis adornentur triumpho, hos non invideo. Vulgare hoc eorum vitium est, qui, vel recens applicati ad docendi munus, aliquid elucubrationis pariunt, vel ad scribendum affectu impelluntur maligno, vel causam dubiam ac sublestam tuendam suscipiunt, in alios, velut æmulationis œstro sui impotes, subinde impotentius insurgere. At vero a gravium scriptorum genio semper hic modus abhorruit, qui, etsi ab aliis subinde opinione dissident, sua momenta cum dignitate proferunt, judicium deinde, salva auctoritate æmuli, penes alios relinquunt, quin se ipsos vel coronare, vel jactare victores velint. Nondum tamen hic ex integro, ac dictis singulis P. Romani respondendum sumo, quod eo differo, dum laboribus adhuc residuis, quique magis urgent, fuero perfunctus. Sed ea duntaxat modo attingam, quæ ad tuenda nostra pro HONORIO momenta sufficiant, e quibus interim de similibus ac levioribus a P. Romano allatis judicium formari possit.

227. Dico I. HONORIUS in ipsam Monotheletarum hæresin lapsus non est. Ita communis hodie Auctorum sententia.

Prob. Si HONORIUS lapsus esset in Monotheletarum hæresin; ergo tum, quia in prima ad SERGIUM epistola scripsit (Labb. t. 6. p. 929. A.): *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*; tum quia et in prima et secunda ad eundem epist. rejecit operationem Christi duplicem. Sed neutra ratio subsistit. *Non posterior*, ut constabit Concl. sequenti. *Non prior*; quia HONORIUS non in hæreticorum sensu de una solummodo voluntate naturali divinitatis et humanitatis in Christo; sed in sensu plane orthodoxo de una voluntate humanitatis ita scripsit, tradens, in ea non esse duas voluntates contrarias spiritus et carnis, cujusmodi in natura nostra peccato vitata experimur. Hoc

Constat 1º. Ex ratione, quam subdit; postquam enim dixisset: *Unam voluntatem fatemur*, inquit: *Quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitata. Sine peccato conceptus... Non est assumpta a Salvatore vitata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus... Lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori.* Ratio illa HONORII recte probat, non esse contrarias in Christi humanitate voluntates; minime vero naturam humanam esse propriæ voluntatis expertem; alioquin et Adamus ex mente HONORII in statu innocentie caruisset voluntate

humana, quia ait: *assumpta est nostra natura... illa profecto, quæ ante peccatum creata est*; quod nemo sanæ mentis HONORIO tribuet.

2º. Ex Sergio, qui dolose ita litteras suas instruxerat, ut non posset non videri, loqui de una voluntate in humanitate, excludendo voluntatem contrariam carnis, quam Apostolus vocat *legem membrorum repugnantem legi mentis*; ergo et eodem sensu respondit HONORIUS. Prob. Ant. Nam, inquit SERGIUS (Labb. t. 6. p. 924. E.), *salutaris Deum gerentium Patrum doctrina manifeste instruit, quod nunquam intellectualiter animata Domini caro separatim et ex appetitu proprio, contrario nutui uniti sibi secundum subsistentiam Dei Verbi, naturalem motum suum effecit*; sed hæc carnalem tantum voluntatem spectant, quæ alias in hominibus separatim, appetitu proprio, contrario voluntati superiori et proprie tali, solet naturales motus efficere.

3º. Ex S. Maximo, epist. ad Marinum presbyterum (opp. t. 2. p. 129. 130. edit. Combef.): *Nam hoc*, inquit, *non in reprobationem dixit humane Salvatoris et naturalis voluntatis; sed quod nullatenus conceptionem ejus, quæ fuit sine semine, vel incorruptam navitatem præcesserit voluntas carnis.* Idque evincit ex ipsis HONORII verbis, ut nos ante; tum addit (ibid. p. 132.): *Advocatum habet (HONORIUS) sermonem (quem scripsit ad SERGIUM in epist. 1º.); omnem calumniatoris abigentem incursum.* Ac in disputatione cum Pyrrho genuinum illum esse HONORII sensum ex JOANNE SYMPONO Abbate, qui illam HONORII epistolam scripserat, ostendit (opp. t. 2. p. 182.): *Quis illius epistolæ fide dignus erit interpres, qui eam ex persona Honorii composuit, et vivit adhuc, et qui tum Occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianæ illustravit? an ii, qui Constantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur; cumque responderet Pyrrhus, qui eam composuit; subsumit: ille idem (Joannes Symponus) cum ad divum Constantinum Imperatorem ex persona S. Joannis Papæ (scilicet IV.) rursus de hac epistola scriberet, unam, inquit, voluntatem Domini diximus, non divinitatis ejus et humanitatis, sed solius humanitatis.*

4º. Ex Joanne Sympono eodem, qui HONORIO I. et JOANNI IV. a scribendis epistolis fuit: qui vero in epistola quam, JOANNIS IV. nomine ad Constantinum Imperatorem scripsit, ita rem exponit (apud S. Maximum Disput. cum Pyrrho supr. cit.): *Unam voluntatem Domini diximus, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent; diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, et spiritus: sicut nos habemus post peccatum; sed unam tantum, quæ naturaliter humanitatis ejus nota essentialis est.*

5º. Ex Joanne IV. S. P. qui, tertio post HONORII mortem anno, Romanam Sedem tenuit, in epistola apologetica, quam pro HONORIO ad Constantinum dedit, in qua (Labb. t. 5. p. 1760. C.): *Secundum hunc igitur, ait, modum jam dictus decessor noster, Honorius, prænominato Sergio Patriarchæ percontanti scripsisse dignoscitur: quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est, in membris ipsius penitus non consistunt; quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis.*

228. Dico II. Nec HONORIUS unam simpliciter Christi operationem asseruit, nec dici duas prohibuit; sed prima HONORII ad Sergium epistola, ubi



in ea unam asserere operationem, aut prohibere duas, dicitur, est a Monotheletis interpolata; altera vero vel ab his penitus conficta; vel pariter corrupta.

*Prob. I. Ex Ecthesi Sergii.* Si Honorius duas Christi operationes aut rejecisset, aut saltem suppressas voluisset voces unius, vel duplicis operationis; cur igitur Sergius, qui eo omnem artem conferebat, ut ab Honorio responsum sibi favens eliceret, nunquam responsum ejusmodi, quod accepisse ferebatur, evulgare ausus est? Cur ecthesin, quæ simillima erat Honorii litteris, quales postea producebantur, quamque jam biennio ante Honorii obitum conceperat, illo vivente, non ausus est edere; sed non nisi intellecta Honorii morte, ut ex synopsi historica constat? Imo cur ecthesin suam adeo occuluit, ut de ea nemini aliquid, nedum Honorio ante ejus obitum, suboleret?

*Respondet 1<sup>o</sup>.* Eruditus PAGIUS, Sergium, vivente adhuc Honorio, noluisse divulgare ecthesin, ne Honorium irritaret; at

*Contra est;* non erat, quod hoc timeret, cum evulgando ecthesin, Honorio se conformem et obedientem præstitisset; is enim, ut legebatur in epistola prima, scripsisse ferebatur ad Sergium: *hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut nos ea vobiscum unanimiter prædicamus.* Qua ratione igitur irritari potuisset Honorius, si Sergius executus fuisset mandatum Honorii.

*Respondet 2<sup>o</sup>.* P. ROMANUS 1. Ad nauseam universæ Ecclesiæ Catholicæ, Sergius, Pyrrhus, Macarius Honorium unius voluntatis Doctorem jactare gestiebant, unde se merito ridendos præbuisent Catholicis, unam pertinaciter voluntatem defendendo, et indictum de una et duplici silentium obijciendo. 2. Si Sergius Honorii litteras cautius parciusque communicavit, in rem suam prudenter fecit, ne doctrinæ, famæ, candoris fideique una simul periculum subiret, mendacia publice jactando, Sophronium in se vehementius concitando, se Imperatori aliisque suspectum reddendo. At

*Contra 1<sup>um</sup>.* est, quod falsissimum sit, unquam jactasse Sergium, de quo hic quæstio est, stare pro una voluntate Honorium: in scriptis enim Sergii nequidem Honorii reperitur nomen, ubi vel de una voluntate, vel una operatione agit; sed teste JOANNE IV. epist. ad Imper. (Labb. t. 5. p. 1759. A.) primus Pyrrhus fuit. *Ex diversis, inquit, suggestionibus didicimus, omnes occidentales partes turbari, fratre nostro Pyrrho patriarcha... nova quædam, et præter regulam fidei prædicante, et ad proprium sensum quasi sanctæ memoriæ Honorium Papam... attrahere festinante, quod a mente catholici Patris erat penitus alienum;* qua igitur fide, Sergius hic annumeratur Pyrrho, Paulo, Macario? Deinde si data ratio non obstaret, quo minus Sergius ipsa in ecthesi sua prohiberet omnibus unam vel duas dicere, sive docere operationes in divina Domini Incarnatione, et juberet nihilominus simul profiteri unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei, quanto minus ob stare poterat, quin ad conciliandam auctoritatem ecthesi provocaret ad auctoritatem Honorii?

*Contra 2<sup>um</sup>.* est, quod hæc singula tanto minus metuenda fuissent Sergio; auctoritate enim Honorii Rom. Pont. potius omne, quod prætenditur, periculum, avertisset; facilius repressisset Sophronium, Ecclesias in sua secum sensa pertraxisset, idem persuasisset Imperatori, omnem denique

ficilliam procellam vel abegisset penitus, vel in caput detorsisset Honorii, utpote cujus mandato se facile purgasset: *hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet.*

229. *Prob. II.* Si ita scripsisset Honorius ad Sergium, hic certe id latere non permisisset Heraclium Imperatorem, sub cujus nomine ecthesin vulgavit; vel in hujus promulgatione meminisset Honorii. At de hoc Honorii responso nihil plane Heraclio innotuerat; cum enim ecthesin suam damnatam a Romano Pontifice comperisset, invidiam non ferens, datis ad JOANNEM IV. litteris, in unum Sergium culpam omnem conjecit: *Ecthesis, scribens, non est mea; neque enim ego vel dictavi, vel jussi, ut fieret; sed cum hanc Sergius composuisset ante quinque annos, deprecatus est me, ut nomine meo proponeretur.* At si Principi optimo cognitæ fuissent Honorii litteræ, quibus idem præcipiebatur, quod ecthesi; ad purgandum se coram orbe Catholico, ante omnia provocasset ad Honorii litteras; neque enim aut validius, aut melius excusare se poterat, quam obijciendo præceptum Honorii.

*Respondet P. Romanus,* quod Honorius non jusserit prædicare silentium; sed præceperit illud tenere, abstinere controversis vocibus, verbo: silentium observandum, non prædicandum. At quanta illa incoherentia? nam

*Contra est 1<sup>o</sup>.* Si Honorius præcepisset tenendum, observandum silentium; hoc ipso hanc Honorii legem debuisset Sergius promulgare in sui Patriarchatus Ecclesiis, quod utique saltem prædicare est. 2<sup>o</sup>. Si etiam illud solum præcepisset Honorius, jam id satis fuisset Imperatori ad se purgandum, ac culpam rejiciendam in Honorium potius, quam Sergium. Sed 3<sup>o</sup>. Quod in epistola præcepisse fertur Honorius, etiam prædicari voluit: *hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet.*

230. *Prob. III.* Ex Typo Constantis Imperatoris; quo idem plane eodemque modo, ut in Honorii litteris, præcipiebatur, ne quis, *pacis servandæ causa,* adhiberet voces unius, vel duplicis operationis. Sed si quoad hoc consonantes fuissent Honorii litteræ, cur Imperator S. MARTINO I. typum approbare nolenti, imo damnanti, illas non opposuit? Cur Theodosius Cæsareæ Episcopus cum Bizyæ S. MAXIMUM inducere conaretur, ut typum susciperet, illi litteras Honorii non exhibuit? Aut cum S. MAXIMUS responderet Theodosio petenti, ut *pacis tantum causa, non ut ratum dogma,* susciperet: *Quis fidelis suscipit dispensationem, taceri facientem voces, quas dici per Apostolos et Prophetas, atque Doctores Deus omnium dispensavit;* cur stipes ille Theodosius non continuo convicit S. MAXIMUM allegando præceptum Honorii, hunc ipsum talem dispensationem suscepisse? Mirum hoc; sed magis mirum, quod S. MAXIMUS, qui recentem tenebat primam Honorii epistolam, illumque *divinum* appellaverat, ita respondere non dubitavit; si Honorius suis litteris de duplici operatione indixisset silentium, sicut typus.

231. *Prob. IV.* Ex S. Martino I. S. P. et Concilio Lateranensi. S. MARTINUS, in cit. Conc. Lateranens. Episcoporum supra 130. damnavit Monothelismi auctores singulos, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Patriarchas Orientales, Theodorum Pharanitanum; ac demum conceptis verbis in



*ecthesin et typum* anathema conclamatum est, nusquam vero vel verbo fit mentio de HONORIO: atqui non est credibile S. MARTINUM excipere voluisse unum HONORIUM ab anathemate, si eadem ejus causa fuisset, quæ aliorum, in specie *ecthesis et typi*. Cui enim bono MARTINUS HONORIUM intactum relinquere? An ut ejus nomini consuleret? Sed ita parum consulisset rei Catholicæ, adhuc enim HONORII litteris se tuiti fuissent Monotheletæ: irritasset omnium Orientalium animos, si damnatis duorum Imperatorum edictis, HERACLII *ecthesi*, et typo CONSTANTIS, item Orientalibus Patriarchis, parcere voluisset HONORIO; et certe Orientales id non sine querela tulissent.

Dices 1°. Cum Defensore Declarationis Cleri Gallicani: HONORIUM a S. MARTINO non damnatum fuisse 1. quod præclare Pontificatum alias gesserit, inque Ecclesiæ pace decessisset. 2. Quia id e re fidei erat, ne jactare se Monotheletæ HONORIO patrono possent. 3. Quod HONORII litteræ, utpote ad Sergium et Orientales datæ, in Occidente essent plerisque incognitæ. Verum

R. Nulla ex datis rationibus quidquam valet: Non 1°. an enim hoc erat præclare Pontificatum gerere, dum dogma Catholicum supprimitur? dum quæstio dogmatica de duplici operatione ad *grammaticale forum*, ut verba sonant in epist. HONORII, ceu *lis adiaphora* rejicitur? dum orthodoxi Præsules, qui pro gemina Christi operatione pugnant, *balbutientes ac in speciem Doctorum se formantes* appellantur? omitto id genus absurdiora. Deinde esto, quod præclare Pontificatum gesserit, hic tamen se, sanctamque Sedem turpi macula fœdasset; igitur laudandus, ubi laude dignus, hic vero reprehendendus; ne secus Orientalibus daretur cavillandi materia, et Monotheletæ se adhuc HONORIO tueri possent. Non 2°. ex eadem ratione; tum quod habitis ipsis HONORII litteris, si extitissent, multo magis se HONORIO patrono jactare potuissent. Non 3°. nam hæc apertæ falsitatis convincitur ex litteris apologeticis JOANNIS IV., in quibus scripsit: *Omnes Occidentales partes scandalizatas turbari, Pyrrho per litteras suas huc atque illuc missas, nova quædam præter fidei regulam prædicante et ad proprium sensum quasi sanctæ memoriæ Honorium attrahere festinante*. Pyrrhus autem Sergio, qui duobus post HONORIUM mensibus obierat, successit in Constantinopolitana sede anno 638., JOANNES IV. vero anno 644. Pontificatum adiit; S. MARTINUS autem anno 649.; ergo cum jam JOANNIS IV. tempore omnes Occidentales partes propter litteras HONORII, quas primas ad Sergium dederat, a Pyrrho vulgatas turbatæ fuerint; dici cum veritate nequit, eas S. MARTINI tempore in Occidente fuisse incognitas.

Dices 2°. S. MARTINI silentium de HONORIO, huic plus nocet, quam prodest. Prob. Cum Cyrus per epistolam innuisset, SEVERINUM Papam approbasse *ecthesin*, statim MARTINUS Cyrum falsitatis redarguit; at vero cum Secretario IV. Concil. Lateran. recitata esset epistola Pauli Constantinopolitani, qua scripserat, *concordantes et consonantes factos esse Sergium et Honorium*, nec MARTINUS, nec Episcoporum ullus quidquam protulit in defensionem HONORII, haud dubie, quod nihil haberent, quod in ejus defensionem proferrent; ergo.

R. N. Ass. Ad prob. R. 1°. Falsum esse, quod Cyrus scripserit, SEVERINUM Papam approbasse *ecthesin*; sed id solum Cyrus responderat Sergio, lætatum se esse de misso (scilicet Sergius exemplar *ecthesis* ante hujus promulgationem Cyro miserat) exemplari *ecthesios*, quam Imperator

mentis esset Isaacio Italiae Exarcho mittere; qui SEVERINUM adigeret, ut eidem subscriberet; reipsa autem approbatam fuisse *ecthesin* a SEVERINO, nec scripsit Cyrus, nec scribere poterat; cum eo tempore necdum lucem vidisset; nec MARTINUS falsitatis redarguit Cyrum, sed id solum respondit: *Sergium sua spe delusum fuisse*, quia SEVERINUS potius damnavit, quam approbavit *ecthesin*.

R. 2°. S. MARTINUS sufficienter vindicavit HONORIUM, rejiciendo et damnando Paulum, ejusque epistolam. Sic respondere nobiscum debent modo omnes, qui HONORIUM ideo solum damnatum in VI. Synodo dicunt, quod indicto de gemina operatione silentio, hæreticis se æquo faventorem exhibuerit, illosque mala hac œconomia foverit. Nam Paulus non scripserat, *consonantes factos esse* in suppressione duplicis operationis, sed unius voluntatis assertionem. En verba (Lab. t. 6. p. 227. E.): *Sed et omnes pietatis Doctores et prædicatores hujusmodi unius voluntatis mente detinentur... quibus (in unius voluntatis mente) concordantes et consonantes facti sunt pie memoriæ Sergius et Honorius*. Numquid vero HONORIUS revera hæreticus fuit, unam Christi voluntatem professus; quia cum MARTINUS contra illam Pauli calumniam non statim vindicavit?

232. Prob. V. Incredibile est HONORII litteras, ut indicebant silentium de operationibus Christi, ignoratas fuisse ab omnibus Sergii successoribus Patriarchis, ab Imperatoribus, ab omnibus per 40. et ultra annos; et uni primam HONORII epistolam Macario, mendacissimo Monotheletæ, innuisse? secundam vero a Georgio Chartophylace tam cito repertam in ipsa Actione XIII. Synodi V. fuisse, quæ a nemine cognita, neque producta per quadraginta et aliquot annos fuit; cum tamen Monotheletarum eam habere, ac producere plurimum interesset? Certe si cognita fuisset hæc altera HONORII epistola, Macarius eam oblatis a se Imperatori corruptis codicibus vel maxime addidisset.

233. Prob. VI. Aliis argumentis positivis. I. Si HONORIUS indixisset silentium de gemina Christi operatione, plus sibi contradixisset iisdem in epistolis, quam ab homine rationis utcumque compote, et qualicumque demum memoria donato, imo quam a temulento præsumi possit. Atqui hoc dici sine gravissimo fundamento et evidenti non debet: quod vero hic minime adest; ergo. Prob. seq. Nam 1°. in epist. 1°. ad Sergium statim ab initio dogma catholicum ita exprimit nitide, ut nemo magis possit (Lab. t. 6. p. 928. C.): *Nos enim in quo percepimus, oportet ambulare. Enim vero Deo duce pervenimus usque ad mensuram rectæ fidei, quam Apostoli veritatis Scripturarum sacrarum funiculo extenderunt: confitentes Dominum Jesum Christum, Mediatorem Dei et hominum, operatum divina, media humanitate Verbo Deo hypostatice unita; eundemque operatum humana ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne, discrete, inconfuse, atque inconvertibiliter*. Quibus verbis tria dicit: *primum*, dari duas in Christo naturas. *Alterum*, duas item operationes, dum inquit, *operatum divina media humanitate*; et *operatum humana*, et quidem *discrete a divinis, inconfuse*, ut non esset una per confusionem operatio, prout asserebant Monotheletæ; et *inconvertibiliter*, sive operationem humanam adeo discre-



tam fuisse a divina, ut fieri divina non potuerit. *Tertium*, quod illa operationum discretio dogma sit veræ fidei, assertum in Scripturis, prædicatum ab Apostolis; hoc enim priora verba innuunt: ac tum demum nos ad veram fidem perventuros, si illam operationum differentiam confitemur.

2º. In epist. 2ª. vero liquido ac diserte jubet (Labb. t. 6. p. 969. A.), *duas naturas operatrices confiteri*; sed ubi duæ operatrices naturæ sunt, distinctas etiam virtutes, seu formas, aut rationes formales operandi subesse oportet, scilicet operationes. Item in ead. præcipit (ibid. C.): *ipsas potius duas naturas, id est divinitatis et carnis assumptæ in una persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, inconvertibiliter nobiscum prædicare* (N. B.) *propria operantes*.

3º. Iisdem in epistolis, 1. fertur scripsisse (Labb. ibid. p. 968. E.): *Unius autem operationis vel duarum esse vel fuisse mediatorem Dei et hominum D. J. C., sentire et promere, satis ineptum est*. 2. (Labb. ibid. p. 931. E.) Qui nihilominus has in Christi asserunt, esse *balbutientes, formantes se in speciem Doctorum*. 3. (Labb. ibid. p. 932. A.) De duabus energiis, vel operationibus *nihil prædicare Evangelicas, vel Apostolicas litteras*. 4. Jubet (Labb. ibid. p. 933. A.) Sergium hæc secum prædicare et indicere silentium: *hæc fraternitas vestra mecum prædicet*.

Atqui major contradictio vix concipi potest; conferantur enim jam ad invicem propositiones, et sibi opponantur:

## HONORIUS.

*Christus operatus est divina et humana discrete, inconfuse, inconvertibiliter; hoc haud dubie idem sonat, ac fuisse duarum operationum.*

*Ita confiteri debemus; hæc est mensura rectæ fidei.*

*Ita prædicarunt Apostoli veritatis, Scripturarum sacrarum funiculo.*

Ergo epistola Honorii prima, quantum agit de silentio operationum, scilicet a §. *Via regia*, est a Monotheletis interpolata; secunda vero ab his vel conficta penitus, vel certo vitata.

234. II. Ex S. AGATHONE S. P. qui in epist. ad CONSTANTINUM imper. (Labb. t. 6. p. 637. A.): *Apostolicæ, inquit, memoriæ, meæ parvitalis prædecessores, dominicis doctrinis instructi, ex quo novitate hæreticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanæ ecclesiæ præsules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari atque obsecrando commonerene ex hoc exordium dissidii in unitate Ecclesiæ facerent, unam voluntatem, unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino nostro Jesu Christo. Atqui cum his AGATHONIS verbis conciliari nequeunt,*

## ANTI-HONORIUS

*Christum duarum esse vel fuisse, operationum, sentire et promere satis ineptum est.*

*Ita sentire et promere satis ineptum est. Hæc, silentium, fraternitas vestra nobiscum prædicet.*

*Qui ita prædicant, sunt balbutientes, se in speciem Doctorum formantes, etc.*

quæ in epistolis Honorii extabant de Christi operationibus, quæque anteretulimus. *Prob. min.* Nam illa AGATHONIS verba HONORII maxime respiciunt; cum enim HONORIUS Pontificatum teneret eo tempore, quo Sergius *novitatem hæreticam introducere conabatur*, atque hic duobus post Honorii mortem mensibus et ipse decesserit, ab alio, quam HONORIO, commoneri non potuit. Si ergo HONORIUS hortatus est Sergium, commonuit, ut ab errore *unius voluntatis et unius operationis desisteret*; quomodo HONORIUS scripsit Sergio, quæ de duabus operationibus supprimendis in ejus postea epistolis extabant?

235. III. Ex ipsa Epistola, quæ Honorii secunda ad Sergium dicitur. Legitur in hac sub finem, scripsisse SOPHRONIO HONORIUM, ne duas in Christo operationes assereret, idemque suasisse eundem SOPHRONIO Legatis; hos vero fuisse pollicitos, operam daturus sese, ut idem SOPHRONIO persuaderent. Atqui palmare hoc mendacium est, vel inanis fabula, adornata a Monotheletis, eum in finem, ut et SOPHRONIUS Monotheletarum dogmati favisse videretur; nam STEPHANUS SOPHRONII olim ad HONORIUM Legatus plane testatur contrarium in Libello, quem idem postea in Lateranensi Synodo Secretar. 2. MARTINO obtulit (Labb. t. 6. p. 403. C.), dicens hunc potius fuisse suæ legationis fructum, quod *neque despexerit Deus preces cum lacrymis oblatas supplicum suorum, sed excitaverit non equidem mediocriter præcessores apostolicos præsules in commotione, nec non contestatione prædictorum viro- rum, Sergii et aliorum quos ante nominarat, etc. licet nullo modo eos flectere potuerint*; Sergium enim, ut ex data chronotaxi liquet, nemo Romanorum Pontificum commonere poterat præter HONORIUM; ergo evidens est, epistolam hanc vel prorsus confictam, vel corruptam a Monotheletis fuisse. Ac inde forsitan est, quod et SOPHRONIUS pro se Monotheletæ jactarent, observante S. MAXIMO epist. ad PETRUM illustrem (inter Collectanea Anastasii, Patrologiæ t. 129. p. 373. D.): *Sophronium, qui prudenter divina perdociit, et prædicavit Ecclesiæ dogmata, se in errorem movisse, hac illaque Monotheletæ susurrant.*

Respondet P. ROMANUS: *copiosa solutio*: 1º. Si qua data est ab Honorio commonitio, *valde mediocris*, nec sufficiens fuisset. 2º. *non mediocriter* ad HONORIUM non pertinet. 3º. Quomodo HONORIUS monere Sergium poterat, ut flecteret ad ejurandam hæresin, cum juxta apologiam nostram, Sergius id in epistola egit, ut catholicus videretur. 4º. Nec Stephanus dixit, nec dicere potuit Sergium ab HONORIO monitum. At

Contra 1ºº. est, quod Stephanus dicat: *non mediocriter*, id est, multum, supra mediocritatem; utri potius nunc credendum Stephano, tunc Episcopo Dorensi, viro sancto, testi vivo, an P. ROMANO? Deinde vera locutum fuisse Stephanum, nec *valde medioerem* fuisse commonitionem Honorii constabit *Concl. seq.* ex S. MARTINO, et S. MAXIMO.

Contra 2ºº. est: si hæc ad HONORIUM nullo modo pertineant, quis ergo Romanorum Pontificum Sergium commonuit, quem tamen Stephanus in libello inter commonitos posuit tertio loco? Certe a Severino Honorii successore dici nequit commonitus, cum mortuus jam esset Sergius, Severino nondum Pontifice juxta n. 216.

Contra 3ºº. est: quod, attenta historia, quam adversarius subdole vel



confundit, vel dissimulat, utrumque verum sit; postquam enim Sergius Sophronium, cujus zeli pro orthodoxa contra Monotheletas fide, ac eruditionis vim jam senserat Constantinopoli, teste S. Maximo in Disput. cum Pyrrho, promotum intellexisset ad Hierosolymitanum episcopatum, ab eo sibi metuens, Honorium præveniendum ratus, ad hunc continuo dedit epistolam ita instructam callide, ut, cum quæstionem proponeret de una vel duplici voluntate humana Christi juxta dicta Art. præc. ipse Honorio quidem videretur orthodoxus. At postquam Sophronius, habita prius Hierosolymis Synodo, Romam ad Honorium ablegasset Stephanum anno 635. (ablegaverat enim Stephanum eo anno, quo Saraceni obsidionem parabant Hierosolymæ, ut Stephanus enarrat in cit. libello suo; qui vero annus, teste Theophane ad ann. 25. Heraclii, erat 635.) eumque de Sergii hæresi edocuisse, mentem etiam mutavit Honorius. Scripserat igitur Sergius ad Honorium antequam huic de illius constaret hæresi; qua vero comperta, et suo fungi cœpit officio Honorius *commonendo non mediocriter, obtestando, increpando*, etc.

Contra 4<sup>am</sup>. Dicti hujus falsitas ex libello Stephani evidenter patet, in ipsa testantis Lateranensi synodo Theodorum, Sergium, etc. fuisse a Romanis Pontificibus commonitos, utrumque tamen præter Honorium commonere nemo poterat; ipso teste P. Romano p. 103. quia uterque ante Severinum Honorii successorem diem supremum obierat. Ex his disputatis, quam *copiosa* fuerit adversarii solutio, quivis perfacile intelliget. *Nullam* certe ego, minus *copiosam*, comperio. Sed et illud perspicitur, quanto jure Stephanus uti posset Augustiniana illa L. IV. contra Julian. c. 8. sententia contra P. Romanum: P. Romane, *redde verba mea...*

Plura hujus argumenta qui desiderat, consulat Dissert. nostram de Honorio. Quanquam et rationibus Conclusionis sequentis prior Conclusio æque solide confirmetur.

236. *Dico III.* Honorius neque negligentiae alicujus, aut socordiae culpam in causa Monotheletarum contraxit.

*Prob.* Honorius talis culpæ reus dici non potest, si nihil omiserit, quod facere posset ad reducendos illos hæreticos, et corrigendos: atqui nihil horum omisit. *Prob. min.* Vi officii sui pastoralis juxta regulam Apostoli, 2. ad Tim. 4. debuit ipsis *prædicare verbum*, scilicet fidem rectam; *instare, arguere, obsecrare, increpare*; atqui hæc fecit.

*Prob. 1<sup>a</sup>.* Ex Agathone supra.

*Prob. 2<sup>a</sup>.* Ex S. Martino I., qui post Concilium Lateran. in epist. Synodica ad Amandum episcopum Trajectensium ita testatur (Lab. t. 6. p. 384. C.): *A Sergio.... execranda et abominanda hæresis pullulavit,.... quam successor ejus Pyrrhus.... in deterius auxit. Pro qua re sæpius Apostolica Sedes persuasionibus, contestationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos*, etc. Error vero Sergii erat, quod voluntatem in Christo unam, unamque operationem assereret. Deinde Sergium nemo Pontificum, præter Honorium, commonere, contestari, increpare poterat, ut constat ex chronotaxi n. 216. et 217. et ex dictis n. præc.

*Prob. 3<sup>a</sup>.* Ex S. Maximo, quo teste, Honorio vix aliquis magis strenue officio suo contra hæreticos eos perfunctus est: *Quid quætem divinus Honorius,*

aiebat S. Max. in ep. ad Petrum illustrem (inter collectanea Anastasii, Patrolog. t. 129. p. 575. B.) *quid post illum Severinus senex? quid denique et is, qui post hunc extitit, sacer Joannes? Porro is, qui nunc præsidet, Beatissimus papa (Theodorus) omisit ne quidquam supplicationi conveniens?* En S. MAXIMUS propterea *divinum* prædicat HONORIUM, quod eloquium nulli aliorum tribuit Pontificum; ergo. HONORIUS igitur edoctus a S. SOPHRONIO de dogmate et fallaciis Sergii, nihil prorsus omisit pastoralis sui officii; quo minus vero pertinacem damnaret, præveniens HONORII obitus impedivit.

237. *Obj. I.* HONORIUS fuit damnatus in Synodo VI. cum cæteris Monotheletarum principibus; ergo vel in eorum est prolapsus hæresin; vel hoc factum ob malam ejus œconomiam, qua silentium indixit de gemina Christi operatione; vel ob ejus socordiam in illa reprimenda hæresi. *Prob. Ant.* Nam in Act. XIII. (Lab. t. 6. p. 944. E.) dicitur de Honorio: *Cum his (Sergio, Cyro, Petro, Paulo), simul projici a sancta Dei catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus et Honorium, qui fuerat papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab ea facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit.* Et Act. XVII. (Lab. ibid. p. 1009. B.) et Act. XVIII. (Lab. p. 1044. D.): *Sergio hæretico anathema, Cyro hæretico anathema; Honorio hæretico anathema, etc.* Idem repetitur in prosphnetico, et edicto Imperatoris. Ante responsionem

238. *Observa:* Varias hic esse Auctorum sententias, quas in aliorum gratiam, qui eas sectari maluerint, subjeio breviter. *Prima* eorum est, qui volunt, revera HONORIUM lapsam, sed ut Doctor privatus fuit, non ut doctor Ecclesie loquens e cathedra, in Monotheletarum hæresin, sicque cum his pari anathematis sententia percussam. Sed vix aliquos ea opinio hodie sectatores habet. Et vero conciliari nequit cum iis, quæ Art. præced. attulimus.

*Alter* aliorum et plurium e recentioribus est, HONORIUM vere damnatum fuisse in Synodo VI., non quidem ut hæreticum dogmate, sed faulorem hæreseos, quam non extinxit, sed fovit potius, indicendo silentium de operationibus Christi. Nititur præcipue LEONIS II. ad Hispanos epistola, qua dicit de Honorio damnato, *qui flammam hæretici dogmatis non, ut decevit, extinxit, sed negligendo confovit.*

*Verum* viderint hujus fautores sententiæ, an retenta proprietate verborum, quibus usi contra HONORIUM sunt Patres, id asserant, et annon illa potius violente detorqueant ad conniventiam, dum de ipsa hæresi Patres loquuntur: *Honorio hæretico anathema. Qui (Honorius) in omnibus mentem Sergii secutus impia dogmata confirmavit; hæresin sparsit*, et similia. Certe plus illa innuunt, quam præcise non resistere hæresi, connivere, etc. Qui duntaxat non resistit, connivet ad tempus pacis gratia; nulla proprietate verborum, et non sine gravi contumelia, dici potest simpliciter *hæreticus, confirmare, spargere hæresin*; nec adeo stipites quis Patres illos dixerit, ut hoc discrimen ignorarint. Præterea, si HONORIUS solum ut fautor damnatus ob indictionem silentii quoad operationes, quomodo dicitur mentem Sergii *in omnibus secutus?* Unus hic error erat Sergii, quod in ecthesi silentium indixisset de operationibus; alter error erat, quod unam in Christo volun-



tatem assereret. Denique verba illa non esse LEONIS II., non pauci e scriptoribus catholicis contendunt, et nos cum iis infra.

*Tertia BARONII* est, Acta VI. Synodi fuisse corrupta a Græcis, et loco Theodori Patriarchæ Constantinopolitani Monotheletæ, expuncti, substitutum fuisse nomen Honorii. Quia, teste ANASTASIO Bibliothecario in vita AGATHONIS, et THEODORUS nominatenus damnatus fuit; nullibi tamen ejus nomen reperitur; vel si obtinisset, cum postea esset restitutus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, mortuo Georgio, ut nomen suum eraderetur in Actis ex damnatorum numero, ut voluit aliqui, locus vacans id indicasset, vel saltem id notatum fuisset; sed juxta Baronianos, in continenti serie extant damnatorum nomina, et nullius loci vacantis vestigium in primis exemplaribus deprehendi potuit; igitur vel Theodori, vel aliorum Monotheletarum fraude videtur in Theodori expuncti locum substitutus fuisse HONORIUS, quem deinde retinuerunt Acta Syn. VII. et VIII.

*Si opponas* cum COMBESIO: ad preces Patrum in Act. XVIII. exemplaria authentica Actorum tradita fuisse quinque Patriarchis; si igitur solum exemplar Constantinopolitanæ Ecclesiæ corruptum fuisset, nihil hoc profuisset Theodoro, quia illud Ecclesiæ Romanæ et alia mansissent integra.

*Respondent*, et merito, negando *Ant.*; quia ibi non de exemplaribus Actorum loquuntur Patres, sed *definitionis*; sic enim verba sonant: *Ut exempla definitionis relectæ edantur quinque Patriarchalibus sedibus.* Et subjicitur: *quod Imperator Constantinus exempla definitionis præbuerit quinque Patriarchalibus sedibus.* Acta vero ipsa revera manserunt Constantinopoli usque post Justiniani II. tempora, ut constat ex hujus ad Joannem S. P. epistola. Sed hæc aliorum gratia.

*Si porro objicias*, Constantinum imperatorem testari in sua ad AGATHONEM Divali ad eundem *Acta esse missa*: item, teste Anastasio Bibliothecario: *Leo II. probavit Acta VI. Synodi.*

*Respondent ad 1<sup>um</sup>.* epistolam esse spuriam, uti et illam Leonis P. ad Imperatorem. *Ad 2<sup>um</sup>.* per Acta ab Anastasio intelligi *decreta fidei*, quia teste eodem Anastasio, Synodus VI. non nisi quoad definitionem fidei recepta est. Nunc in forma

239. R. *ad Argum. D. Ant.* HONORIUS fuit in Syn. VI. damnatus œcumenice, *judicio Synodi N.* *judicio duntaxat Episcoporum* et quidem *Orientalium* tantum C. Distinguere oportet inter *judicium Synodi*, vel *œcumenicum*, et *judicium episcoporum*. Ut habeatur *judicium Synodi*, h. e. œcumenicum, adesse debet consensus summi Pontificis; secus vero, si quid fiat *contra*, vel *præter* auctoritatem ac consensum summi Pontificis, erit solummodo *judicium episcoporum*, quod non habet auctoritatem in Ecclesia. Latius hoc ostenditur in Tract. de fide. Sed et discrimen illud constat perpetua praxi Ecclesiæ, et traditur a DAMASO S. P. in epist. ad episcopos Illyrici (Lab. t. 2. p. 883. B.), XYSTO III. epist. ad eosdem n. 3. (Patrolog. t. 50. p. 618.) Sic S. LEO M. epist. 106. c. 5. (opp. t. 1. p. 1165. edit. Ballerin.) ad ANATOLIUM de Can. 3. Concilii Constantinopolitani I. ab episcopis in ea Synodo sancito loquens, illum vocat: *Episcoporum subscriptionem caducam.* Sic idem LEO Synodi gen. III. definitiones distinxit ab episcoporum judiciis epist. 119. c. 4. et 5. (ibid. p. 1213. 1217.) ad MAXIMUM Antiochenum; et epist. 103. ad Pul-

CHERIAM Augustam c. 3. (ibid. p. 1157.), Canonem 28. Concilii Chalcedonensis, sed non acceptatum, vocat *consensionem Episcoporum*: et ep. 115. c. 1. (ibid. p. 1203.) ad MARCIANUM Imperatorem de citato Canone et aliis ejusdem Synodi loquens ait: *quæ per occasionem Synodi male sunt attentata.*

240. Jam vero HONORIUS non *judicio Synodi, et œcumenice*, sed *judicio duntaxat Episcoporum*, et quidem *Orientalium* damnatus fuit.

Constat 1<sup>o</sup>. ex HADRIANO II. in Concilio Romano (Lab. t. 8. p. 1091. A.), ubi: *Licet Honorio*, inquit, *ab Orientalibus anathema sit dictum.* En quam scite HADRIANUS Episcoporum *judicium* secernat ab ipsa Synodo! *licet ab Orientalibus.* Cur non dicit a Synodo, ab Ecclesia? Annon Occidentales etiam aderant? Legati AGATHONIS? Legatus Archiepiscopi Ravennatensis? Legati Concilii Romani? Quin Honorium non fuisse damnatum œcumenice satis declarant scriptores Græci cæteri, dum inter damnatos HONORIUM non posuerunt. Paulus diaconus ipse in vita Constantini IV. referens damnatos in Syn. VI. omittit HONORIUM; omittit et Zonaras in vita ejusdem; imo Photius Ecclesiæ Romanæ a primordio infestus, dum in codice suo de septem Synodis, scripto ante apertum ejus cum Ecclesia Romana dissidium, ordine venit ad sextam, damnatos fuisse asserit Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Paulum, Petrum, nulla prorsus facta mentione Honorii. Ecce istud, si Honorium æque, ac cæteros judicassent damnatum œcumenice!

2<sup>o</sup>. Ex ANASTASIO Bibliothecario, qui in epist. ad JOANNEM diaconum (Lab. t. 5. p. 1769. D.) in Orientalium illorum temeritatem gravissime invehitur, eos propterea *calumniatores* appellans; adeo non putabat HONORIUM damnatum fuisse a Synodo.

3<sup>o</sup>. Quia neque AGATHO id jusserat, imo potius contra ejus præcepta Legatis data, quæ extant in ejus ad Imperatorem epistola, damnatus fuit HONORIUS. En AGATHONIS mandatum (Lab. t. 6. p. 634. D.): *Licentiam eis sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum imperium, dum jusserit ejus clementia simpliciter satisfaciendi, in quantum eis duntaxat injunctum est, ut nihil profecto præsumant augere, minuere vel mutare, etc.* Sed in eadem de Honorio condemnando nec litterula extat. Neve putes, illa AGATHONIS verba solum respicere dogmata definienda, non personas damnandas, paulo post ad singulos hæreticos delabitur, eosque nominatenus accusat; at nullo modo HONORIUM; imo, ut dictum n. 234. hunc ex epistola commendarat; ergo non solum *præter*, sed etiam *contra* mandatum AGATHONIS damnatus fuit Honorius.

241. *Inst. 1.* Etiam inter damnandorum nomina in epistola AGATHONIS, non leguntur Macarius Antiochenus, Stephanus Macarii discipulus, Polychronius, et tamen hi pariter damnati sunt a Synodo, quin propterea Patres transgressi essent mandatum AGATHONIS; ergo nec illud transgressi sunt damnando HONORIUM.

R. C. A. N. *Cons.* De Macarii, Stephani, Polychronii, viventium ipso Synodi VI. tempore, impietate Romæ et in Occidente nondum ita innotuerat; unde nec in Concilio Romano, quod ante Synodum VI. coegerat AGATHO, illorum ulla fit mentio; nec certe omisisset AGATHO perstringere æque Macarium, reliquorum Monotheletarum eo tempore ducem; si cognitam ita



habuisset hujus hæresin, prout illa primum in Synodo VI. patuit. Dixi *primum*; nam callide alias nitebatur suam tegere hæresin, ut constat ex Act. II. ipsius Synodi. Merito igitur ipso Legatorum hortatu et consensu tandem damnatus fuit, adeoque sine transgressione mandati AGATHONIS, in Act. VIII., Stephanus in Act. IX.

242. *Inst. 2.* Licet AGATHONIS Legatis mandatum non fuerit in epistolis, quas ferebant ad Imperatorem et VI. Synodum, ut damnarent HONORIUM; habebant tamen in mandatis secretis, ut, si Orientales aliter acquiescere nollent condemnationi Patriarcharum suorum, quam si simul damnaretur HONORIUS, ipsi in hujus quoque damnationem consentirent. *Prob. Ant.* Sic et HORMISDAS Papa, ut constat ex ejus epistolis, secretam et aliam, quam habebant in litteris, dederat Legatis suis ad Anastasium et Justinum imperatores: Item fecerunt S. GREGORIUS, et S. LEO summi Pontifices; ergo idem merito de Legatis AGATHONIS dicitur.

R. *N. Ant.* Et unde hujus asserti fidem quis faciet? Quis Patrum VI. Synodi aliquando ita dixerat, nolle se acquiescere suorum Patriarcharum condemnationi, nisi simul damnaretur HONORIUS? Nominetur, si possit, unus ex omnibus. Etiamsi igitur Legati (quod gratis tantum dictum sit) hanc instructionem secretam habuissent, ea saltem usi non fuissent, quia nullus Patrum illam exceptionem fecerat; proin necdum judicio Synodi damnatus dici potest HONORIUS.

*Ad prob. R.* In cilt. Pontificum epistolis, prout equidem in Actis Conciliorum extant, nihil tale quid detegere licuit. Quo tamen non obstante, non negavero, posse subinde Pontifices Legatis secretas dare instructiones, more aliorum principum; sed inde non sequitur: igitur reipsa AGATHO hoc fecerat; sed facti hujus asserti probatio exigitur. AGATHONEM vero id non fecisse, rectius creditur; cum enim tam honorifice loquatur de suis antecessoribus, inter quos HONORIUS intelligi debet juxta n. 234., quo fundamento præsumes, mandasse tamen simul occulte, ut HONORIUS damnaretur?

243. *Inst. 3.* HADRIANUS II. in Concilio Romano (Lab. t. 8. p. 1091. A.) contra Photium, qui NICOLAUM I. damnauerat, seque tuebatur facto Orientalium HONORIUM condemnantium, inquit: *Quamvis et ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuiquam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas; ergo hæc præcesserat.*

R. *N. Cons.* Non enim hic sensus est verborum HADRIANI, quod Pontificis consensus revera præcesserit; sed quod sine tali consensu eum legitime damnare non potuerint; unde non sequitur hunc consensum datum fuisse. Nimirum HADRIANUS refutabat Photium, eum se immerito tueri illo Orientalium facto, ut qui venia quadam adhuc digni videntur 1. quod damnassent HONORIUM mortuum. 2. Quia HONORIUS accusatus fuerat hæresis, quo casu minores subinde majoribus resistere possunt; subdit deinde, quamvis nulli fas fuerit, proferre in Pontificem sententiam, nisi ante præcessisset primæ Sedis auctoritas, h. e. ante obtentum a prima Sede, Pontificis Romani consensum.

244. *Ratio est 1<sup>o</sup>.* quia alioquin HONORIUS damnatus fuisset, non ab Orientalibus tantum, sed ab ipsa Synodo, sicque HADRIANUS sibi contradiceret, qui damnatum HONORIUM ante immediate dixerat *ab Orientalibus*. 2<sup>o</sup>. Quia ANASTASIUS Bibliothecarius, qui ipsa verba illa Hadriani relata ita ex græco latine reddidit, in epist. ad Joannem diaconum diserte tradit (Lab. t. 5. p. 1770.), damnationem HONORII nunquam Romani Pontificis alicujus approbationem tulisse. Si ergo nunquam Apostolica Sedes id approbavit; quomodo jussit, aut quomodo Hadrianus explicari potest de dato reipsa consensu, cum, qui Hadriani verba latine reddit, Anastasius ipse non ita intelligat?

245. *Obj. II.* Etiam in Synodo gen. VII. et VIII., in quibus repetuntur gesta in Syn. VI., iterum inter damnatos in ista HONORII nomen legitur; ergo.

R. 1<sup>o</sup>. *N. Cons.* Quid enim mirum, si Græci, quæ in sextæ Synodi actis legerant, eadem transcriberent, et HONORII nomen *narrando* duntaxat, non probando memorarent, cum id tum in quæstionem nequidem veniret? Sed præterea in specie

R. 2<sup>o</sup>. *Ad Synodum VII.* Hujus *definitionem*, quæ de sacrarum imaginum cultu prodiit, quamque solam HADRIANUS I. suscepit, amplectimur, et veneramur; cætera vero, quæ in Synodo hac Nicæna II. aut memorata, aut sancita dicuntur, eatenus solum suscipimus, quatenus *nec recte fidei, nec probis moribus obviant, sed nec Sedis Romanæ decretis ad modicum quid resultant*, ut Anastasius Bibliothecarius in præfatione hujus Syn. VII. (Lab. t. 7. p. 30. D.) omnes admonet. Et vero sic omnes respondere debent; nam et Episcopi hujus Synodi canones, sic dictos, *Apostolorum*, omnes approbant: Item *Trullanos*, ut legimus in canone 1. hujus VII. Synodi (Lab. ibid. p. 595. B.); imo in can. 8. (Lab. ibid. p. 603.) Episcopi illius septimæ Synodi decreverunt, ut Judæi apostatæ ejicerentur ab Ecclesia, inque superstitionis suæ aperta professione relinquerentur, neque eorum liberos baptizare liceret; in quo errabant. Si ergo hic errarint, cum tamen ejusmodi decreta non sine consultatione formarint; quanto magis falli poterant, in describenda damnatione HONORII, quam fieri jusserant sine disquisitione vel consultatione ulla. Discamus tandem vel ex hac ipsa Synodo VII. non continuo dici oportere *judicium Synodi*, quod præcise Episcopi decernunt.

246. *Obj. III.* S. LEO II. approbavit gesta Synodi VI. non tantum quoad definitionem fidei, sed etiam damnationem HONORII, 1<sup>o</sup>. in epistola responsoria ad CONSTANTINUM imperatorem (Lab. t. 6. p. 1117. C.), in qua HONORIUM execratur; 2<sup>o</sup>. in epist. ad Ervigium regem Hispaniæ (Lab. ibid. p. 1232. B.), in qua HONORIUM inter damnatos recenset, et 3<sup>o</sup>. in epist. ad Episcopos Hispanos (Lab. ibid. p. 1247. B.), in qua de HONORIO ait: *Qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit; sed negligendo confovit*; ergo.

R. *N. Ass. et N. Suppositum*, quod ulla ex tribus epistolis, prout hodie circumferuntur, possit S. LEONI prudenter tribui; sed singulæ sunt vel suppositæ penitus, vel interpolatæ. Equidem non dubito, quin S. Pontifex Im-



peratori responderit, et forte hanc ipsam epistolam dederit, sed quam græculus interpolavit; nam latinum epistolæ autographum intercidit, quodque nunc illius exemplar extat, ex græco latine redditum est. At quoad singulas epistolas nunc rationes habe. Igitur ad probationes singulas directe, et primo

247. *Ad prob. 1<sup>am</sup>*. R. N. genuinam esse hanc S. LEONIS II. epistolam. 1<sup>o</sup>. Ex auctoritate BARONI; item ANASTASII Bibliothecarii, qui in scriniis Romanis versatissimus licet, ducentis post Synodum sextam annis vivens, nihil de ea cognitum habuit; numquid alias, dum condemnatores HONORII *calumniatores* vocat, inter eos numerasset sanctum Pontificem? Cf. Bartoli Profess. Canon. Patavin., aliosque quos referre non vacat.

2<sup>o</sup>. Ex ipsa Epistola; ipsa enim in fine data scribitur *nonis Maii, indictione decima*; at in textu plane contraria habet (Labb. t. 6. p. 1112. E.) *Denique legatos hujus Apostolicæ Sedis, matris vestræ, Romanæ Ecclesiæ, pietatis vestræ famulos, id est, Theodorum et Georgium presbyteros... una cum personis, quæ cum eis profectæ fuerant, quæ a prædecessore meo, Apostolicæ memoriæ, Agathone Papa per octavam indictionem pro causa fidei, vestra pietate jubente, illuc directæ fuerant, per nuper elapsam decimam indictionem, mense Julio, cum divalibus clementiæ vestræ apicibus, et synodalibus gestis... exultantes suscepimus. Sed quomodo per elapsam decimam indictionem, mense Julio, scribit se accepisse litteras, et alia Synodi gesta, si jam mense Maio indictione decima scriptæ habentur hæ litteræ? Præterea quomodo mense Julio potuit LEO suscepisse legatos una cum litteris, si, cum decem tantum mensibus ipse sederit Pontifex, mensem Julium attingere non potuerit, quippe creatus Pontifex mense Augusto? Hæc chronotaxis imperitum illum fugit, qui, aliquot post Syn. VI. seculis, hanc epistolam vel plane contexit, suppresso LEONIS autographo, vel certe interpolavit. At porro Imperatoris epistola dicitur in ejus fronte, *missa mense Decembri, indictione decima*; sed quomodo decima indictione data dici potuit hoc anno mense Decembri? quo tempore duodecima erat indictio, quæ jam a mense Septembri fuerat inchoata. Verum facile indulgemus, mendum irrepisse in codicem, et pro indictione duodecima positam decimam; sicque corrigi debet, Baronii, Labbei ac plerorumque consensu: sed jam major nascitur difficultas; qui enim S. LEO scribere poterat, quod Imperatoris epistolam, scriptam in Decembri, indictione duodecima, ipse acceperit decima indictione? Adeo omnia nutant, quæ solido veritatis fundamento carent. Sed demum*

3<sup>o</sup>. S. LEO in epistola hac ita scripsisse fertur: *Anathematizamus novi erroris inventores, Theodorum Pharanitanum episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ successores magis, quam Præsules; nec non et Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed... immaculatam fidem subvertere conatus est; et omnes, qui in suo errore defuncti sunt, etc.* Sed Honorius in errore defunctus non est, quem publico funere Romana Ecclesia inter sanctos Pontifices in ecclesia S. Petri reposuit, et cui ut catholico Pontifici in omnibus parentavit. Male igitur inter eos insertus Honorius, qui in errore defuncti, utque subsistat periodus, inde

delendus est. Vel si adversarii retineri ibi HONORIUM velint, quem dicunt non *erroris*, sed negligentiae tantum causa, malæve œconomiae damnatum; plus illa epistola nocebit adversariis; nam hic *error* pro *negligentia*, etc. sumi non potest. Videant igitur, quibus fundamentis nitantur.

248. *Ad prob. 2<sup>am</sup> et 3<sup>am</sup>*. Cum cit. supra auctoribus pariter N. has epistolas S. LEONIS esse; vel pariter corruptas dico. 1<sup>o</sup>. In utraque epistola dicitur, Synodum VI. absolutam fuisse indictione nona. Posset indulgendo dissimulari error, si semel id dictum, et in una tantum reperiretur epistola assertum, incusando librarii oscitantiam, qui loco *decimæ* posuerit *nonam*: verum cum id in singulis haud obiter positum, sed assertum et inculcatum sæpius habeatur; non eas LEONIS epistolas, quem ea, quæ erant illius temporis, minime præterire poterant, sed postea ab alio, historiae temporis ignaro, male tributas esse, facile quis judicabit.

249. 2<sup>o</sup>. In epistola ad Ervigium regem dicitur imperator Constantinus scripsisse ad S. AGATHONEM, summum Pontificem, *indictione nona de cogenda sexta Synodo*. Utrumque notorie falsum est; nam 1. Imperator non ad S. Agathonem, sed ad *Donum* ejus decessorem scripserat, neque indictione nona, cum tribus ante annis jam *Donus* obiisset; sed indictione sexta, i. e. anno 678. die 11. Aprilis. Incusant hic adversarii scriptoris, vel librarii oscitantiam, qui erronee pro indictione sexta posuerit nonam. Indulgeri hoc facile posset, si error hic unicus esset; at tamen, ne rigidi nimium censors simus, permittamus hoc. Sed quid de S. AGATHONE, ad quem Imperator in ea epistola scripsisse dicitur; cum tamen non ad hunc, sed ad *Donum* tribus ante annis scripsisset?

250. 3<sup>o</sup>. Epistola demum ad episcopos Hispaniæ tot, tantaque habet suppositionis, aut corruptionis argumenta palmaria, quanta nulla ex iis epistolis Pontificum aliorum, quæ ab omnibus etiam supposititiæ habentur. Nam 1. ut taceam falsam indictionis notam; assertur in ea epistola, quod S. LEO archiepiscopus ad Synodum VI. ablegavit: *Archiepiscopi sunt a nobis destinati, qui cum pio principe, simul et omnibus, qui ejus mandato conveniunt, ecclesiarum præsulibus præsidentes, ac considerantes, etc.* At revolvantur acta synodalia sextæ Synodi, an vel unus archiepiscopus, Roma missus, interfuerit. Quod vero COMBESISUS ac alii dicunt, destinatos quidem ad VI. Synodum fuisse ab AGATHONE archiepiscopos, sed illuc non ivisse: equidem id verum est; sed insufficiens et frivolum ad hanc epistolam S. LEONIS vindicandam; nam auctor epistolæ hos archiepiscopos a se illuc destinatos et missos contendit: *sunt a nobis destinati*. Neve dici possit, hæc a nobis denotare Pontifices ut sic, adeoque et AGATHONEM, obstat clara oppositio, quam auctor facit; nam immediate ante de AGATHONE loquens inquit: *Ad quod (Concilium sextum) celebrandum ex prædecessoris nostri, Apostolicæ memoriæ domini Agathonis papæ persona, presbyteri diaconique directi sunt. Deinde de sua persona loquitur: De diversis autem Conciliis huic sanctæ Apostolicæ Sedi, ejus ministerio fungimur, subjacentibus, archiepiscopi sunt a nobis destinati, etc.*; ergo per hæc: *a nobis*, se ipsum intelligit. Sed quæ fuerunt illa diversa Concilia S. LEONIS? Qui illi archiepiscopi?



Porro inducitur in ea epistola S. LEO II. scribens : *Definitionem interim sancti sexti Concilii, et acclamationem, quæ Prosphonicus dicitur..... pariterque edictum clementissimi Imperatoris.... vestræ Dilectioni direximus.* At nec prosphonicum, nec edictum acceperat S. LEO, sed solam definitionem fidei juxta dicta n. 238. Item : refertur in epistola, Imperatorem ex totius mundi partibus episcopos ad sextam Synodum congregasse. Sed hoc notorie falsum est; nam Hispani, ad quos tamen hoc scribitur, nequidem ad Concilium VI. evocati erant.

Denique inducitur S. LEO in hac epistola extollere *Sancta quinque universalis Concilia*; et hanc Synodum Constantinopolitanam, quæ revera sexta Generalis fuit, sub nomine sextæ Hispanis mittere. Sed de S. LEONE hoc nemo præsumet. Non enim ignorabat S. LEO, quantopere Hispani perhorrescerent quintam Synodum, quod in ea damnati essent, qui in pace Ecclesiæ obivissent; merito autem metuere debuisset, ne et ipsam Synodum VI. Hispani rejicerent, si ejus occasione obtrudere ipsis quintam voluisset; præsertim, quod epistola diceret, in sexta Synodo iterum damnatos esse, qui in pace Ecclesiæ obivissent, et quidem Romanum Pontificem HONORIUM. Igitur facile damus, S. LEONEM, vel BENEDICTUM II. scripsisse ad Hispanos, at veras epistolas intercidisse.

*Nec dicas cum P. Romano: Sergius probabiliter in pace Ecclesiæ non obiit.* Nam hoc non solum probabiliter, sed certo falsum est; quis enim Romanus Pontifex condemnavit Sergium? An HONORIUS? sed hoc constanter negat P. Romanus. An SEVERINUS? sed hoc fieri non potuit, defuncto ante Sergio, quam SEVERINUS fieret Pontifex. Quis ergo damnavit?

231. *Inst. 1.* Præter epistolam ad DONUM datam ab Imperatore, de qua n. 249., annon hic aliam scribere ad S. AGATHONEM, DONI successorem, potuit?

R. Potuit; sed unde factum probas? At revera Imperatorem de cogenda sexta Synodo aliam epistolam ad AGATHONEM, præter illam quam ad DONUM misit, nullam dedisse, ex S. AGATHONIS ad Imperatorem litteris constat; cum enim in his dicat S. AGATHO, accepisse se, quam Imperator ad DONUM dederat, epistolam, eaque se excitatum fuisse ad cogendam Synodum; annon multo magis AGATHO mentionem fecisset epistolæ, si quam Imperator ad eum ipsum dedisset? Hinc corrui, quod pro alia imperatoris Constantini epistola ad AGATHONEM data, ex epistola Gregorii II. vel, ut alii putant apud Labbeum, Gregorii III. ad Leonem Isaurum, petitur argumentum; nam permissio, quod genuina esset Gregorii epistola, nihil prodest adversariis; neque enim, juxta illam Gregorii epistolam, Imperator quidquam de cogenda sexta Synodo scripsisse fertur, sed solum, indicta jam Synodo, de mittendis legatis.

Dixi : *permissio*, etc. Vix enim eruditorum aliquis epistolam illam sub nomine Gregorii II. admittit; in hac enim ut vera historia asseritur, Abagarum Edessenorum regem scripsisse ad Christum, qui manu sua responsum, impressamque sacram faciem ad eum remisit; at hoc ceu fabulam rejecerat Gelasius II. in Concil. Rom., quod Gregorius sive II. sive III. ignorasse dici non potest. Taceo id genus alia.

232. *Inst. 2.* Poterat S. LEO II. dicere, Imperatorem ad S. AGATHONEM scripsisse, eo quod, DONO defuncto, ad ipsum epistola pervenisset; ergo.

R. N. *Ant.* Valde enim diversa sunt, accipere aliquem litteras; et alicui inscribi litteras. Præterea numquid scribenti Pontifici æque facile erat nominare DONUM, quam AGATHONEM? Annon idem litterarum Pontificis effectus fuisset, ac idem finis? Dicamus igitur, quod res est, istud de S. AGATHONE, sicut cætera haecenus memorata, latuisse imperitum illum, qui dictas epistolas vel supposuit, vel interpolavit.

233. *Obj. IV. 1º.* In Libro diurno Romanorum Pontificum refertur formula fidei profitendæ ab electis Pontificibus, in qua inter cæteros condemnatos a sexta Synodo extat nomen HONORII. 2º. Cur ergo in Synodo VI., cum damnaretur ab episcopis HONORIUS, non reclamarunt Legati Pontificis?

Ad 1<sup>um</sup>. R. N. in formula fidei profitendæ olim ab electo Pontifice ita haberi; equidem in Libro diurno, quem Hollstenius et Garnerius publici juris fecerunt, legitur inter damnatos Honorius; sed nullo modo verosimile fit, formulam, relatum ab Hollstenio et Garnerio, eam fuisse, quæ ab electo Pontifice emitti solita; sed hanc Ivo Carnotensis exhibet longe diversam, ex eoque desumptam Gratianus Decreto inseruit dist. 16. c. 8. et Baronius ad annum Christi 869. exhibuit; ac ita sonat : *Sancta octo universalis Concilia, id est, Nicænum, Constantinopolitanum, et Ephesinum I., Chalcedonense, quintum quoque et sextum, item Constantinopolitana : et septimum, item Nicænum : octavum quoque Constantinopolitanum ad unum apicem immutata servare, et pari honore et veneratione digna habere, etc.* Ubi nihil de HONORIO. Concordat etiam illa Ivonis formula, cum ea, quam refert Cardinalis Deus dedit in collectione canonum, in qua integram refert professionem fidei emitti solitam, asservata in Bibliotheca Vaticana, testibus correctoribus Romanis. E contra si formulam ab Hollstenio et Garnerio relatum probe observemus, eam græce scriptam fuisse, et latine redditam, multis ex locis apparet; velut ex verbis hæc : *Venerabilem tomum celebriter assequentes ; tum ex his : Deo odibilem Macarium, qui loquendi modi Græcismum continent; deinde ex istis : Magni principis nostri domini Constantini ; quæ episcopum aliquem orientalem, non Romanum Pontificem loquentem præferunt, qui nec Imperatorem sic appellasset, et S. AGATHONEM, quod Romani Pontifices consueverant, prædecessorem suum nominasset, cum in formula de AGATHONE solum dicatur : Apostolicæ recordationis Agatho.* Taceo in Hollstenii et Garnerii formula totam ferè Conciliorum historiam referri, multisque memorari, quid in singulis gestum Conciliis fuerit, quod a formulis fidei, ut constanter in Ecclesia prodierunt, quam longissime abhorret. Igitur formula illa ab episcopo, vel patriarcha orientali missa potius ad Romanum Pontificem, quam ab hoc emissa videtur, ut ait Cl. BARTOLI Jurisconsultus Patavin.

*Respondet P. Romanus (pag. 34.) : An quia hæc sec. IX. formula, Ivonis scilicet circumfertur, propterea illa supra relata, Hollstenii nimirum et Garnerii non viguit?*

At contra R. Non viguit; quia in omnibus Bibliothecarum scriniis ac recessibus, MSS. codicibus, collectionibus canonum, historiæ Ecclesiasticæ monumentis nullius formulæ fidei emittendæ a Pontifice, præter hanc sec. IX.



inductam habetur vestigium. Non est igitur necesse, ut putat eruditus adversarius, fungum habere pro cerebro, ut credatur quempiam ante annum 869. quo Conc. gen. VIII. celebratum, profiteri potuisse: *Sancta octo universalis Concilia immutata servare promitto*; nam neque hoc quoad Concilia, neque quid aliud jurabatur ante ann. 869. sed ea jurandi formula primum inducta est seculo IX.

Ad 2<sup>um</sup>. R. Reclamasse Legatos; quis dubitet? si, quæ S. AGATHO utraque epistola scripsit, lecta in Synodo ipsis audientibus Legatis, meminisse quis voluerit. Vide, quæ ex hujus epist. diximus. n. 239. ubi hæreticis nullo modo immiscet HONORIUM.

254. Sed, *inquies*, nihil de eorum reclamazione in Actis notatum extat.

R. Hoc est, quod querimus; licet enim Acta illa non corrupta asseramus cum Baronianis, manca tamen esse, nemo negare poterit; siluisse vero Legatos, aut stetisse elingues, quercini stipitis instar, mandati AGATHONIS aut tam cito immemores, aut proditores, fidem superat; cum Orientales, producta a Macario mendacissimo priore HONORII epistola, et altera a sublesto Georgio, rapido impetu in HONORIUM involantes, HONORIO hæretico anathema dicerent. An nihil habebant Legati, quod opponerent? An illos fugerat, HONORII orthodoxiam a JOANNE IV. vindicatam? a S. MAXIMO, ob fidei tuendæ zelum, *divinum* appellatum? An ignorabant Pontifices, qui hac de re inquisitionem ante habuerant, HONORIUM in suspicionem vocasse nunquam? An illos oblivio ceperat eorum, quæ AGATHO in mandatis dederat, ut a se decretis nihil addi paterentur? Hæc incredibilia. Legati sane, dubium esse non potest, quin excusationes multas justasque attulerint HONORIO, sed quæ, cum eas admittere recusarent Orientales, notata non fuerint. Desunt igitur hæc Actis, sicut certe deest quæstio habita de Apergio Pergensi episcopo, cui cum hæreticis cæteris dictum anathema; nam causam ejus examinatam ante, necesse est, fuisse a Synodo; de quo tamen nulla in Actis occurrit mentio.

Ex sola hæc attenda circumstantia patet, quam avide Orientales gestierint damnare Romanum Pontificem: quos jam a tempore Concilii Chalcedonensis, ut ex hujus Can. 28. colligitur, ambitio stimulabat, Patriarchas suos Romanis Pontificibus æquiparandi; ac quoniam, intellecto AGATHONIS mandato, præviderant Patriarchas Constantinopolitanos anathemati subjiciendos; HONORIUM, quod tantum sub ejus nomine vidissent scriptum aliquod, licet nequidem in origine, sine mora, velut præ gaudio ulterioris moræ impatientes, damnarunt.

## DISSERTATIO III.

### DE CAUSIS INCARNATIONIS. TUM INTRINSECIS TUM EXTRINSECIS IN SPECIE.

A quidditate mysterii Incarnationis, sive compositi theandrici, quod est Christus, nunc ad ejus causas, unde pendet, contemplandas progredimur. Et quoniam hæc solent esse intrinsecæ aliæ, aliæ extrinsecæ, in utrasque inquiremus. Per causas intrinsecas ipsa compositi theandrici, sive Christi constitutiva in particulari veniunt; quæ sunt 1<sup>o</sup>. *Unio hypostatica*. 2<sup>o</sup>. *Persona incarnata*, sive assumens naturam humanam, et *natura humana assumpta*; ubi 3<sup>o</sup>. ob connexionem necessariam *communicatio idiomatum* in Christo, quam unio hypostatica fundat, consideranda venit. Per causas extrinsecas hic præter efficientem, præcipue meritoriam, finalem, sive Incarnationis motivum, intellige. De quibus singulis sequenti Sectionum ordine disputabimus, ducentes initium de prioribus: utpote quæ in consideratione rei, quam intrinsece constituunt, se propinquius habent.

#### SECTIO I.

##### DE UNIONE HYPOSTATICA.

Tam veteres, quam scholæ hodie, vocibus unionis, unitiois, assumptionis promiscue utuntur; etsi revera in rigore inter eas discrimen sit: *unitio* enim actionem denotat unientis, et hic est propriissime *Incarnatio activa*; *unio* vero illius actionis terminum; *assumptio* potius naturam, quæ assumitur ad unionem. De unione sic sumpta pro actionis unitivæ termino, quæ etiam unio formalis dicitur, hic proprie agimus. Illam esse *physicam*, abunde, opinor, liquet ex disputatis contra Nestorium. Hic igitur inquiremus 1<sup>o</sup>. Quid sit unio hypostatica? 2<sup>o</sup>. Quæ ejus proprietates? ®

#### ARTICULUS I.

##### QUID SIT UNIO HYPOSTATICA.

Sublimissima hæc quæstio est sanctorum consensu Patrum; quippe medullam, ut sic loquar, attingens hujus mysterii. Tota vero huc recidit: quomodo Verbum et humanitas sibi uniantur; an in aliquo medio, a Verbo et huma-



inductam habetur vestigium. Non est igitur necesse, ut putat eruditus adversarius, fungum habere pro cerebro, ut credatur quempiam ante annum 869. quo Conc. gen. VIII. celebratum, profiteri potuisse: *Sancta octo universalis Concilia immutata servare promitto*; nam neque hoc quoad Concilia, neque quid aliud jurabatur ante ann. 869. sed ea jurandi formula primum inducta est seculo IX.

Ad 2<sup>um</sup>. R. Reclamasse Legatos; quis dubitet? si, quæ S. AGATHO utraque epistola scripsit, lecta in Synodo ipsis audientibus Legatis, meminisse quis voluerit. Vide, quæ ex hujus epist. diximus. n. 239. ubi hæreticis nullo modo immiscet HONORIUM.

254. Sed, *inquies*, nihil de eorum reclamazione in Actis notatum extat.

R. Hoc est, quod querimus; licet enim Acta illa non corrupta asseramus cum Baronianis, manca tamen esse, nemo negare poterit; siluisse vero Legatos, aut stetisse elingues, quercini stipitis instar, mandati AGATHONIS aut tam cito immemores, aut proditores, fidem superat; cum Orientales, producta a Macario mendacissimo priore HONORII epistola, et altera a sublesto Georgio, rapido impetu in HONORIUM involantes, HONORIO hæretico anathema dicerent. An nihil habebant Legati, quod opponerent? An illos fugerat, HONORII orthodoxiam a JOANNE IV. vindicatam? a S. MAXIMO, ob fidei tuendæ zelum, *divinum* appellatum? An ignorabant Pontifices, qui hac de re inquisitionem ante habuerant, HONORIUM in suspicionem vocasse nunquam? An illos oblivio ceperat eorum, quæ AGATHO in mandatis dederat, ut a se decretis nihil addi paterentur? Hæc incredibilia. Legati sane, dubium esse non potest, quin excusationes multas justasque attulerint HONORIO, sed quæ, cum eas admittere recusarent Orientales, notata non fuerint. Desunt igitur hæc Actis, sicut certe deest quæstio habita de Apergio Pergensi episcopo, cui cum hæreticis cæteris dictum anathema; nam causam ejus examinatam ante, necesse est, fuisse a Synodo; de quo tamen nulla in Actis occurrit mentio.

Ex sola hæc attendita circumstantia patet, quam avide Orientales gestierint damnare Romanum Pontificem: quos jam a tempore Concilii Chalcedonensis, ut ex hujus Can. 28. colligitur, ambitio stimulabat, Patriarchas suos Romanis Pontificibus æquiparandi; ac quoniam, intellecto AGATHONIS mandato, præviderant Patriarchas Constantinopolitanos anathemati subjiciendos; HONORIUM, quod tantum sub ejus nomine vidissent scriptum aliquod, licet nequidem in origine, sine mora, velut præ gaudio ulterioris moræ impatientes, damnarunt.

## DISSERTATIO III.

### DE CAUSIS INCARNATIONIS. TUM INTRINSECIS TUM EXTRINSECIS IN SPECIE.

A quidditate mysterii Incarnationis, sive compositi theandrici, quod est Christus, nunc ad ejus causas, unde pendet, contemplandas progredimur. Et quoniam hæc solent esse intrinsecæ aliæ, aliæ extrinsecæ, in utrasque inquiremus. Per causas intrinsecas ipsa compositi theandrici, sive Christi constitutiva in particulari veniunt; quæ sunt 1<sup>o</sup>. *Unio hypostatica*. 2<sup>o</sup>. *Persona incarnata*, sive assumens naturam humanam, et *natura humana assumpta*; ubi 3<sup>o</sup>. ob connexionem necessariam *communicatio idiomatum* in Christo, quam unio hypostatica fundat, consideranda venit. Per causas extrinsecas hic præter efficientem, præcipue meritoriam, finalem, sive Incarnationis motivum, intellige. De quibus singulis sequenti Sectionum ordine disputabimus, ducentes initium de prioribus: utpote quæ in consideratione rei, quam intrinsece constituunt, se propinquius habent.

#### SECTIO I.

##### DE UNIONE HYPOSTATICA.

Tam veteres, quam scholæ hodie, vocibus unionis, unitiois, assumptionis promiscue utuntur; etsi revera in rigore inter eas discrimen sit: *unitio* enim actionem denotat unientis, et hic est propriissime *Incarnatio activa*; *unio* vero illius actionis terminum; *assumptio* potius naturam, quæ assumitur ad unionem. De unione sic sumpta pro actionis unitivæ termino, quæ etiam unio formalis dicitur, hic proprie agimus. Illam esse *physicam*, abunde, opinor, liquet ex disputatis contra Nestorium. Hic igitur inquiremus 1<sup>o</sup>. Quid sit unio hypostatica? 2<sup>o</sup>. Quæ ejus proprietates? ®

#### ARTICULUS I.

##### QUID SIT UNIO HYPOSTATICA.

Sublimissima hæc quæstio est sanctorum consensu Patrum; quippe medullam, ut sic loquar, attingens hujus mysterii. Tota vero huc recidit: quomodo Verbum et humanitas sibi uniantur; an in aliquo medio, a Verbo et huma-



nitate tanquam extremis realiter distincto, quod *Modistæ* appellant modum physicum, per hunc intelligentes entitatem modalem physicam, quæ sit terminus causæ incarnativæ, ab hac distinctus realiter, in quo, ceu medio, extrema vinciantur? An vero citra tale medium, ac immediate? et si ita, quomodo id accidat?

253. *Dico I.* Unio hypostatica non est entitas modalis physica realiter a Verbo et humanitate unitis distincta; adeoque Verbum et humanitas seipsis immediate ac formaliter, sine tali medio, uniuntur.

*Prob.* Quia nulla est necessitas entitatis huiusmodi: sed hæc plane otiosa et superflua est, cum sine illa possit haberi, et, quantum sublimitas patitur, explicari compositum theandricum; nam hoc nihil aliud est, quam humanitas ut formaliter dependens, vel terminata ab hypostasi Verbi, et hypostasis Verbi, ut formaliter terminans humanitatem: atqui hæc haberi possunt sine ejusmodi entitate realiter distincta; ergo. *Prob. min.* Nam sicut ex D. Th. 1. 2. q. 110. a. 1. ad 2. forma per se ipsam sine medio informat materiam, sive subjectum; sic Verbum ex virtute sua infinita terminandi et perficiendi naturam aliquam creatam, posita efficaci voluntate terminat et perficit naturam humanam immediate per se ipsam, et natura immediate terminatur et perficitur; humanitas enim per se ipsam est intrinsece terminabilis, et personalitas Verbi ex virtute sua infinita per se ipsam terminativa; ergo, posita voluntate efficaci, ut virtus terminativa Verbi in naturam se exerat, habebitur naturæ terminatio, perfectio, ejus a Verbo dependentia, et unio hypostatica.

256. *Conf. 1.* Verbum et humanitas uniuntur formaliter per illud, per quod fiunt unum in persona; sed ita fiunt per solam Verbi subsistentiam. Verbum enim divinum humanitati communicatur per modum subsistentiæ; sed subsistentia per se ipsam communicatur naturæ, sine alio medio realiter distincto, sive tali entitate modali: sicut per se ipsam est subsistentia sine entitate ejusmodi; ergo. Imo adde, quod nihil creatum possit esse actuale exercitium virtutis terminativæ Verbi, utpote actus purissimi: sicut neque virtutis Dei productivæ; igitur sicut res producit per suam virtutem intrinsecam sine actione distincta: sic personalitas Verbi per se ipsam immediate terminat naturam.

*Conf. 2.* Si inter Verbum et humanitatem mediaret aliqua entitas realiter distincta, velut utriusque vinculum et nexus realis; ergo huic uniri ante deberent extrema, quam unirentur inter se; qua enim ratione, nisi huic uniantur, poterunt per eam ipsa uniri? vel igitur uniuntur illi per se ipsa immediate, vel mediate, alia mediante entitate? si hoc ultimum; ibis in infinitum: si primum; ergo uniri formaliter non importat necessario entitatem ab extremis unitis distinctam.

*Respondent 1º.* Adversarii, entitatem illam non uniri *ut quod*, sed *ut quo*, ideoque illam non indigere alia simili entitate, per quam ipsa uniat. Sed inconceptibile manet, extrema uniri inter se per unionem distinctam, et non uniri huic; ergo etiam ipsa unio distincta est aliquid, quod unitur.

*Respondent 2º.* Entitatem illam esse ipsam rationem formalem uniuendi, ideoque non uniri per aliam entitatem, sicut albedo non dealbatur per

albedinem aliam, quia ipsa est ratio formalis albi. Verum hoc gratis plane asseritur, et merum *postulatum* est; ac paritas ab albedine petita nulla est: nam hæc dealbari non debet per albedinem, quia nullo modo vel dealbatur, vel dealbari potest; ergo est alba solum *ut quo*, non *ut quod*; entitas autem distincta unionis, si daretur, deberet ipsa quoque uniri extremis, quibus superadditur; ac proin non esset tantum aliquid, quo extrema uniantur, sed verissime etiam aliquid unitum; sicut albedo superaddita parieti huic uniri debet.

257. *Dico II.* Unio igitur hypostatica, *physice* sumpta, consistit in personalitate Verbi et humanitate, non quidem absolute, et secundum se sumptis: quia sic sumptæ poterant ambæ esse, quin essent unitæ, ut patet; sed sumptis respective, h. e. in humanitate ut terminante ac dependente ab hypostasi Verbi; et in hypostasi Verbi ut terminante humanitatem ita dependentem.

Dixi: *physice* sumpta; nam metaphysice, in abstracto considerata, est modus, sive forma metaphysica, quæ positis certis conditionibus in extremis resultat, eaque unita denominat.

*Sequitur* ex dictis *Concl. priore*. Et *ratio est*, quia his præcise habitis, habetur et intelligitur natura humana formaliter subsistens personalitate Verbi, et Verbum formaliter subsistens in natura humana; quia cum natura humana sit per se ipsam intrinsece perfectibilis, vel terminabilis; hoc ipso, quod in genere quasi causæ formalis terminetur, ac dependeat a quasi forma hypostatica Verbi, sortitur effectum subsistentis hypostasi Verbi; et vicissim, quia hypostasis Verbi est intrinsecus illius dependentiæ terminus, terminat naturam humanam, in eaque subsistit.

*Si jam quaeris*, quomodo humanitas dependeat a Verbo? *Respondeo*, dependentiam illam posse explicari per influxum sustentativum Verbi in esse humanitatis; similem illi, ut ait Wadingus, demptis tamen imperfectionibus, quem præbet subjectum accidenti, et materia formæ materiali; sicut enim hæc formæ producuntur cum dependentia a subjecto et materia, et nisi in illas continuo subjectum specialiter influeret, interirent, nisi Deus extraordinarie eas conservaret; sic humanitas Christi producta est cum dependentia a Verbo et ejus sustentativo influxu; ut, si Verbum ita sustentare humanitatem desineret, hæc interiret, nisi Deus concursu extraordinario illum influxum suppleret.

Dixi: *demptis imperfectionibus*; nam quoad alia dissimilis est ratio: Verbum enim non sustentat humanitatem ita, ut respectu hujus subjectum sit, eamque subjective causet, quomodo materia formas causare dicitur; sed præcise, quia interiret humanitas, si desineret Verbum præstare humanitati influxum ejus sustentativum, et hic a Deo specialiter non suppleretur; quia humanitas nonnisi cum ordine ad Verbum, ejusque influxum, h. e. nonnisi cum dependentia ab eo, producta est.

258. *Obj. I.* Omnis vera et positiva actio habet terminum realem et positivum immediate productum: sed Incarnatio active sumpta est vera et realis actio; ergo. Terminus autem ille alius dici nequit, quam unio distincta.



R. D. M. Omnis actio strictè productiva, qualis est actio creativa C. actio modificativa, qualis actio unitiva vel actio incarnativa est N. Huic sufficit habere terminum realem et positivum, vi sua, non simpliciter productum, sed taliter modificatum; quia actio modificativa non dat simpliciter esse rei; sed tantum facit eam se tali, vel tali modo habere. Terminus igitur *totalis* actionis incarnativæ est compositum ex Verbo et humanitate constitutum, scilicet Christus, sive Deus Homo; quia terminus *totalis* dicitur ille, in quo actio ultimato sistit: sed in hoc composito sistit actio incarnativa; sicut, proportionaliter loquendo, terminus *ad quem* *totalis* generationis humanæ nec est anima, quæ creatur, nec materia, quæ præsupponitur; sed totum compositum. Eiusdem actionis terminus *formalis* sunt extrema ut unita; quia terminus *formalis* est id, per quod formaliter constituitur terminus *totalis*: atqui; ergo.

Cæterum actio incarnativa, prout de facto contingit, habet etiam terminum de novo productum; quia humanitas vere producta est cum dependentia a Verbo, quæ constituit ipsum terminum *totalem*, sive Christum. Unde eadem realiter actio, quæ unitiva est, est etiam productiva; est tamen formaliter diversa: quia ut unitiva est, præcise unit: ut productiva, præcise ponit terminum extra causas, præscindendo ab ea unione.

259. *Neque dicas*: Actio physica productiva habet necessario terminum distinctum; ergo etiam talis actio unitiva, vel modificativa; quia et ipsa actio physica est. Item: unio fit: extrema non fiunt necessario; quia possunt præexistere.

Ad 1<sup>am</sup>. R. N. *Cons.* *Disparitas* est; productio enim dat simpliciter esse rei productæ; at actio præcise unitiva vel modificativa non dat simpliciter esse rei; sed tantum rem, quæ habet esse, facit tali, vel tali modo se habere; sic actio extensiva facit rem aliter et aliter extensam.

Ad 2<sup>am</sup>. D. Fit proprie N. improprie, scilicet per resultantiam C. Omissa ista æquivocatione potius dici oportet: extrema fiunt unita; vel, incipiunt esse unita; aut, aliter se habent; quia unio nihil aliud est, quam extrema se ipsis ita se habentia.

260. *Obj. II.* Humanitas est indifferens, ut uniat Verbo, vel non; ergo ut uniat, requiritur entitas modalis intrinsece recepta, quæ hanc indifferentiã formaliter tollat.

R. 1<sup>o</sup>. Etiam personalitas Verbi est de se indifferens, ut naturæ humanæ uniat, vel non; nec tamen requiritur talis entitas in Verbo recepta, quæ hanc indifferentiã tollat. Nec dicant adversarii, Verbum non esse capax talem entitatem intrinsece recipiendi: nam si non sit capax ad hoc, etiam non erit capax, ut uniat humanitati, si ad unionem requiratur necessario eiusmodi modalis entitas; cum fieri non possit, ut vinculum duo connectat, quod tantum extremorum uni adhæret.

R. 2<sup>o</sup>. N. *Cons.* Hæc indifferentiã intrinseca efficienter tollitur per actionem applicativam humanitatis ad Verbum; formaliter autem per ipsam humanitatem ut applicatam; quia sicut humanitas per se ipsam habet formaliter, ut possit produci dependentem a Verbo et huic uniri: sic per se ipsam formaliter habet, quod actu Verbo uniat, si illi applicetur. Simile

habes in omnibus modis realiter indistinctis, ubi positus certis conditionibus, sine ulla entitate intrinseca realiter superaddita, tollitur intrinseca indifferentiã: sic, licet paries sit intrinsece indifferens, ut sit similis, vel dissimilis parieti alteri;posito tamen in altero pariete colore eodem, fit similis, sine alia entitate intrinsece recepta; etposito colore diverso fit dissimilis.

261. *Obj. III.* Quæ unita non sunt, non possunt uniri, nisi accedat aliquid; ergo requiritur unio distincta. Item: coexistentia, et intima etiam presentia Verbi et humanitatis potest esse sine unione; ergo hæc ab iis distinguitur realiter.

Ad 1<sup>am</sup>. R. D. *Ant.* Nisi accedat aliquid extrinsecum applicans humanitatem ad Verbum C. intrinsecum, constituens unionem N.

Ad 2<sup>am</sup>. R. D. *Ant.* Coexistentia et intima presentia præcise C. coexistentia Verbi *ut terminantis*, et humanitatis *ut formaliter dependentis*, et per efficacem Dei voluntatem, sive decretum *applicatæ* ad Verbum N. Hæc vero applicatio est ipsa productio humanitatis in ordine ad Verbum: adeoque prout se tenet ex parte Dei, est efficax volitio, qua Deus vult humanitatem non absolute et secundum se, sed respective sumptam ad Verbum, cum dependentia ab hoc, ut ab eo sustentetur, per ejusque subsistentiam perficiatur, et fiat subsistens.

262. *Inst. 1.* Hæc volitio non constituit unionem formaliter, sive non est unio formalis; quia voluntas Dei non dat effectus formales rebus creatis formaliter; ergo nihil facit ad rem.

R. 1<sup>o</sup>. N. *Cons.* Etiam applicatio ignis non est formalis combustio, et tamen requiritur, ut deinde ignis per se ipsum comburat, et per vim suam intrinsecam.

R. 2<sup>o</sup>. N. iterum *Cons.* Quia licet volitio Dei non sit causa formalis unionis, vel unio formalis; requiritur tamen tanquam conditio essentialis, et applicativa humanitatis, ut hæc accipiat effectum formalem subsistentiæ; quia hac volitione, tanquam applicatione et conditione posita, personalitas Verbi purissima sua actualitate terminat naturam humanam, et communicando se illi tribuit denominationem formalem subsistentis.

263. *Inst. 2.* Volitioni divinæ debet correspondere objectum ad extra: sed aliud, præter unionem distinctam, assignari non potest; ergo.

R. 1<sup>o</sup>. Non semper volitioni divinæ debet respondere entitas aliqua de novo producta: ut patet in voluntate divina debitam peccato culpam remittente sine gratia, quod absolute Deus potest.

R. 2<sup>o</sup>. N. *min.* Nam *objectum proximum* quidem, quod efficitur per volitionem efficacem, est humanitas producta, non seorsim, sed in ordine ad Verbum. *Objectum ultimum*, quod efficitur, est ipsum compositum theandricum, sive Christus. Objectum autem, quod præcise terminat illam volitionem, ut volitio est, sunt entitates humanitatis et personalitatis relative ad se invicem spectatæ; humanitas respective ad Verbum, ut ab hoc terminetur; et Verbum respective ad humanitatem, ut per se ipsum immediate eam terminet, et perficiat.



Vult igitur Deus extrema non simpliciter, sed cum certo modo: qui modus in volitione est ipse modus tendendi illius, quo in extrema tendit compositivè, volendo, ut Verbum jam actu formaliter terminet, et perficiat humanitatem; humanitas vero ab eo dependeat tanquam termino et complemento substantiali. In objecto volito est ipsa actualis terminatio Verbi respectu humanitatis, ac hujus a Verbo dependentia. Porro hic modus ita se habendi ex parte objecti volitus, non est, ut vides, necessario distinctus, cum Verbum per se ipsum terminare possit humanitatem.

264. *Obj. IV.* Unio hypostatica passim dicitur creata; ergo est vere aliquid productum et distinctum.

R. *Potest dici* facta et creata, non quidem simpliciter et ex omni parte, sed ex parte unius extremi, scilicet humanitatis, quia hæc vere facta et creata est; Verbum vero, quod est alterum extremum, non fit simpliciter, aut creatur. Quod si humanitas jam ante existens uniretur Verbo, nihil fieret per veram creationem, sed tantum per compositionem; h. e. fieret compositum: quod ex mente Philosophorum simpliciter fieri dicitur.

265. *Obj. V.* Influxus ille sustentativus Verbi in esse humanitatis, quo hujus dependentiam a Verbo explicamus, videtur male adhiberi. *Prob.* 1°. Influxus ille sustentativus Verbi est ad extra: sed influxus ad extra in divinis est communis tribus personis; ergo et hic: unde sequeretur, totam Trinitatem esse incarnatam. 2°. Sic humanitati tribueretur modus inexistendi; sed modus inexistendi est proprius accidenti, non substantiæ. Imo cum influxus sustentativus conveniat subjecto, sequeretur, Verbum agere vices subjecti: quod dici non potest; cum hoc dicat imperfectionem, passionem, mutationem.

R. *N. Assert. Ad prob. 1am. D. min.* Influxus ad extra effectivus, qui se habet in genere causæ efficientis, est communis tribus personis C. terminativus, vel objectivus, vel similis, qui convenit uni ex tribus personis ratione prædicati relativi, vel personalitatis N. Sed talis est influxus iste sustentativus Verbi in esse humanitatis.

*Ad prob. 2am. D.* Tribueretur modus inexistendi in alio, ut subjecto proprie dicto, vel causa N. in alio ut supposito terminante, perficiente et sustentante humanitatem C. Diximus jam supra, influxum illum sustentativum explicari per illum, quem subjectum præbet accidenti; sed demptis imperfectionibus, ut ibi expositum n. 238. Unde et patet responsio ad ultimum; nam influxus ille convenit Verbo, ut supposito terminanti, et sustentanti naturam humanam, alioquin interituram, nisi Deus influxum alio speciali modo suppleret; non ut causæ proprie dictæ.

## ARTICULUS II.

AN ET QUOMODO UNIO HYPOSTATICA SIT SUPERNATURALIS, SUBSTANTIALIS, OMNIUM MAXIMA, INDISSOLUBILIS?

266. *Dico I.* Unio hypostatica est intrinsece et quoad substantiam supernaturalis.

*Ratio est;* quia est donum omni naturæ creatæ et rationabili prorsus indebitum, et supra vires activas et passivas totius naturæ; et supra omnem ejus exigentiam, quod perficiatur et terminetur in ratione suppositi a personalitate divina; ergo. *Dein* unio hypostatica naturam creatam ad esse personale divinum elevat, estque radix omnium donorum supernaturalium, quæ ad hoc esse divinum, per Incarnationem communicatum, consequuntur.

*Nec obstat,* quod unionem hypostaticam subin sanctorum Patrum quidam naturalem appellent. Non enim eo modo loquendi intelligebant id, quod est *ordinis naturalis*, prout hic supernaturalitati opponitur; sed ita vocabant 1°. Quod Christus eam statim habuerit primo instanti sui esse: quo sensu passim nobis naturale dicimus, quod est nobis congenitum. 2°. Ut indicarent eam esse physicam et realem, contra hæreticos; vel 3°. Quatenus quod est essentialis alicui, etiam respectu ejusdem naturale dicitur: at unio hypostatica est constitutiva Christi; proin respectu ejusdem essentialis est. Respectu Verbi vero dici potest præternaturalis; tum quod nec supra; tum quod nec contra ejus exigentiam sit, sed præter ipsam; cum unionem illam non exigeret præcise, etsi pro suo libitu semper terminare posset, ut aliam quæcumque creatam intellectualem substantiam, ita et humanitatem.

267. *Dico II.* Unio hypostatica est substantialis. Fide constat.

*Prob.* In Conc. Lateranensi sub S. Martino I. Secr. 3. Can. 8. (Lab. t. 6. p. 351.) ita dicitur: *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem, naturarum substantialem unionem indivise et inconfuse in eo (Christo) cognitam, condemnatus sit.* Et Can. 6. duæ Christi naturæ substantialiter unitæ dicuntur. Unde et S. TH. hic q. 2. a. 6. in 0. *Fides, inquit, catholica... non dicit, unionem factam Dei et hominis secundum essentiam, vel naturam, nec etiam secundum accidens; sed medio modo secundum subsistentiam seu hypostasin.* Et in responsione ad 3. *Sufficit ad hoc, ut non sit unio accidentalis, quod sit facta unio secundum hypostasin; licet non sit facta unio secundum naturam.*

*Ratio autem est* 1°. Quia talis est unio, qualia sunt extrema, quæ unit, et quale est compositum, quod cum extremis constituit: sed extrema, quæ unit, et compositum, quod cum illis una constituit unio hypostatica; sunt quid substantiale. 2°. Per unionem hypostaticam humanitas sic Verbo unitur, ut vi illius unionis prædicetur de Verbo substantive in concreto: sive ut Verbum denominetur *homo* substantive, non adjective *humanatus*; ac proinde humanitas non advenit Verbo per modum formæ accidentalis,



Vult igitur Deus extrema non simpliciter, sed cum certo modo: qui modus in volitione est ipse modus tendendi illius, quo in extrema tendit compositivè, volendo, ut Verbum jam actu formaliter terminet, et perficiat humanitatem; humanitas vero ab eo dependeat tanquam termino et complemento substantiali. In objecto volito est ipsa actualis terminatio Verbi respectu humanitatis, ac hujus a Verbo dependentia. Porro hic modus ita se habendi ex parte objecti volitus, non est, ut vides, necessario distinctus, cum Verbum per se ipsum terminare possit humanitatem.

264. *Obj. IV.* Unio hypostatica passim dicitur creata; ergo est vere aliquid productum et distinctum.

R. *Potest dici* facta et creata, non quidem simpliciter et ex omni parte, sed ex parte unius extremi, scilicet humanitatis, quia hæc vere facta et creata est; Verbum vero, quod est alterum extremum, non fit simpliciter, aut creatur. Quod si humanitas jam ante existens uniretur Verbo, nihil fieret per veram creationem, sed tantum per compositionem; h. e. fieret compositum: quod ex mente Philosophorum simpliciter fieri dicitur.

265. *Obj. V.* Influxus ille sustentativus Verbi in esse humanitatis, quo hujus dependentiam a Verbo explicamus, videtur male adhiberi. *Prob.* 1°. Influxus ille sustentativus Verbi est ad extra: sed influxus ad extra in divinis est communis tribus personis; ergo et hic: unde sequeretur, totam Trinitatem esse incarnatam. 2°. Sic humanitati tribueretur modus inexistendi; sed modus inexistendi est proprius accidenti, non substantiæ. Imo cum influxus sustentativus conveniat subjecto, sequeretur, Verbum agere vices subjecti: quod dici non potest; cum hoc dicat imperfectionem, passionem, mutationem.

R. *N. Assert. Ad prob. 1am. D. min.* Influxus ad extra effectivus, qui se habet in genere causæ efficientis, est communis tribus personis C. terminativus, vel objectivus, vel similis, qui convenit uni ex tribus personis ratione prædicati relativi, vel personalitatis N. Sed talis est influxus iste sustentativus Verbi in esse humanitatis.

*Ad prob. 2am. D.* Tribueretur modus inexistendi in alio, ut subjecto proprie dicto, vel causa N. in alio ut supposito terminante, perficiente et sustentante humanitatem C. Diximus jam supra, influxum illum sustentativum explicari per illum, quem subjectum præbet accidenti; sed demptis imperfectionibus, ut ibi expositum n. 238. Unde et patet responsio ad ultimum; nam influxus ille convenit Verbo, ut supposito terminanti, et sustentanti naturam humanam, alioquin interituram, nisi Deus influxum alio speciali modo suppleret; non ut causæ proprie dictæ.

## ARTICULUS II.

AN ET QUOMODO UNIO HYPOSTATICA SIT SUPERNATURALIS, SUBSTANTIALIS, OMNIUM MAXIMA, INDISSOLUBILIS?

266. *Dico I.* Unio hypostatica est intrinsece et quoad substantiam supernaturalis.

*Ratio est;* quia est donum omni naturæ creatæ et rationabili prorsus indebitum, et supra vires activas et passivas totius naturæ; et supra omnem ejus exigentiam, quod perficiatur et terminetur in ratione suppositi a personalitate divina; ergo. *Dein* unio hypostatica naturam creatam ad esse personale divinum elevat, estque radix omnium donorum supernaturalium, quæ ad hoc esse divinum, per Incarnationem communicatum, consequuntur.

*Nec obstat,* quod unionem hypostaticam subin sanctorum Patrum quidam naturalem appellent. Non enim eo modo loquendi intelligebant id, quod est *ordinis naturalis*, prout hic supernaturalitati opponitur; sed ita vocabant 1°. Quod Christus eam statim habuerit primo instanti sui esse: quo sensu passim nobis naturale dicimus, quod est nobis congenitum. 2°. Ut indicarent eam esse physicam et realem, contra hæreticos; vel 3°. Quatenus quod est essentialis alicui, etiam respectu ejusdem naturale dicitur: at unio hypostatica est constitutiva Christi; proin respectu ejusdem essentialis est. Respectu Verbi vero dici potest præternaturalis; tum quod nec supra; tum quod nec contra ejus exigentiam sit, sed præter ipsam; cum unionem illam non exigeret præcise, etsi pro suo libitu semper terminare posset, ut aliam quæcumque creatam intellectualem substantiam, ita et humanitatem.

267. *Dico II.* Unio hypostatica est substantialis. Fide constat.

*Prob.* In Conc. Lateranensi sub S. Martino I. Secr. 3. Can. 8. (Lab. t. 6. p. 351.) ita dicitur: *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem, naturarum substantialem unionem indivise et inconfuse in eo (Christo) cognitam, condemnatus sit.* Et Can. 6. duæ Christi naturæ substantialiter unitæ dicuntur. Unde et S. TH. hic q. 2. a. 6. in 0. *Fides, inquit, catholica... non dicit, unionem factam Dei et hominis secundum essentiam, vel naturam, nec etiam secundum accidens; sed medio modo secundum subsistentiam seu hypostasin.* Et in responsione ad 3. *Sufficit ad hoc, ut non sit unio accidentalis, quod sit facta unio secundum hypostasin; licet non sit facta unio secundum naturam.*

*Ratio autem est* 1°. Quia talis est unio, qualia sunt extrema, quæ unit, et quale est compositum, quod cum extremis constituit: sed extrema, quæ unit, et compositum, quod cum illis una constituit unio hypostatica; sunt quid substantiale. 2°. Per unionem hypostaticam humanitas sic Verbo unitur, ut vi illius unionis prædicetur de Verbo substantive in concreto: sive ut Verbum denominetur *homo* substantive, non adjective *humanatus*; ac proinde humanitas non advenit Verbo per modum formæ accidentalis,



sicut vestis advenit homini : qui proinde nunquam substantive *vestis*, sed adjective *vestitus* dicitur; ergo et ipsa unio hypostatica esse *substantialis* debet.

Inde collige: naturam humanam non posse simpliciter dici unitam Verbo accidentaliter, non solum in sensu Nestorii hæretico; sed neque in sensu Durandi, qui licet docuerit, Verbum sibi univisse humanitatem in unitate personæ; hanc tamen unionem accidentalem dici posse censuit. Tum, quod locutio ista Nestorianis faveat; tum quod abhorreat a communi Patrum et Conciliorum loquendi modo, a quibus non aliter, quam substantialis appellatur. Potest tamen dici *accidentalis logice*; quia scilicet Verbo accidit ut forma metaphysica; nullatenus autem *accidentalis physice*: quasi humanitas cum Verbo non constitueret intrinsece unum per se, vel unum totum substantiale.

268. Dico III. Unio hypostatica est maxima, in ratione *unionis*, et in ratione *doni*. Est communis Theologorum contra Durandum, qui beatitudinem esse quid majus in ratione *doni* asseruit.

Prob. 1<sup>a</sup> pars. Unionem hypostaticam in ratione *unionis* esse maximam, dupliciter potest intelligi; 1<sup>o</sup>. Quod sit maxima ex parte ejus, in quo tanquam medio et vinculo communi uniuntur ambæ naturæ, humana et divina. 2<sup>o</sup>. Quod sit maxima quoad vim et efficaciam copulandi extrema. Atqui ratione utriusque est maxima; ergo est maxima in ratione *unionis*. Prob. min. per partes: Nam imprimis medium et vinculum commune, in quo natura utraque unitur, est simplicissimum et maxime unum; est enim personalitas Verbi, in se simplicissima, et maxime una cum divinitate: sed eo major est unio, quo simplicius et magis unum est medium, in quo extrema junguntur; ergo. Deinde eo major est unio, quo magis distantia et improporionata sunt extrema quæ uniuntur; inde enim elucet ejus efficacia: at per unionem hypostaticam fit conjunctio infiniti cum finito, Dei cum creatura; quæ sunt extrema inter se summe distantia, nec habent proportionem entitativam, nec inclinationem naturalem ad se invicem in ratione perfectivi et perfectibilis; sed obedientialem solum ex parte humanitatis; eminentialem vero ex parte Verbi.

Prob. 2<sup>a</sup> pars. 1<sup>o</sup>. Unio hypostatica est immediata et substantialis conjunctio cum ipsa deitate, ut verè sint propositiones: *Deus est homo; homo est Deus*. Sed majus *donum* obvenire naturæ create non potest, juxta S. Aug. L. de Prædest. sanctorum c. 15. n. 31.: *Prædestinata est, inquit, ista natura humanæ tanta et tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius, non haberet*. Unde consequitur, quod plus honoris debeat Christo, quam creaturarum ulli ratione alterius doni; ergo unio hypostatica excellentissimum *donum* est. 2<sup>o</sup>. Unio hypostatica est omnium donorum supernaturalium radix: naturam humanam constituit in esse Dei, non per similitudinem, vel participationem; sed per subsistentiam divinam, naturamque personaliter communicatam: vi enim illius persona divina est persona humanitatis, et sic hujus complementum substantiale; et vicissim humanitas est natura Verbi. Unde

*Inferes*: Unionem hypostaticam esse simpliciter ac intensive perfectiorem visione beatifica: quamvis enim visio beatifica quasi conjungat beato divi-

nam essentiam et tres personas; hæc tamen conjunctio est solummodo intentionalis, extrinseca, accidentalis: unio contra hypostatica conjungit intrinsece, substantialiter, physice, et in unum per se; quod est multo perfectius intensive. Item: unio hypostatica tanquam radix ipsam beatificam visionem exigit ceu debitum.

269. Dico IV. Unio hypostatica perpetua et indissolubilis est; ac nequidem in morte Christi, dissoluta licet unione inter corpus et animam, destructa fuit.

Prob. 1<sup>a</sup> pars, quæ est dogma fidei. Ex SS. Scripturis: Joan. 12. *Christus manet in æternum*. Hebr. 13. *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula*. Et cap. 7. *Hic autem (Christus) eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*. Si vero Christus sit permansurus æternum; æternum quoque durabit unio hypostatica, qua Christus unitur humanitati; cum sine unione illa Verbum non esset amplius Christus.

Conf. Ex Conc. Chalcedonensi in expositione fidei: ubi docet, utramque naturam, divinam et humanam, in unam concurrisse personam *indivisibiliter, et inseparabiliter*.

Ex quibus refellitur 1<sup>o</sup>. *Marcelli Ancyran* error, qui, teste Eusebio de Eccles. Theolog. L. 3. c. 13. ex male intellectis verbis Apostoli 1. ad Cor. 24. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri*, asseruit, Christum, post extremi judicii diem, officio suo Mediatoris perfunctum, depositurum esse corpus et animam, hisque in nihilum redactis, regnum, quod eo usque tenuerat, Patri cessurum.

2<sup>o</sup>. *Origenis* error, qui, teste S. Hieronymo epist. 124. n. 5. ad Avitum, abusus illis Apostoli verbis 1. Cor. 15. *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, pessime inferebat, interitura aliquando singula corpora, nec regnatura in cælo; proindeque et naturam humanam esse a Verbo dimittendam.

Prob. 2<sup>a</sup> pars, quæ est communis et certa sententia. Ex *Symbolo*, quo dicitur *Christus descendisse ad inferos, fuisse in sepulcro*: quod falsum esset, si anima ejus et corpus separata tunc a Verbo fuissent; qui enim Christum dicit, divinitatem hoc ipso dicit cum humanitate aut tota simul, aut cum ejus partibus conjunctam; ergo in triduo mortis mansit divinitas conjuncta imprimis cum anima: sed et cum corpore; sola enim conjunctio Verbi cum anima non efficit Christum. Nec obstat, quod inter corpus et animam Christi soluta esset unio; nam hoc impedire non poterat, quominus nihilominus Verbum cum his unitum permaneret.

Conf. Ex sanctis Patribus, qui indissolubilem Verbi cum carne et anima unionem, etiam in triduo mortis, perseverasse, pro indubitato habebant, et tanquam ab omnibus concessio adversus Arianos et Apollinaristas usi sunt, apud Petav. L. XII. c. 19. Sic et S. Leo serm. 17. de Pass. c. 1. *In tantam, inquit, unitatem Dei et hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi*. S. JOANNES DAMASCENUS L. 3. de Orthod. fide c. 27. *Quamvis, ait, Christus ut homo mortem obierit, sanæque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit; Divinitas tamen a neutro, hoc est, nec ab anima, nec a corpore sejuncta est*. Et S. Aug. epist. 187. c. 2. n. 5. *Neque enim ipso die (mortis) in cælo futurus erat homo Christus Jesus; sed in in-*



*fero secundum animum, in sepulcro autem secundum carnem.* Plures Patrum sententias in Petavio loco cit. require. At tam claræ sunt hæ Patrum sententiæ, ut nulla ratione eludi possint; ergo. Atque exinde enatum illud Scholarum axioma: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit;* quod alii a S. DAMASCENO dictum volunt; sed in eo non reperitur. At quis-cumque auctor sit, de partibus naturam humanam integranibus, non de minimis quibusque particulis intelligi debet. Ex dictis

*Colliges:* E sanctis Patribus quosdam, ut EPIPHANIAM hæc. 20. et 69. (opp. t. 1. p. 49. et 789.), HILARIUM c. 33. in Matthæum n. 6., AMBROSIUM Tract. de symb. Apostolor. (al. de Trinit. c. 13. opp. t. 2. part. 2<sup>a</sup>. p. 330.), dum contrarium asserere videntur, vel deserendos esse, salva, quæ iis debetur, reverentia; vel benigne, quoad potest, exponendos, de separatione divinitatis ab humanitate in tempore mortis Christi, quoad singularem divinæ protectionis et assistentiæ influxum; cum permetteret Deus, Christum summis cum doloribus et turpissima morte conflagere; quo et sensu clamabat in cruce patiens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

270. Sed ex hisce disputatis gravior quæstio enata est: *An Verbum divinum sicut carni et animæ, ita et Sanguini effuso manserit hypostatice unitum in tempore mortis Christi?* quæ temporibus Pii II. gravissime collisit RR. PP. Dominicanos et Franciscanos, prioribus affirmativam tuentibus; posterioribus negativam. Per tres dies coram ipso summo Pontifice ea de re disputatum, Dominicanorum partes propugnante Dominico de Dominicis; Franciscanorum Francisco de la Rovere, qui postea sub nomine Sixti IV. summus Pontifex fuit. Exitus is fuit, ut Pius II. pro neutra quidem parte sententiam definitivam ferret; at sub pœna excommunicationis præciperet utrique, ne pars altera alteram erroris, vel cujuslibet alterius censure nota impeteret. Nos in hac controversia ita sentimus:

271. *Dico V.* Verbum etiam Christi Sanguini in passione effuso, hypostatice unitum mansit.

Ita Theologi communiter. Hæc tamen sententia non excedit probabilitatis limites: quod enim Theologorum aliqui sententiam oppositam a Sede Apostolica, decreto Clementis VI., cujus tempore eadem quæstio in Hispania magnos motus concitaverat, damnatam proclamant; id fundamento caret; sed decretum istud merito ut supposititium rejicit de Lugo Disp. 14. de Incarnat. Et vero 1<sup>o</sup>. nullibi illud reperire est; 2<sup>o</sup>. non concordat cum constitutione Pii II. utrique parti solum præcipientis, ne qua alteram censura notaret; sicque de cætero in sentiendo libertatem relinquens.

*Prob.* Sanguis ille ante ejus effusionem erat Verbo hypostatice unitus, ut probabitur Sect. sequenti; ergo et post effusionem unitus permansit; *quod enim Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit:* quod axioma, etsi de minimis quibuscumque particulis non intelligendum velimus; merito tamen ad integraniam naturam humanam, atque huic necessaria, inter quæ est sanguis, extenditur. Et quamvis sententiæ Patrum, in quibus fundari hoc axioma diximus, expressam de sanguine mentionem non faciant; rationes tamen, quibus probant, corpus et animam, inter se licet separata, Verbo tamen mansisse unita, etiam pugnant pro sanguine. Sic Patres pro ratione,

quod Verbum manserit unitum cum corpore et anima, afferunt inter alias: quia corpus et anima in resurrectione iterum erant conjungenda; tum quia unio hypostatice multo est firmiter, quam quævis unio naturalis alia: sed hæ rationes etiam sanguini conveniunt; nam et sanguis erat conjungendus corpori; etiam hic, ante erat hypostatice unitus.

272. *Obj. I.* Non est certum, quod Christus resurgens reassumpserit sanguinem; ergo cessat ante allata ratio prior. *Prob. Ant.* ex S. Aug. epist. 205. ad Consentium, qui interrogaverat ex S. Patre: *Utrum nunc corpus Christi, ossa et sanguinem habeat?* respondit Aug. n. 2. et 3. *Fides adsit, et nulla quæstio remanebit; nisi forte de sanguine requirendum est, quia, cum dixisset (Christus): Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, non addidit, sanguinem. Non ergo et nos addamus inquirere quod ille non addidit dicere; et de compendio, si placet, finita sit quæstio;* ergo.

R. N. *Ant.* Quis enim gloriosum Christi corpus, debita connaturali integritate mancum, et exsanguie ausit dicere?

*Ad prob. R. N. Cons.* Non enim propterea id negat, aut de eo vere dubitavit S. Aug. Sed ideo ita respondit, et studiose quidem, ut plures alias, quas prævidebat, quæstiones præcideret, quibus se liberatum volebat, ne delineretur a negotiis aliis; hoc constat ex iis, quæ immediate subjecit: *Fortassis enim, inquit, accepta occasione sanguinis, urgebit nos molestior perscrutator, et dicet: si sanguis, cur non et pituita, cur non et fel flavum et fel nigrum? etc.* Ubi supponit S. Aug. se sentire: sanguinem fuisse reassumptum in glorioso Christi corpore: *Si sanguis (in Christi corpore), id est, si hoc in eo esse dixerō; quæret continuo alius: an etiam pituita? etc.* ac proinde significat se ad declinandas ejusmodi quæstiones, nolle respondere hic, quid de sanguine sentiat. Sed, *si placet, compendio finita sit quæstio.*

273. *Obj. II.* Si Verbum effuso Christi sanguini hypostatice unitum mansit; ergo dici posset: *Deus, vel Christus effusus est in terram;* sicut dicitur descendisse ad inferos, sepultus.

R. N. *seq.* Neque enim inter Verbum, et singulas partes, præsertim integrantes, abstractim sumptas, datur communicatio idiomatum; quia sola nomina concreta, quæ naturas completas significant, prædicari possunt, vel saltem solent de talium naturarum supposito; nomina autem significantia naturas partiales, vel partes non prædicantur de suppositis; unde non dicimus: *Petrus est anima; Petrus est sanguis; Verbum est manus; Verbum est anima;* licet partes illas Verbum immediate assumpserit. Quod vero dicamus, ipsum descendisse ad inferos, sepultum, licet solum corpus fuerit sepultum, et sola anima descenderit ad inferos; inde est, quod juxta receptum communemque loquendi modum denominationes illæ, quæ reipsa quidem soli animæ, soli corpori vel cadaveri conveniunt, per tropum tribui soleant ipsi homini; sic dicimus: S. Petrus est in cælo, licet sola ejus anima in cælo sit; est Romæ sepultus, ratione solius corporis. Verum ab uno loquendi modo, pro arbitrio nostro, non licet nobis argumentari ad alium, præsertim in hac materia, nec licet nobis fingere pro libitu significationes nominum; sed debemus stare significationi nominum, quibus si-



gnificantur concreta admittentia tales prædicationes; et hic præ oculis habere oportet modum loquendi Ecclesie, Patrum et Doctorum.

274. *Obj. III.* Verbum a sanguine in passione recessit; sicut, vivente Christo, recedebat ab eo, qui calore naturali resolvebatur; ergo.

R. 1<sup>o</sup>. Multæ pariter particule carnis, similiter calore naturali resolutæ non retinebant unionem cum Verbo; ergo sicut ab his recedebat Verbum, sic quoque recessisset a corpore, separato ab anima. Quod falsissimum est.

R. 2<sup>o</sup>. *N. Ant. et parit.* Nam *disparitas* est, quod sanguis Christi in passione effusus et corpus essent iterum conjungenda inter se; neque enim corpus mutilum et exsanguine in resurrectione habere Christus voluit; e contra minutiores illæ particule carnis et sanguinis, calore naturali resolutæ, et per transpirationem dimissæ, reassumendæ non erant; unde ab his recessisse Verbum dici potest, non a prioribus.

275. *Si queras*, quid censendum sit de guttis quibusdam Christi sanguinis, quæ post resurrectionem mansisse creduntur in instrumentis passionis dominicæ, flagris, spinis, clavis, etc. item tunica inconsutilli, sindone, qua corpus Christi obvolutum in sepulcro? Sic et Massiliæ terram rubeam Christi sanguine aspersam exhibent FF. Prædicatores, quam S. Magdalena illuc transportasse dicitur; et Mantuæ sacer sanguis ostenditur, de quo Baronius ad A. C. 804.; porro, teste S. ATHANASIO, *L. de passione imaginis domini nostri Jesu Christi*, et Syn. gener. VII. Act. 4. ubi hanc historiam approbat; cum Berythi, Syriæ urbe, Judæi imaginem Christi lancea transfigerent, tantum inde sanguinis effluxit, ut amphoram impleret. Quid de eo sentiendum?

R. 1<sup>o</sup>. Probabilius est, particulas sacri sanguinis, qui effusus instrumentis S. passionis Christi, instrumentis iisdem, Christi vestibus, sindoni, terræ adhæsit, esse a Verbo dimissas, ut late evineit Suarez Disp. 47. Sect. 3. aliique. Et vero 1. nullum fundamentum aut ratio cogit ad tantum asserendum miraculum, ut adhuc extra Christum esse Verbo unitas dicamus. 2. Quia remanentes post Christi resurrectionem, non pertinebant ad integritatem humanitatis; cum, sine his, sanguinem ad integritatem requisitum reassumpsisset.

*Neque dicas* 1<sup>o</sup>. Videri dicendum potius esse colorem sanguinis, quam sanguinem in sacris illis instrumentis, quia S. Th. p. 3. q. 54. a. 2. ad 3. docet, quod totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit; cum ad veritatem humanam naturam pertineat, in corpore Christi resurrexerit. 2<sup>o</sup>. Si particule illæ sint dimissæ a Verbo; quid tantus eis cultus exhibetur? Nam

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. *N. Assert.* Etsi enim ita dici, salva fide, possit; non tamen satis salva auctoritate Ecclesie, ejus permissio hac in re est tacita comprobatio; nec satisfat antiquissimæ et piæ traditioni fidelium, nec experientie sensuum; sanguis enim rubefacit, sicut nix dealbat.

*Ad S. Thomam R.* loqui eum de toto moraliter sanguine; quia loquitur de sanguine, qui ad veritatem, seu integritatem naturæ pertinet; sed hanc integritatem non impedit quarundam particularum defectus.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. 1<sup>o</sup>. Ut illi veneremur, sufficit, quod unitus aliquando Verbo

fuerit; sicut sanctam crucem ipsam, vestem, et alia veneramur merito, ob longe licet minorem cum Verbo unionem.

R. 2<sup>o</sup>. Sanguis, qui ex Christi imagine transfixa fluxit, miraculosus quidem est; at nunquam hypostatice unitus Verbo. Addere quidem dicitur Athanasius: *Hic est sanguis Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur; nec est aliter æstimandum a veris catholicis, præter id, quod scribitur a nobis.* Verum hæc S. Athanasio supposita sunt; nec enim in codice græco, nec versione ANASTASII Bibliothecarii extant, nec in ullo exemplari ante Pium II. reperiuntur; sed in editione anno 1340. opera Gyberti Longolii, primum ea verba leguntur. Vide Bellarm. L. de Script. Eccl. ad Tom. IV. ATHANAS. et Harduinum.

## SECTIO I.

### DE PERSONA ASSUMENTE, ET NATURA ASSUMPTA.

Præsentis controversiæ causam præbet multiplex hæreticorum vulgus, quorum sopita olim deliria, in junioribus quibusdam reviviscere visa sunt, de quibus Proœmium consuli potest. Quoad *personam assumentem* hic in quæstionem venit: utrum Incarnatio solius Verbi sit propria? Et, cur istud? Quoad *naturam assumptam*: an in veritate persona Verbi assumpserit naturam humanam tam quoad corpus, quam animam? Secundum quas partes integrantes? An carnem traxerit ex Maria matre, illæsa hujus integritate? quæ sequentium articulorum seriem dabunt.

### ARTICULUS I.

#### UTRUM NATURÆ ASSUMPTIO SOLIUS PERSONÆ VERBI SIT PROPRIA?

Non istud solum hic quæritur: an solum Verbum incarnatum sit, sive naturam humanam assumpserit, quod facile ex recta fide monstrabit Conclusio prima; sed aliud est insuper, quod difficultatem haud levem parit; quia enim in Verbo divino duo sunt prædicata, sive duæ virtualitates inter se distinctæ, nempe *filialio*, quæ est proprietas relativa, soli personæ secundæ propria; et *natura*, quæ est communis Trinitati, et prædicatum absolutum; inde nascitur quæstio: cur, cum etiam cum Verbo ejus natura incarnata sit, Incarnatio tamen non sit communis Trinitati, sed adhuc personæ Filii propria? Pendet vero hæc quæstio ab alia: sub qua ratione formali Verbum naturæ humanæ unitum sit? an ratio hæc sit natura, sive essentia divina et prædicata absoluta? an vero sit subsistentia relativa, quæ est Verbo propria, ejusque distinctiva a personis reliquis?

276. *Dico I.* Sola persona Filii naturam humanam assumpsit, sive incarnata fuit. Fide constat.



gnificantur concreta admittentia tales prædicationes; et hic præ oculis habere oportet modum loquendi Ecclesie, Patrum et Doctorum.

274. *Obj. III.* Verbum a sanguine in passione recessit; sicut, vivente Christo, recedebat ab eo, qui calore naturali resolvebatur; ergo.

R. 1<sup>o</sup>. Multæ pariter particule carnis, similiter calore naturali resolutæ non retinebant unionem cum Verbo; ergo sicut ab his recedebat Verbum, sic quoque recessisset a corpore, separato ab anima. Quod falsissimum est.

R. 2<sup>o</sup>. *N. Ant. et parit.* Nam *disparitas* est, quod sanguis Christi in passione effusus et corpus essent iterum conjungenda inter se; neque enim corpus mutilum et exsanguine in resurrectione habere Christus voluit; e contra minutiores illæ particule carnis et sanguinis, calore naturali resolutæ, et per transpirationem dimissæ, reassumendæ non erant; unde ab his recessisse Verbum dici potest, non a prioribus.

275. *Si queras*, quid censendum sit de guttis quibusdam Christi sanguinis, quæ post resurrectionem mansisse creduntur in instrumentis passionis dominicæ, flagris, spinis, clavis, etc. item tunica inconsutilli, sindone, qua corpus Christi obvolutum in sepulcro? Sic et Massiliæ terram rubeam Christi sanguine aspersam exhibent FF. Prædicatores, quam S. Magdalena illuc transportasse dicitur; et Mantuæ sacer sanguis ostenditur, de quo Baronius ad A. C. 804.; porro, teste S. ATHANASIO, *L. de passione imaginis domini nostri Jesu Christi*, et Syn. gener. VII. Act. 4. ubi hanc historiam approbat; cum Berythi, Syriæ urbe, Judæi imaginem Christi lancea transfigerent, tantum inde sanguinis effluxit, ut amphoram impleret. Quid de eo sentiendum?

R. 1<sup>o</sup>. Probabilius est, particulas sacri sanguinis, qui effusus instrumentis S. passionis Christi, instrumentis iisdem, Christi vestibus, sindoni, terræ adhæsit, esse a Verbo dimissas, ut late evineit Suarez Disp. 47. Sect. 3. aliique. Et vero 1. nullum fundamentum aut ratio cogit ad tantum asserendum miraculum, ut adhucdum extra Christum esse Verbo unitas dicamus. 2. Quia remanentes post Christi resurrectionem, non pertinebant ad integritatem humanitatis; cum, sine his, sanguinem ad integritatem requisitum reassumpsisset.

*Neque dicas* 1<sup>o</sup>. Videri dicendum potius esse colorem sanguinis, quam sanguinem in sacris illis instrumentis, quia S. Th. p. 3. q. 54. a. 2. ad 3. docet, quod totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit; cum ad veritatem humanam naturæ pertineat, in corpore Christi resurrexerit. 2<sup>o</sup>. Si particule illæ sint dimissæ a Verbo; quid tantus eis cultus exhibetur? Nam

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. *N. Assert.* Etsi enim ita dici, salva fide, possit; non tamen satis salva auctoritate Ecclesie, ejus permissio hac in re est tacita comprobatio; nec satisfat antiquissimæ et piæ traditioni fidelium, nec experientie sensuum; sanguis enim rubefacit, sicut nix dealbat.

*Ad S. Thomam R.* loqui eum de toto moraliter sanguine; quia loquitur de sanguine, qui ad veritatem, seu integritatem naturæ pertinet; sed hanc integritatem non impedit quarundam particularum defectus.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. 1<sup>o</sup>. Ut illi veneremur, sufficit, quod unitus aliquando Verbo

fuerit; sicut sanctam crucem ipsam, vestem, et alia veneramur merito, ob longe licet minorem cum Verbo unionem.

R. 2<sup>o</sup>. Sanguis, qui ex Christi imagine transfixa fluxit, miraculosus quidem est; at nunquam hypostatice unitus Verbo. Addere quidem dicitur Athanasius: *Hic est sanguis Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur; nec est aliter æstimandum a veris catholicis, præter id, quod scribitur a nobis.* Verum hæc S. Athanasio supposita sunt; nec enim in codice græco, nec versione ANASTASII Bibliothecarii extant, nec in ullo exemplari ante Pium II. reperiuntur; sed in editione anno 1340. opera Gyberti Longolii, primum ea verba leguntur. Vide Bellarm. L. de Script. Eccl. ad Tom. IV. ATHANAS. et Harduinum.

## SECTIO I.

### DE PERSONA ASSUMENTE, ET NATURA ASSUMPTA.

Præsentis controversiæ causam præbet multiplex hæreticorum vulgus, quorum sopita olim deliria, in junioribus quibusdam reviviscere visa sunt, de quibus Proœmium consuli potest. Quoad *personam assumentem* hic in quæstionem venit: utrum Incarnatio solius Verbi sit propria? Et, cur istud? Quoad *naturam assumptam*: an in veritate persona Verbi assumpserit naturam humanam tam quoad corpus, quam animam? Secundum quas partes integrantes? An carnem traxerit ex Maria matre, illæsa hujus integritate? quæ sequentium articulorum seriem dabunt.

### ARTICULUS I.

#### UTRUM NATURÆ ASSUMPTIO SOLIUS PERSONÆ VERBI SIT PROPRIA?

Non istud solum hic quæritur: an solum Verbum incarnatum sit, sive naturam humanam assumpserit, quod facile ex recta fide monstrabit Conclusio prima; sed aliud est insuper, quod difficultatem haud levem parit; quia enim in Verbo divino duo sunt prædicata, sive duæ virtualitates inter se distinctæ, nempe *filialio*, quæ est proprietas relativa, soli personæ secundæ propria; et *natura*, quæ est communis Trinitati, et prædicatum absolutum; inde nascitur quæstio: cur, cum etiam cum Verbo ejus natura incarnata sit, Incarnatio tamen non sit communis Trinitati, sed adhuc personæ Filii propria? Pendet vero hæc quæstio ab alia: sub qua ratione formali Verbum naturæ humanæ unitum sit? an ratio hæc sit natura, sive essentia divina et prædicata absoluta? an vero sit subsistentia relativa, quæ est Verbo propria, ejusque distinctiva a personis reliquis?

276. *Dico I.* Sola persona Filii naturam humanam assumpsit, sive incarnata fuit. Fide constat.



*Prob. I. Ex sacris Scripturis*, quæ, quæcumque de Incarnatione loquuntur, hanc Filio tribuunt, nunquam Patri, aut Spiritui sancto; Joan. 1. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Pater vero Filium misisse dicitur: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Imo Scriptura manifeste excludit Patrem: *Pater major me est.* Joan. 14.; quæ propositio nullo modo vera esset, si uterque naturam humanam assumpsisset; quia omnino essent æquales, non solum ratione divinitatis, sed etiam humanitatis. Spiritum sanctum vero adhuc venturum, et a se mittendum dicit Filius: *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, etc. Si non abiero, Paraclitus non veniet.*

*Prob. II. Ex Symbolis et Conciliis.* Eamdem enim veritatem conceptis verbis tradit symbolum Apostolorum, Nicænum, Athanasianum. Definiverunt Concilia, Ephesinum Can. 13., Chalcedonense Act. 5., Constantinopolitanum II. Collat. 8. et Constantinopolit. III. Act. 4., Lateranense sub MARTINO I. Can. 2.

Rationem vero *a priori* aliam reddere non possumus, quam voluntatem vel decretum Dei. Rationes *congruentiæ* esse possunt 1º. quia conveniebat, ut, quantum fieri posset, idiomata essent similia; scilicet, ut, qui ab æterno erat Filius Dei, fieret in tempore Filius hominis; ne ob communicationem idiomatum plures essent in Trinitate filii, et exinde æquivocatio, confusio, aut error; *nempe*, ut ait S. ANSELMUS L. de Incarn. Verbi c. 4. *Si Spiritus sanctus incarnatus esset, sicut Filius est incarnatus, esset Spiritus sanctus Filius hominis. Essent igitur duo Filii in trinitate Dei, scilicet Filius Dei et Filius hominis. Unde quedam nasceretur dubietatis confusio, cum de Deo Filio loqueremur, uterque enim esset Deus et Filius, quamvis alter Dei, alter hominis.* 2º. Verbum est exemplar et sapientia, per quam facta sunt omnia, et ideo decuit, ut per eandem sapientiam incarnatam, omnia instaurarentur, et ad excellentiorem quamdam dignitatem prohererentur. Ita DAMASCENUS de Fide L. 4. c. 4. 3º. Homo per suum redemptorem adoptandus erat in filium Dei; decebat autem, ut Filius naturalis filios adoptativos faceret, sibi quodammodo similes. 4º. Filius est persona inter Patrem et Spiritum sanctum media, quatenus procedit a Patre et simul cum Patre producit Spiritum sanctum; unde conveniebat, ut etiam Mediator esset Deum inter et hominem. Taceo id genus plures, quas afferunt Patres alii, qui videri possunt apud Suarez Disp. 12. Sect. 1ª.

Quod autem persona una incarnari possit sine altera, *ratio est*, quia persona una distinguitur realiter ab altera; ergo una assumere, i. e. terminare potest naturam humanam, quin necessario et altera eandem terminet: sicut una persona generare potest, quin generet altera; licet omnes habeant unam eandemque naturam sibi realiter identificatam.

277. *Dico II.* Ratio formalis, per quam Verbum divinum formaliter terminat naturam humanam, non est natura aut aliud prædicatum ejus absolutum; sed proprietas relativa Verbi, hujus personalitas: sive, quod idem est, *Verbum est unitum humanitati per se et primario secundum personalitatem: secundario autem, consecutive, et identice tantum secundum naturam divinam: vel mediate, scilicet mediante personalitate Verbi.*

Quia immediata ratio, cur natura divina uniatur humanitati, est hypo-

ssis Verbi, cui natura identificatur realiter. Unde sequitur, quod licet natura divina sit identificata Verbo, non tamen propterea tota Trinitas incarnata sit, dum Verbum incarnatum est: licet enim natura sit realiter identice unum cum Verbo; natura tamen et personalitas divina distinguuntur vel distinctione mediata in tertio, vel virtuali majore, vel formali ex natura rei, vel saltem distinctione perfecta rationis, quod hoc loco perinde sit; quæ distinctiones si salvare possint veritatem propositionum istarum: *Paternitas generat; natura non generat: Filiatio producitur; natura non producitur: quin sit contradictio; poterunt etiam vindicare has: Personalitas est immediate unita; natura divina non est immediate unita humanitati.* Nunc

278. *Prob. I. Ex Concilio Toletano VI.* quod c. 1. dicit (Lab. t. 5. p. 174. E.): *Cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis), solus tamen (Filius) accepit hominem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ: in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati.* Tum etiam S. AUG. ibid. cit. docet serm. 3. de tempore (al. 243. n. 2. in append.), *suscipiam a Filio carnem in proprietate: atqui si Verbum divinum unitum esset humanitati, non tantum secundum personalitatem, sed etiam naturam; non solum esset incarnatum secundum id, quod est proprium Filii; verum etiam secundum id, quod est commune toti Trinitati; proinde in carne, sive natura humana, eadem ratione esset divinitas, ac Filii proprietas.*

*Respondetis* forsitan: Verbum divinum unitum esse immediate in eo, quod est illi proprium, non quod est commune; eo quod unitum fuerit indivisibiliter illud complexum ex natura et personalitate, quod complexum est proprium Filio; non vero naturæ secundum se consideratæ, quæ est communis toti Trinitati. *Verum id non satisfacit; nam Concilium et S. AUG. in ipso complexo distinguunt, illudque, quod in eo est proprium Filio, ejusque a reliquis personis distinctivum, opponunt alteri, et contra distinguunt ab eo, quod in eodem complexo est commune: in singularitate personæ... in id, quod est proprium Filii, non quod commune Trinitatis: quod in complexo Filii est natura.*

279. *Prob. II. Ex SS. Patribus,* S. AUGUSTINO cit., S. ANSELMO L. de Incarnat. c. 4., S. DIONYSIO de divin. Nominib. c. 2., S. JOANNE DAMASCENO L. 3. de Fide c. 6. aliisque, quos in hanc rem citat partim ipsa Synodus generalis VI. Act. 8. (Lab. t. 6. p. 765. A.), ad confirmandam sententiam suam: *Pater et Spiritus sanctus nihil in Incarnatione habent commune præter benignissimam voluntatem; partim S. TH. 3ª. p. q. 3ª. a. 2. in 0. ubi et suam ita ipse declarat mentem: Esse terminum assumptionis non convenit naturæ divinæ secundum seipsam; sed ratione personæ, in qua consideratur; et ideo primo quidem et propriissime persona dicitur assumere.*

280. *Prob. III. Ratione.* 1º. Verbum divinum immediate unitum est humanitati secundum id solummodo, per quod humanitatem substantialiter complet in ea ratione, in qua ipsa incompleta est: atqui in ea ratione illam duntaxat complet per suam personalitatem; non vero per suam naturam communem, nec per complexum ex sua natura et personalitate: natura



enim humana non est incompleta in ratione naturæ, sed tantum in ratione subsistentis; in hac vero per Verbi personalitatem completur; ergo sive natura divina sumatur secundum se, sive in complexo Filii, neutro modo aliqua ratione complet substantialiter naturam humanam; ergo et neutro est ratio formalis uniendi, vel unitur immediate; quia uniri immediate hic idem sonat, ac esse rationem formalem uniendi.

2º. Solus Filius est incarnatus, ut fide constat, et vidimus n. præc. ex Syn. gen. VI. At si unio æque per se primo et immediate in natura facta esset; non jam solus Filius, sed tota Trinitas incarnata esset, tum quia ratio formalis terminandi sic esset communis personis omnibus; tum quia convenit personis omnibus, quod convenit naturæ secundum se.

281. *Obj. I. cont. Concl. 1<sup>am</sup>.* Opera Dei ad extra communia sunt divinis personis tribus: sed Incarnatio est opus ad extra, sicut ipsa actio incarnativa; ergo. *Conf.* In Deo sunt omnia communia præter esse *ingenitum, genitum, et spiratum*, ut ait S. DAMASC. L. 4. de Fide c. 10.: atqui esse incarnatum non est aliquid horum trium; ergo.

R. D. M. Communia sunt quoad efficientiam C. quoad terminationem N. Sic D. *min. et N. C.* Incarnatio quoad efficientiam et actionem incarnativam tribus personis communis est; quia est a prædicato absoluto communi, scilicet potentia. At quoad terminationem est propria solius Filii; quia hæc fit per proprietatem ejus personalem, quæ est in solo Verbo. Hinc terminare est prædicatum personale, ac ideo convenit personis, non ut quid unum sunt.

*Ad Conf. R. D. M.* Omnia præter illa tria sunt communia ad intra C. ad extra. *Subd.* Si Deo conveniant ratione prædicati absoluti C. si ratione prædicati relativi N. At incarnari convenit Filio ratione personalitatis solius Filii.

282. *Inst. 1.* Quod convenit naturæ in divinis, etiam convenit tribus personis: atqui etiam naturæ convenit uniri, saltem mediate; natura enim divina est terminus mediatius incarnationis; ergo et Patri et Spiritui sancto convenit, quia uterque est natura divina.

R. D. M. Quod convenit naturæ ratione sui et secundum se C. ratione personalitatis alicujus, cui identificatur, et quatenus illi identificatur N. Uniri vero hic convenit naturæ, ut est in Filio, sive ratione personalitatis Filii, oppositæ Patri et Spiritui sancto; quod autem formaliter et directe convenit uni oppositorum, non convenit aliis.

*Ad prob. min. R. D.* Natura secundum se spectata, prout est in tribus personis N. Ut est in Verbo, vel ut terminata a Verbo C. Si fiat syllogismus claudicabit, ut: natura est terminus Incarnationis mediatius: sed Pater et Spiritus sanctus sunt natura; quia medium sumitur in sensu formali in *Maj.*, et simul in materiali in *min.*

283. *Inst. 2.* Non potuit immediate uniri et incarnari Verbi personalitas, quin mediate uniretur et incarnaretur natura divina, quæ realiter identificatur personalitati Verbi; ergo pariter non potuit uniri mediate natura divina, quin mediate unirentur Pater et Spiritus sanctus naturæ divinæ realiter identificati.

R. N. *Cons. Nam disparitas est;* quia uniri et incarnari mediate est esse rea-

liter idem cum eo, quod immediate unitur; Pater autem et Spiritus sanctus realiter distinguuntur a personalitate Verbi, quæ sola unitur immediate; ergo non sunt incarnati mediate; licet sint realiter idem cum natura divina, quæ est mediate incarnata. Coincidit hæc disparitas cum illo, quod ait Doctor Angelicus hic q. 3. a. 2. ad 1. ideo naturam esse mediate incarnatam, quia a Verbo non differt supposito; at vero Pater et Spiritus sanctus ita a Verbo differunt.

284. *Obj. II. cont. Concl. 2<sup>am</sup>. 1º.* In Concilio Lateran. sub MARTINO I. secretar. 5. can. 6. ( Labb. t. 6. p. 351. ) condemnatur is qui *non confitetur, proprie et secundum veritatem ex duabus et in duabus naturis unitis, inconfuse et indivise unum eundemque esse Dominum et Deum Jesum Christum;* et 2º. Trid. Sess. 13. c. 3. definit, poni divinitatem in Eucharistia propter unionem: sed hæc vera non essent, si unio non immediate terminaretur ad naturam divinam; ergo.

R. C. M. N. *min.* Quia Concilia præcise volunt naturam divinam esse vere unitam, licet mediate tantum; quia eo ipso, quod immediate uniatur personalitas Filii; hæc non potest non secum asserre per identitatem naturam divinam, in qua simul, et in naturam assumptam subsistat. Quin Concilium Lateranense diserte naturam divinam duntaxat mediate unitam tradit, dum cit. can. ait illam humanitati unitam *per subsistentiam*; nam *si quis, inquit, non confitetur proprie et vere ex duabus naturis, secundum subsistentiam unitis,* etc. Unde non immediata unio naturæ, sed mediata inferri debet; uniri enim secundum subsistentiam, idem est, ac dicere, uniri mediante subsistentia, qua duæ naturæ subsistunt.

285. *Inst. 1.* Si unio esset terminata immediate tantum ad personalitatem, non ad naturam divinam; in ratione uniendi intercederet distinctio inter personalitatem et naturam: licet non realis, cum realiter idem sint: tamen alia, ut virtualis vel una ex recensitis n. 277. sed hoc dici non potest. *Prob. min.* Quia sic natura divina nullo modo posset dici vere et proprie unita. *Prob.* Quia enim in ratione producendi intercedit talis distinctio, vel virtualis intrinseca, inter filiationem et naturam divinam; non potest vere et proprie dici natura producta, licet vere producta sit filiatio; ergo pariter si talis distinctio intercedat in ratione uniendi, natura divina vere et proprie unita dici nequit.

R. N. *min. et prob. Ad ult. prob. D. Ant.* Ideo præcise, quia intercedit talis distinctio N. quia aliunde, vi hujus mysterii, natura est incapax talis denominationis. C. Et *disparitas est;* denominatio *vere et proprie unitæ* naturæ secundam hypostasim nihil affert, quod repugnet cum identitate reali inter naturam divinam et personalitates; nam ea denominatione solum significatur, quod Verbum assumens humanitatem et in hac subsistens simul subsistat necessario in natura secum identificata; at denominatio *productæ*, sive mediate, sive immediate, significat distinctionem realem a producente, sicut in humanis filius distinguitur realiter immediate a patre producente, et mediate ab avo; cum vero natura divina incapax sit distinctionis realis a producente et producto, quia singulis personis divinis est realiter identi-



ficata, ac proin idem cum producente et producto; hinc natura divina nequit denominari producta.

286. *Inst. 2.* Cui convenit proprie incarnari, assumere humanitatem, etiam convenit immediate terminare unionem; assumere enim hic est, sumere ad se aliquid ratione unionis in carne; atqui naturæ divinæ proprie convenit incarnatam esse, assumpsisse humanitatem; hoc enim sæpe Patres docent; S. GREGORIUS NYSSENUS in epist. ad Eustathiam et Ambrosiam (opp. t. 3. p. 659. C.): *Cæterum, divinitas... nec a corpore nec ab anima divulsa est: sed cum anima in Paradiso fuit... per corpus autem in corde terræ... Et propterea corpus ipsum Dominus appellatur, ob insidentem ipsi divinitatem.* S. AUG. in Enchir. c. 34. dicens: *a Divinitate carnem susceptam.* S. CYRILL. ALEXAND. in commonit. ad Eulogium (opp. t. 6. p. 133.): *Nos, inquit, postquam ista capularimus (nempe Verbum et carnem); unum Christum, unum Filium eundem, unum Dominum confitemur, et unam postremo Dei naturam incarnatam.*

R. D. M. Cui convenit ratione sui, primario, ut ipsum sit ratio formalis C. cui convenit tantum ratione personalitatis, quia cum hac identificatur, sicut secundario N. At postremo solum modo naturæ hoc convenit. Nec aliud volunt allata Patrum, aliorumque testimonia, quam unionem naturæ divinæ secundum subsistentiam, vi cuius natura divina vere et proprie dicitur incarnari, assumere: secundario, ratione personalitatis; non primario, ratione sui.

287. *Inst. 3.* Juxta Concilia et Patres natura divina speciali modo unita est carni, quo non est unita personalitas Patris et Spiritus sancti: sed personalitas Patris et Spiritus sancti unitur mediate humanitati; ergo natura immediate.

R. C. M. D. *min.* Unitur mediate unione substantiali, secundum hypostasim N. unione circuminseptionis C. Natura divina unita est humanitati unione substantiali secundum hypostasim, quatenus cum hac realiter identificatur: at personalitates Patris et Spiritus sancti non identificantur realiter; sed sic distinguuntur a personalitate Filii immediate unita.

Sunt tamen personalitates divinæ in humanitate, non tantum ratione immensitatis, sed et per concomitantiam, et connexionem necessariam, quæ circuminseptio dici solet; quia omnes identificantur cum natura divina; ergo ubi hæc reperitur, et præsens est, etiam personæ sunt divinæ: et ubi est una persona, quia naturam sibi identificatam semper affert, etiam adsunt personæ cæteræ: atqui in humanitate est persona Filii, et propter identitatem, natura; ergo. Unde cum Christus (Jo. 10.) dixisset: *Ego et Pater unum sumus*; subjunxit: *Ego in Patre, et Pater in me.*

288. *Inst. 4.* Quia Verbum unitum est naturæ humanæ, unio terminatur æque primo ad animam et corpus; ergo pariter, quia Verbum unitum est, unio terminatur æque a natura divina, quam personalitate Filii.

R. 1<sup>o</sup>. N. *Cons.* Nam *disparitas* est; quia utrumque, et corpus et anima, æque complentur in ratione subsistentis, quia hæc duo constituunt unam naturam, cui deest subsistentia propria; at in ratione subsistentis illam non

æque complet natura divina; sola enim personalitas ita illam complere potest. Hinc etiam

R. 2<sup>o</sup>. D. *Cons.* Si natura divina æque compleret naturam humanam, vel in ratione naturæ, vel in ratione subsistentis C. cum neutrum præstet N. Illud enim hic dicitur uniri immediate, quod naturam humanam complet in ea ratione, in qua incompleta est: atqui in sola ratione subsistentis incompleta est, in eaque a sola personalitate completur; ergo.

289. *Obj. III.* Etsi unio immediate terminaretur a natura divina; non ideo sequeretur, omnes personas esse incarnatas. *Prob.* Licet naturæ divinæ, communi toti Trinitati, conveniat identificari cum Filio; non tamen ideo convenit toti Trinitati identificari cum Filio; ergo etiam, licet natura sit communis toti Trinitati, si tamen complexim sumpta cum personalitate Verbi terminet immediate unionem hypostaticam; non propterea toti Trinitati conveniret, terminare unionem. Et ratio ulterior est, quod non omnia prædicata, quæ conveniunt naturæ, conveniant personis omnibus. Sic natura est communicabilis tribus; nulla tamen persona divina est communicabilis alteri.

R. N. *Cons.* Natura communis, Filio identificata, duo dicit: *primo prædicata absoluta præcise naturæ*; sic est communis toti Trinitati; deinde *identitatem cum relationibus divinis*; secundum hanc identitatem objectivam non est communis toti Trinitati. Proin præcise ut dicit prædicata absoluta, identificatur simul cum Patre et Spiritu sancto; at præcise secundum identitatem objectivam cum filiatione, cum illis non identificatur. Imo cum ista terminatio sit ad intra; non potest se eodem modo habere ad relationes divinas realiter inter se distinctas, quibuscum identificatur. At vero *uniri* non est denominatio ad intra, sed ad extra; quæcumque autem denominatio ad extra, quæ habetur ratione prædicati communis, eo ipso convenit toti Trinitati; ergo si hic terminatio unionis æque primo conveniret naturæ divinæ, quam personalitati Filii; non posset non simul convenire toti Trinitati, sicut que tota Trinitas incarnata esset.

*Ad rationem additam R. D.* Non omnia prædicata, quæ conveniunt naturæ, ut virtualiter distinctæ a personis, conveniunt omnibus tribus personis C. Quæ conveniunt ipsi non ut virtualiter distinctæ N. Vel: Non omnia prædicata, quæ conveniunt naturæ ad extra ratione sui, et secundum prædicata absoluta spectatæ N. quæ illi conveniunt ratione terminationis ad intra C. Constat ex antedictis.

290. *Obj. IV. 1<sup>o</sup>.* Ubi non est unum et aliud in re; non potest unum uniri mediate, et alterum immediate. 2<sup>o</sup>. Juxta Conc. Rhemense sub Eugenio III. (Lab. t. 10. p. 1108.), in Theologia inter essentiam et personam ratio non distinguit; ergo immediate etiam a natura terminatur unio. 3<sup>o</sup>. Unio hypostatica est physica; ergo nequit immediate contingere Verbum, quin simul immediate contingat id, quod Verbo est identificatum realiter, scilicet naturam.

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. Ubi non est unum et aliud in re, nec actualiter, nec virtualiter, et æquivalenter, etc. C. ubi est unum et aliud saltem virtualiter N. Hoc



vero jam sufficit, ad verificandas has propositiones: persona Verbi immediate unita est; natura Verbi non est immediate unita, juxta n. 277.

Ad 2<sup>um</sup>. R. D. Ratio non distinguit in sensu Gilberti Porretani, quem ibi damnat C. in sensu alio et catholico N. Gilbertus asserebat, ut refert illius Concilii historia, essentiam et personam in divinis distingui non tantum secundum rationem mathematicam, quæ per mentem distinguit ea, quæ non sunt distincta in re, ut lineas, superficies; sed etiam secundum rationem theologiam, qua distinguuntur ea, quæ a parte rei distincta sunt; unde Concilium tantum damnat distinctionem theologiam in sensu Gilberti, id est, realem inter essentiam divinam et personalitates.

Ad 3<sup>um</sup>. D. Cons. Si *in immediate* significet idem, ac identice C. si rationem formalem uniendo N. Sed de hac quærimus, cum dicatur natura unita: an immediate? id est, ratione sui, et æque primario; an propter personalitatem Verbi? quæ juxta Conclus. est sola ratio formalis. Ex dictis fluit sequens

Corollarium: Naturam divinam incarnatam esse, non precise sub hac ratione, quatenus natura est; sed quatenus immediate identificatur cum persona Verbi, et quidem in unitate suppositi. Hinc sequitur porro; licet una sit trium personarum natura, non esse temere proferendam propositionem hanc: *natura Patris et Spiritus sancti est incarnata*; sed cum limitatione: *ratione solius personalitatis Filii*, ut realiter distincti a Patre et Spiritu sancto, formaliter et immediate terminantis unionem hypostaticam. Et ratio est, quia secus simpliciter prolata favere videtur Sabellio, qui in eadem natura divina non tres personas; sed tria nomina secundum creationis, Incarnationis, sanctificationis distinctas actiones hæretice fingebat.

## ARTICULUS II.

AN VERBUM NATURAM NOBIS CONSUBSTANTIALEM VERE ASSUMPSERIT?

Negarunt hoc 1<sup>o</sup>. Phantasiastæ, sic dicti, quod Christo corpus, non verum, sed umbratile ac phantasticum tribuerent: quorum sectas vide in Procemio. 2<sup>o</sup>. Alii, qui humanitati Christi animam abnegabant, vel saltem mentem: volentes, Verbum illius loco esse, ut Apollinaristæ et Ariani, de quibus item in Procem., tum suo loco. 3<sup>o</sup>. Qui corpus quidem verum Christo tribuebant; sed rati, illud de cælo allatum esse, non assumptum ex Maria Virgine: contra quos agemus Art. seq.

291. Dico. Verbum divinum veram, nobisque consubstantialem naturam assumpsit.

Prob. Duo importat natura nostra, ex quibus constat, corpus et animam; hinc probatur quoad utrumque.

I. Quoad corpus, auctoritate SCRIPTURÆ, juxta quam 1<sup>o</sup>. Joan. 1. *Verbum caro factum est*; at si carnem tantum umbratilem et phantasticam habuisset, Verbum non potuisset dici *factum caro*. 2<sup>o</sup>. Luc. 24. 37. et seqq. ubi Christus, cum discipulis post resurrectionem appareret, illis phantasma se videre opinantibus, ac idcirco perterritis dicebat: *Videte manus meas, et pedes meos; quia ego ipse sum. Palpate et videte; quia spiritus carnem et ossa non*

habet, sicut me videtis habere. Vel igitur Christus verum corpus habuit; vel decipere voluit discipulos, quod vel cogitare, vel dicere blasphemum est. 3<sup>o</sup>. Dicitur circumcisis, manducasse, dormivisse, flevisse, fatigatus, passus, crucifixus, resurrexisse: hæc vero omnia fuisse perpetuas ludificationes nostrorum sensuum, et totidem præstigias commissas ab homine umbratili et phantastico, sine blasphemia rursus dici non potest; sic enim Christus æterna veritas falli et fallere nescia, humanum genus induxisset in errorem, persuadendo toti mundo, quod non erat. Unde corpus Christus habuit, et verum, et passibile.

II. Quoad animam. 1<sup>o</sup>. ex S. SCRIPTURA. Matth. 26. 38. Christus futuræ passionis præsciens, ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; sed nec corpus, nec anima sensitiva hujus tristitiæ esse capax poterat, sed sola rationalis anima, utpote quæ sola res futuras prævidet.

2<sup>o</sup>. Ex CONCLUS. contra Apollinaristarum impietatem habitis: Alexandrino an. 362., Romano an. 362., Antiocheno an. 368. et Romano VII., quibus dogma hoc decretoriis sententiis definitum.

3<sup>o</sup>. RATIONIBUS THEOLOGICIS, quibus usi SS. Patres. 1. Christus fuit homo perfectus, nobis per omnia similis absque peccato; constanter enim Scriptura eum simpliciter hominem, filium hominis appellat: at sine anima, vel sine mente non fuisset perfectus homo; anima enim rationalis specificativum est hominis, eaque distinguitur a brutis; a mente vero, quæ intelligit, anima rationalis est. Ita fere S. AUC. epist. 187. n. 4. (alias 57.) ad Dardan. 2. Christus moriturus Luc. 23. *Pater, inquit, in manus tuas commendo spiritum meum*. At hic per spiritum nihil aliud intelligi potest, quam vera anima: non enim Verbum; nam Verbum ipsum erat Deus, quod proinde Deo commendari non egebat: nec corpus; hoc enim opponitur spiritui: nec anima sensitiva; hæc enim cum homine exspirat, et desinit, nec spiritus est.

292. Obj. I. Caro damnatur in Scripturis, excluditur regno cælorum 1. Cor. 15. *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*. Item, teste Apostolo, *concupiscit adversus spiritum*; ergo est Deo indigna.

R. D. 1<sup>um</sup>. Damnatur caro secundum se N. caro, id est, opera carnis legi Dei contraria, facta ex inordinata inclinatione carnis, quæ non erat in Christo C. Ita TERTULL. de carne Christi c. 16. et ATHANASIVS contr. Apollinar. L. 1. n. 15. 2<sup>um</sup>. etiam D. Caro vitiata peccato originali, de qua loquitur Apostolus C. *expers peccati*, et sancta, qualis erat caro Christi N.

293. Inst. 1. Ad Rom. 8. *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati*; sicut igitur tantum apparenter peccati carnem assumpsit; ita et carnem humanam tantum apparenter, et similem nostræ quoad apparentiam.

R. N. Cons. Carnem Christi, etsi vera caro fuerit, solum apparenter fuisse carnem peccati, ac proinde quoad hoc proponi similitudinem quoad apparentiam, ipsa Scriptura docet, dum ad Hebr. 4. 15. ait Apostolus: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. E contra, Christum habuisse carnem similem nostræ, non quoad apparentiam, sed specie similem, vel in similitudinem specificam naturæ, quo modo homines similes dicuntur, eadem Scriptura declarat vel hoc ipso loco; subjicit enim: *Humi-*



vero jam sufficit, ad verificandas has propositiones: persona Verbi immediate unita est; natura Verbi non est immediate unita, juxta n. 277.

Ad 2<sup>um</sup>. R. D. Ratio non distinguit in sensu Gilberti Porretani, quem ibi damnat C. in sensu alio et catholico N. Gilbertus asserebat, ut refert illius Concilii historia, essentiam et personam in divinis distingui non tantum secundum rationem mathematicam, quæ per mentem distinguit ea, quæ non sunt distincta in re, ut lineas, superficies; sed etiam secundum rationem theologicam, qua distinguuntur ea, quæ a parte rei distincta sunt; unde Concilium tantum damnat distinctionem theologicam in sensu Gilberti, id est, realem inter essentiam divinam et personalitates.

Ad 3<sup>um</sup>. D. Cons. Si *τὸ immediate* significet idem, ac identice C. si rationem formalem uniendi N. Sed de hac quærimus, cum dicatur natura unita: an immediate? id est, ratione sui, et æque primario; an propter personalitatem Verbi? quæ juxta Conclus. est sola ratio formalis. Ex dictis fluit sequens

Corollarium: Naturam divinam incarnatam esse, non precise sub hac ratione, quatenus natura est; sed quatenus immediate identificatur cum persona Verbi, et quidem in unitate suppositi. Hinc sequitur porro; licet una sit trium personarum natura, non esse temere proferendam propositionem hanc: *natura Patris et Spiritus sancti est incarnata*; sed cum limitatione: *ratione solius personalitatis Filii*, ut realiter distincti a Patre et Spiritu sancto, formaliter et immediate terminantis unionem hypostaticam. Et ratio est, quia secus simpliciter prolata favere videtur Sabellio, qui in eadem natura divina non tres personas; sed tria nomina secundum creationis, Incarnationis, sanctificationis distinctas actiones hæretice fingebat.

## ARTICULUS II.

AN VERBUM NATURAM NOBIS CONSUBSTANTIALEM VERE ASSUMPSERIT?

Negarunt hoc 1<sup>o</sup>. Phantasiastæ, sic dicti, quod Christo corpus, non verum, sed umbratile ac phantasticum tribuerent: quorum sectas vide in Procemio. 2<sup>o</sup>. Alii, qui humanitati Christi animam abnegabant, vel saltem mentem: volentes, Verbum illius loco esse, ut Apollinaristæ et Ariani, de quibus item in Procem., tum suo loco. 3<sup>o</sup>. Qui corpus quidem verum Christo tribuebant; sed rati, illud de cælo allatum esse, non assumptum ex Maria Virgine: contra quos agemus Art. seq.

291. Dico. Verbum divinum veram, nobisque consubstantialem naturam assumpsit.

Prob. Duo importat natura nostra, ex quibus constat, corpus et animam; hinc probatur quoad utrumque.

I. Quoad corpus, auctoritate SCRIPTURÆ, juxta quam 1<sup>o</sup>. Joan. 1. *Verbum caro factum est*; at si carnem tantum umbratilem et phantasticam habuisset, Verbum non potuisset dici *factum caro*. 2<sup>o</sup>. Luc. 24. 37. et seqq. ubi Christus, cum discipulis post resurrectionem appareret, illis phantasma se videre opinantibus, ac idcirco perterritis dicebat: *Videte manus meas, et pedes meos; quia ego ipse sum. Palpate et videte; quia spiritus carnem et ossa non*

habet, sicut me videtis habere. Vel igitur Christus verum corpus habuit; vel decipere voluit discipulos, quod vel cogitare, vel dicere blasphemum est. 3<sup>o</sup>. Dicitur circumcisis, manducasse, dormivisse, flevisse, fatigatus, passus, crucifixus, resurrexisse: hæc vero omnia fuisse perpetuas ludificationes nostrorum sensuum, et totidem præstigias commissas ab homine umbratili et phantastico, sine blasphemia rursus dici non potest; sic enim Christus æterna veritas falli et fallere nescia, humanum genus induxisset in errorem, persuadendo toti mundo, quod non erat. Unde corpus Christus habuit, et verum, et passibile.

II. Quoad animam. 1<sup>o</sup>. ex S. SCRIPTURA. Matth. 26. 38. Christus futuræ passionis præsciens, ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; sed nec corpus, nec anima sensitiva hujus tristitiæ esse capax poterat, sed sola rationalis anima, utpote quæ sola res futuras prævidet.

2<sup>o</sup>. Ex CONCLUS. contra Apollinaristarum impietatem habitis: Alexandrino an. 362., Romano an. 362., Antiocheno an. 368. et Romano VII., quibus dogma hoc decretoriis sententiis definitum.

3<sup>o</sup>. RATIONIBUS THEOLOGICIS, quibus usi SS. Patres. 1. Christus fuit homo perfectus, nobis per omnia similis absque peccato; constanter enim Scriptura eum simpliciter hominem, filium hominis appellat: at sine anima, vel sine mente non fuisset perfectus homo; anima enim rationalis specificativum est hominis, eaque distinguitur a brutis; a mente vero, quæ intelligit, anima rationalis est. Ita fere S. AUC. epist. 187. n. 4. (alias 57.) ad Dardan. 2. Christus moriturus Luc. 23. *Pater, inquit, in manus tuas commendo spiritum meum*. At hic per spiritum nihil aliud intelligi potest, quam vera anima: non enim Verbum; nam Verbum ipsum erat Deus, quod proinde Deo commendari non egebat: nec corpus; hoc enim opponitur spiritui: nec anima sensitiva; hæc enim cum homine exspirat, et desinit, nec spiritus est.

292. Obj. I. Caro damnatur in Scripturis, excluditur regno cælorum 1. Cor. 15. *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*. Item, teste Apostolo, *concupiscit adversus spiritum*; ergo est Deo indigna.

R. D. 1<sup>um</sup>. Damnatur caro secundum se N. caro, id est, opera carnis legi Dei contraria, facta ex inordinata inclinatione carnis, quæ non erat in Christo C. Ita TERTULL. de carne Christi c. 16. et ATHANASIVS contr. Apollinar. L. 1. n. 15. 2<sup>um</sup>. etiam D. Caro vitiosa peccato originali, de qua loquitur Apostolus C. *expers peccati*, et sancta, qualis erat caro Christi N.

293. Inst. 1. Ad Rom. 8. *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati*; sicut igitur tantum apparenter peccati carnem assumpsit; ita et carnem humanam tantum apparenter, et similem nostræ quoad apparentiam.

R. N. Cons. Carnem Christi, etsi vera caro fuerit, solum apparenter fuisse carnem peccati, ac proinde quoad hoc proponi similitudinem quoad apparentiam, ipsa Scriptura docet, dum ad Hebr. 4. 15. ait Apostolus: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. E contra, Christum habuisse carnem similem nostræ, non quoad apparentiam, sed specie similem, vel in similitudinem specificam naturæ, quo modo homines similes dicuntur, eadem Scriptura declarat vel hoc ipso loco; subjicit enim: *Humi-*



liavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Humiliatio autem, passio, mors Christi, non fuere deceptiones sensuum, ex dictis supra; alioquin, ut inquit S. IREN. L. 5. c. 1. n. 2. et Divus THOMAS hic, tantum apparetur fuisse redempti.

294. *Inst. 2. Ad Philipp. 2.* dicitur: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; ergo non erat verus homo, alioquin Apostolus non dixisset: ut homo.*

R. D. *Ant.* In similitudinem hominum specificam naturæ C. apparentiæ tantum N. *Ant. et Cons.* cum ejus ratione. Nam 1. *in similitudinem hominum* ex se non denotat apparentiam, sed etiam veritatem; et 2. pariter hæc: *ut homo.* Sic Gen. 5. *Adam* dicitur *genuisse Seth in similitudinem suam*; item sic dicimus de vero homine: *vivit ut homo.* Et quidem veritatem carnis hic declarari ab Apostolo, constat ex adjunctis; immediate enim ante dixerat de Christo: *qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Ubi nomine formæ servi natura humana vera exprimitur; sicut per formam Dei vera natura divina. Ut merito TERTULLIANUS Lib. 5. contra Marcion. c. 20. in hunc textum diceret: *Æque non erit Deus Christus vere, si nec homo vere fuit in effigie hominis constitutus. Utrobique enim veritas necesse habebit eludi, si effigies et similitudo et figura phantasmati vindicabitur. Quod si in effigie et imagine, qua Filius Patris, vere Dei prædicatus est, etiam in imagine hominis, qua Filius hominis, vere hominem inventum, nam et inventum ratione posuit, id est certissime hominem.*

295. *Obj. II.* Etiam si Christus verum corpus non habuisset; non propterea impostor dici posset, aut decepisse homines. *Prob.* Etiam angeli sæpe apparuerunt in corporibus non veris; nec tamen ideo impostores dicendi; ergo nec Christus.

R. N. *Ass. et parit.* Angeli apparentes 1°. nunquam professi sunt se esse homines, filios hominis: licet in assumpto aereo corpore ad breve tempus homines imitari sunt visi. 2°. Licet more hominum viderentur ambulare, manducare, loqui; eas tamen actiones, se non vitaliter elicere, sed apparenter exercere subin contestati sunt, ut Tobie 12. 19. *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* 3°. Saltem sua paulo post disparentia, aliove facto, quales essent, palam fecerunt. Et demum cujus angeli genealogiam, ortum, nativitatem, etc. Scriptura refert?

296. *Obj. III.* Verbum 1°. a Joanne dicitur: *caro factum*, non anima; ergo carnem solam assumpsit. 2°. Potest dici, quod Verbum in Christo suppleverit vices animæ; cur enim hoc non posset? 3°. Si præter corpus, Christus perfectam animam haberet, constaret tribus substantiis; sed, teste VASQUEZ in 3°. part. Disp. 37. cap. 3., propositio illa a Concilio Toletano XIV. prolata, offendit BENEDICTUM II., qui eandem notavit.

*Ad. 1<sup>um</sup>.* R. D. Dicitur caro factum per synecdochen, sumendo partem pro tota natura C. secus N. Sic, phrasi Scripturæ, sæpe caro pro toto homine sumitur, ut jam in Proœmio observatum.

*Ad. 2<sup>um</sup>.* R. N. *Assert.* Verbo divino enim convenire non possunt; imo repugnant, quæ Scriptura Christo quoad animam tribuit: tristari, pavere, et similes passiones, atque actiones.

*Ad. 3<sup>um</sup>.* R. D. Si substantiam proprie sumas, prout communiter accipitur, pro natura completa N. si pro partibus substantialibus, quatenus natura humana Christi constat ex corpore et anima C. Sic natura divina Christi esset una substantia completa, corpus et anima seorsim duæ incomplete; atque ita substantiæ tres. Atque ita Patres Toletani propositionem suam exponebant Pontifici. Neque in hoc sensu censuram meretur; neque aliquam propterea summus Pontifex inflixit: qui solum monuerat, minus proprie dici *tres in Deo substantias*, si ita simpliciter, ac sine limitatione diceretur; eo quod nomen substantiæ simpliciter prolaturum, pro substantia, vel natura perfecta et completa, communiter sumi soleat.

## ARTICULUS III.

AN CHRISTUS CARNEM ASSUMPSERIT, EX MATRE MARIA VIRGINE, ILLÆSA INTEGRITATE MATRIS?

297. *Dico I.* Verbum divinum ex beatissima Virgine Maria corpus assumpsit. Ita dogma catholicum contra Valentinianos, volentes, Christum corpus de cælo traxisse, perque Mariæ Virginis uterum, tanquam canalem, transmisisse.

*Prob. I.* Auctoritate S. SCRIPTURÆ. 1°. Christus dicitur factus ex semine David, factus ex muliere: sic ad Rom. 1. *Factus ei ex semine David secundum carnem.* Ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Atqui nec ex semine David secundum carnem esset, neque factus dici posset ex muliere, si carnem de cælo traxisset, per Mariam duntaxat transiens; transitus enim jam factum supponit: sicut canalis (quod est simile hæreticorum) transeuntem aquam non facit, sed supponit. 2°. Matth. 1. dicitur *filius David, filius Abraham, natus de Maria.* Luc. 1. dicitur Maria Christum *conceptura, paritura*: atqui nullum ex his vere diceretur, si non assumpsisset vere corpus ex Maria Virgine, sed illud traxisset de cælo.

*Prob. II.* EX SYMBOLIS FIDEI. Symbolo Apostolorum, quo confitemur: *Natus ex Maria Virgine.* Constantinopolitano: *Incarnatus de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Athanasiano: *Deus est, Christus, ex substantia Patris ante secula genitus, et homo est ex substantia matris in seculo natus.*

Eandem veritatem profitentur œcumenicæ Synodi. Ephesina I. epistolam CYRILLI recipiens tanquam orthodoxam (Labb. t. 3. p. 461. et seqq.) qua declaratur (Labb. ibid. p. 321. A.); *Non dubitarunt (scilicet SS. Patres) sacram Virginem Deiparam appellare: non quod Verbi natura, ipsiusve divinitas ortus sui principium ex S. Virgine sumpserit; sed, quod sacrum illud corpus, anima intelligente perfectum, ex ea traxerit.* Idem facit Constantinopolitanum II. can. 2. (Labb. t. 5. p. 570.), Nicænum II. in definitione fidei. (Labb. t. 7. 554. E.).

298. *Obj.* Sacræ Scripturæ testimonio, Christus carnem non ex Maria Virgine traxit, sed de cælo attulit; ergo:



liavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Humiliatio autem, passio, mors Christi, non fuere deceptiones sensuum, ex dictis supra; alioquin, ut inquit S. IREN. L. 5. c. 1. n. 2. et Divus THOMAS hic, tantum apparetur fuisse redempti.

294. *Inst. 2. Ad Philipp. 2.* dicitur: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; ergo non erat verus homo, alioquin Apostolus non dixisset: ut homo.*

R. D. *Ant.* In similitudinem hominum specificam naturæ C. apparentiæ tantum N. *Ant. et Cons.* cum ejus ratione. Nam 1. *in similitudinem hominum* ex se non denotat apparentiam, sed etiam veritatem; et 2. pariter hæc: *ut homo.* Sic Gen. 5. *Adam* dicitur *genuisse Seth in similitudinem suam*; item sic dicimus de vero homine: *vivit ut homo.* Et quidem veritatem carnis hic declarari ab Apostolo, constat ex adjunctis; immediate enim ante dixerat de Christo: *qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Ubi nomine formæ servi natura humana vera exprimitur; sicut per formam Dei vera natura divina. Ut merito TERTULLIANUS Lib. 5. contra Marcion. c. 20. in hunc textum diceret: *Æque non erit Deus Christus vere, si nec homo vere fuit in effigie hominis constitutus. Utrobique enim veritas necesse habebit eludi, si effigies et similitudo et figura phantasmati vindicabitur. Quod si in effigie et imagine, qua Filius Patris, vere Dei prædicatus est, etiam in imagine hominis, qua Filius hominis, vere hominem inventum, nam et inventum ratione posuit, id est certissime hominem.*

295. *Obj. II.* Etiam si Christus verum corpus non habuisset; non propterea impostor dici posset, aut decepisse homines. *Prob.* Etiam angeli sæpe apparuerunt in corporibus non veris; nec tamen ideo impostores dicendi; ergo nec Christus.

R. N. *Ass. et parit.* Angeli apparentes 1°. nunquam professi sunt se esse homines, filios hominis: licet in assumpto aereo corpore ad breve tempus homines imitari sunt visi. 2°. Licet more hominum viderentur ambulare, manducare, loqui; eas tamen actiones, se non vitaliter elicere, sed apparenter exercere subin contestati sunt, ut Tobie 12. 19. *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* 3°. Saltem sua paulo post disparentia, aliove facto, quales essent, palam fecerunt. Et demum cujus angeli genealogiam, ortum, nativitatem, etc. Scriptura refert?

296. *Obj. III.* Verbum 1°. a Joanne dicitur: *caro factum*, non anima; ergo carnem solam assumpsit. 2°. Potest dici, quod Verbum in Christo suppleverit vices animæ; cur enim hoc non posset? 3°. Si præter corpus, Christus perfectam animam haberet, constaret tribus substantiis; sed, teste VASQUEZ in 3°. part. Disp. 37. cap. 3., propositio illa a Concilio Toletano XIV. prolata, offendit BENEDICTUM II., qui eandem notavit.

*Ad. 1<sup>um</sup>.* R. D. Dicitur caro factum per synecdochen, sumendo partem pro tota natura C. secus N. Sic, phrasi Scripturæ, sæpe caro pro toto homine sumitur, ut jam in Proœmio observatum.

*Ad. 2<sup>um</sup>.* R. N. *Assert.* Verbo divino enim convenire non possunt; imo repugnant, quæ Scriptura Christo quoad animam tribuit: tristari, pavere, et similes passiones, atque actiones.

*Ad. 3<sup>um</sup>.* R. D. Si substantiam proprie sumas, prout communiter accipitur, pro natura completa N. si pro partibus substantialibus, quatenus natura humana Christi constat ex corpore et anima C. Sic natura divina Christi esset una substantia completa, corpus et anima seorsim duæ incomplete; atque ita substantiæ tres. Atque ita Patres Toletani propositionem suam exponebant Pontifici. Neque in hoc sensu censuram meretur; neque aliquam propterea summus Pontifex inflixit: qui solum monuerat, minus proprie dici *tres in Deo substantias*, si ita simpliciter, ac sine limitatione diceretur; eo quod nomen substantiæ simpliciter prolaturum, pro substantia, vel natura perfecta et completa, communiter sumi solet.

## ARTICULUS III.

AN CHRISTUS CARNEM ASSUMPSERIT, EX MATRE MARIA VIRGINE, ILLÆSA INTEGRITATE MATRIS?

297. *Dico I.* Verbum divinum ex beatissima Virgine Maria corpus assumpsit. Ita dogma catholicum contra Valentinianos, volentes, Christum corpus de cælo traxisse, perque Mariæ Virginis uterum, tanquam canale, transmisisse.

*Prob. I.* Auctoritate S. SCRIPTURÆ. 1°. Christus dicitur factus ex semine David, factus ex muliere: sic ad Rom. 1. *Factus est ex semine David secundum carnem.* Ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Atqui nec ex semine David secundum carnem esset, neque factus dici posset ex muliere, si carnem de cælo traxisset, per Mariam duntaxat transiens; transitus enim jam factum supponit: sicut canalis (quod est simile hæreticorum) transeuntem aquam non facit, sed supponit. 2°. Matth. 1. dicitur *filius David, filius Abraham, natus de Maria.* Luc. 1. dicitur Maria Christum *conceptura, paritura*: atqui nullum ex his vere diceretur, si non assumpsisset vere corpus ex Maria Virgine, sed illud traxisset de cælo.

*Prob. II.* EX SYMBOLIS FIDEI. Symbolo Apostolorum, quo confitemur: *Natus ex Maria Virgine.* Constantinopolitano: *Incarnatus de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Athanasiano: *Deus est, Christus, ex substantia Patris ante secula genitus, et homo est ex substantia matris in seculo natus.*

Eandem veritatem profitentur œcumenicæ Synodi. Ephesina I. epistolam CYRILLI recipiens tanquam orthodoxam (Labb. t. 3. p. 461. et seqq.) qua declaratur (Labb. ibid. p. 321. A.); *Non dubitarunt (scilicet SS. Patres) sacram Virginem Deiparam appellare: non quod Verbi natura, ipsiusve divinitas ortus sui principium ex S. Virgine sumpserit; sed, quod sacrum illud corpus, anima intelligente perfectum, ex ea traxerit.* Idem facit Constantinopolitanum II. can. 2. (Labb. t. 5. p. 570.), Nicænum II. in definitione fidei. (Labb. t. 7. 554. E.).

298. *Obj.* Sacræ Scripturæ testimonio, Christus carnem non ex Maria Virgine traxit, sed de cælo attulit; ergo:



*Prob. Ant. 1<sup>o</sup>.* Joan. 3. ait Christus de seipso : *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo*; ergo corpus Christi non est ex substantia Mariæ Virginis, sed allatum de cælo. *Prob. Cons.* Ratione enim divinitatis, sive qua Deus, non potuit descendere, propter immensitatem ubique existens.

*2<sup>o</sup>.* 1. Ad Cor. 15. Apostolus Adamo Christum opponit : Adamum vocans hominem terrenum; Christum vero hominem cælestem : *primus homo de terra terrenus; secundus homo de cælo cælestis* : atqui si corpus Christi esset ex substantia Mariæ Virginis, etiam esset terrenum; ergo.

*3<sup>o</sup>.* Christus nunquam legitur beatissimam Virginem compellasse matrem, sed semper mulierem, ut in nuptiis Canæ : *Quid mihi et tibi est mulier?* Joan. 2.; in cruce : *Mulier, ecce filius tuus.* Joan. 19.

*4<sup>o</sup>.* Quin palam negavit, se habere matrem, vel fratres. *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* Matth. 12. Quæ propositio in se negativa est; ergo.

*R. N. Ant. Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. N. *Cons.* et hujus *prob. D.* Non potuit descendere qua Deus, motu locali : quasi cælum deserens descendisset in terram, ceu terminum ad quem, in quo ante non fuisset C. descensu in alia acceptione N. Dicitur descendisse, quatenus humanam assumpsit naturam, eaque ratione se demittendo, et exinaniendo.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. D. Adamo Christum opponit secundum carnem ipsam N. secundum vitam, quæ in Christo, ob ejus sanctitatem substantialem, tota cælestis fuit : contra in Adamo magnam partem terrena C. Colligitur ex sequentibus; nam inde colligit Apostolus, Christum, ejusque discipulos spiritualia sectari; homines vero ex Adamo natos, et nondum Christum sectantes, terrestria, sive mundana : *Qualis terrenus, tales et terreni; qualis cælestis, tales et cælestes.* Ac concludit : *Sicut portavimus imaginem terreni; portemus et imaginem cælestis.*

*Ad prob. 3<sup>am</sup>.* N. *Cons.* Non enim sequitur : non est scriptum, quod Mariam appellaverit matrem; ergo sic nunquam appellavit. Deinde illam esse matrem suam sæpius et satis declaravit quoad rem, se vocando *filius hominis*; ut enim observat BEDA in Luc. cap. 11., alias *nec vere filius hominis diceretur.* Demum, etsi in citt. locis, aliis de causis, usus sit nomine mulieris : ut, ne in cruce prolato matris nomine ejus augeter dolorem; in nuptiis vero, ut ostenderet, majorem esse a se habendam rationem voluntatis Patris cælestis, etc. De quibus plura Interpretes; S. Joannes tamen Mariam Christi matrem clare expressit : *Stabant juxta crucem Jesu mater ejus et soror, etc.* Joan. 19. v. 25.; et v. 26. *Cum vidisset ergo Jesus matrem.*

*Ad prob. 4<sup>am</sup>.* R. N. Quod ibidem id negare intenderit; sed ea occasione declarare voluit, potiori apud se loco esse matrem et fratres spirituales, qui legem Dei observant, quam consanguineos carnales; si præcise spectetur carnalis propinquitas.

Unde continuo in discipulos manum intendens : *Ecce, ait, mater mea et fratres mei; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.*

299. *Dico II.* Verbum divinum carnem traxit ex Maria Virgine, sive inte-

gra, et ante Christi partum viri experte. Ita Christiani omnes contra Judæos, et qui nomine solo Christum professi, revera Judæi erant : Carpo-  
cratem, Cerinthum, Ebionitas, aliosque similes.

*Prob.* Ex gemino SCRIPTURÆ testimonio, quorum prius extat Isaia 7., alterum Matth. 1. Quoad primum. Cum Achaz liberandæ urbis Jerusalem, a rege Syriæ obsessæ, signum petere vel nollet, vel non auderet; Propheta hoc illi dedit : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ad hanc prophetiam appellat Matth. c. 1. et impletam in Christo, a Maria concepto et genito, testatur : *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph; antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Cumque et Joseph mysterii ignarus dimittere sponsam vellet; eum ab Angelo instructum refert : *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium; et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Tum subdit : *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel; quod est interpretatum nobiscum Deus.*

Unde et aliud consequitur, beatissimam Dei Genitricem non tantum nihil deperdidisse integritatis virginæ ante Christi partum, sed nec in partu ipso; quia et Isaia Propheta, et Matthæus Evangelista utrumque enunciant : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.*

300. *Reclamant* Judæi : 1<sup>o</sup>. Loco vocis *Virgo* in hebraico legi *Alma* : quæ vox hebraica non præcise virginem, sed *adolescentulam* significat, qualemcumque; itaque verterunt Symmachus, Aquila et Theodotion. 2<sup>o</sup>. Verba Isaia dicta esse de uxore Achaz regis Juda, quæ Ezechiam conceptura et paritura erat; quia Propheta regi dare signum volebat liberandæ urbis; sed quale signum fuisset, quod virgo multis post seculis conceptura et paritura esset? Vel certe de uxore Isaia ipsius intelligi debet.

*Sed immerito;* nam quoad 1<sup>am</sup>. istud jam confutavimus n. 75. Quod vero Symmachum, Aquilam, Theodotionem attinet; his 1<sup>o</sup>. versiones ibid. citt. opponimus. 2<sup>o</sup>. Nullius hic quidquam auctoritas valet, nam Aquila et Theodotion, primum gentiles erant; postea Christiani; demum apostatæ facti, et Judæorum proselyti. Symmachus autem de Ebionitarum fæce, per se ante jam integritatem beatissimæ Dei Genitricis negantium. Quid mirum igitur, quod locum Prophetæ, contra versiones reliquas, ipsis nequidem Judæis suspectas, perverse interpretati sint?

2<sup>am</sup>. vero nullo modo subsistit; quia, cum Isaia hoc vaticinium ederet; Ezechias jam decem, si non plures, annos natus erat; certum enim est 1<sup>o</sup>. prophetiam contigisse jam regnante Achaz; ut constat ex 4. Reg. c. 16. v. 1. 2<sup>o</sup>. Achaz regnavit annis sexdecim, ut iterum palam est ex 4. Reg. c. 16. v. 2. Ezechias vero continuo successit patri ibid. v. 20. Demum 3<sup>o</sup>. cum Ezechias in regno succederet, annorum erat 25. Posito igitur, quod jam tum in primo anno regni Achaz prophetia evenerit, Ezechias jam decimum ætatis annum saltem jam inchoaverat; quomodo igitur Propheta eum nasciturum prædicere poterat? Neque obstat, quod signum parituræ Virginis



multis post seculis evenerit; quia hoc signum prænunciare jussus erat Propheta, non quasi statim eventurum; alioquin saltem adhuc ante liberationem urbis impleri debuisset: quod vero falsum; cum ante liberatam urbem nec regi Achaz, nec Isaïæ a facto vaticinio proles nata sit; sed ut regem in spem erigeret, argumento sumpto ab omnipotentia Dei liberationem promittentis; ac si diceret: si Deus efficere possit, quod promittit se effecturum, ut Messias concipiatur et pariatur a Virgine; quanto magis liberare te et urbem poterit ab hostibus?

Uxor denique Isaïæ tempore vaticinii nec virgo erat, nec adolescentula; utpote quæ Isaïæ jam pepererat filium nomine *Jasub*, qui, quod tunc annorum fuerit, equidem non constat; sed tamen ipse adolescentiam decurrebat, patrem comitari solitus, Is. 7. v. 3.

301. *Obj. I.* 1<sup>o</sup>. Matthæus in genealogia Christi, hunc fuisse Abrahæ et Davidis filium, probat inde, quod Joseph ex Davide descenderit: sed hæc probatio non subsisteret, si Christus via ordinaria generationis non descenderet ex Davide; ergo.

2<sup>o</sup>. S. Scriptura diserte Josephum Christi patrem asserit: *Erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Luc. 2. 33. Et ibid. v. 48. *Ecce pater tuus et ego dolentes querebamus te.*

3<sup>o</sup>. Apostolus ad Gal. 4. Mariam simpliciter *mulierem* appellat: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Item: sic alibi in Scriptura ab ipso Christo compellata est; ergo.

Ad 1<sup>um</sup>. R. Quomodo Matthæus, Christum Davidis esse filium, et consequenter Abrahæ, probet per Josephum, quin inde sequatur, Josephum naturalem fuisse Christi patrem; jam diximus in genealogia Christi n. 149. et sequentibus.

Ad 2<sup>um</sup>. R. D. Josephus vocatur pater Christi, juxta persuasionem communem et vulgarem C. quod revera naturalis Christi pater fuerit N. Constat ex ipso S. Luca c. 3. 23. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph.*

Ad 3<sup>um</sup>. R. N. Cons. Nomen enim *mulieris* non importat præcise corruptam; sed est nomen naturæ et sexus, feminam indicans, ut ait S. Aug. L. 23. contra Faustum c. 7., sive illa virgo sit, sive non.

302. *Obj. II.* Maria saltem in partu integritatem amisit virginitatis. *Prob.* ex Patribus: sic 1<sup>o</sup>. TERTULL. L. de carne Christi. c. 23. *Peperit, inquit, quæ ex sua carne; et non peperit, quæ non ex viri semine. Et virgo, quantum a viro: non virgo, quantum a partu.* Et postea: *Etsi virgo concepit; in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege.* Idem prodit ORIGENES homil. 14. in Lucam. (opp. t. 3. p. 947. E. et 948. D.) 2<sup>o</sup>. Patres alii tam Græci, quam Latini, Virginis uterum in partu fuisse patefactum asserunt, ut IRENÆUS L. 4. c. 33. n. 11. S. ATHANASIUS epist. ad Epictetum n. 5. verum fuisse B. Mariæ partum probat, et nostræ similem Christi carnem ex eo, quod oblatum sit sacrificium propter apertum ab eo, qui est natus, matris uterum. Simili modo loquuntur plures alii, nixi S. Luca c. 2.: atqui *apertio uteri, reseratio, etc.* indicant læsum vel fractum virginitatis sigillum; ergo.

R. N. Assert. In quocumque enim reponatur virginitas, quod medicis

nondum omnino est extra controversiam; absolute tenendum est cum Isaia et S. Matthæo, dum decretorie pronunciant: *Virgo concipiet et pariet.* Eadem illæsam in partu Mariæ integritatem Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus clare expressit, in epistola Synodica, quæ a generali Concilio VI. Sess. 11. approbata fuit, hæc scribens (Labb. t. 6. p. 876. E.): *Partus ipse incorruptibilis, illibata Virginitas, quæ ante partum, et in partu et post partum est intemerabilis.* Item Syn. gen. IV. sive Chalcedonensis in Prophone-tico, in quo de integritate B. Virginis in partu loquuntur Patres (Labb. t. 4. p. 824. C.), adversus hostis in Ecclesiam conatus et impetus, Deum *excitasse Patres velut luminaria in errore degentibus, qui fidei intelligentiam omnibus exposuerunt, et Incarnationis beneficium accurate prædicarunt: quemadmodum ab initio illius ex utero perfectum sit mysterium: quomodo sit Dei genitrix propter eum, qui Virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque, ut Deo dignum erat, uterum obsignavit.* Ubi, cum obsignatum et sigillo munitum dicunt Patres uterum Virginis post conceptum, manifeste indicant, in ipso partu obsignationem illam perstitisse. Demum concors Patrum est sententia; quorum testimoniis ex omni Ecclesiæ ævo petitis totas philyras implevit noster PETAVIUS, Theol. Dogm. de Incarnat. L. 14. c. 6.

Ad 1<sup>um</sup>. R. Nec TERTULLIANI, nec ORIGENIS, in rebus dogmaticis persæpe exorbitantium, hic nomine movemur; illisque hic plane heteroclitite opinantibus, Isaïam, S. Matthæum, generales Synodos IV. et VI., et reliquorum Patrum exercitum opponimus, cum iisque totius sensum Ecclesiæ. De TERTULLIANO plura num. sequenti, quæ et Origeni accommoda.

Ad 2<sup>um</sup>. R. 1<sup>o</sup>. D. *min.* Indicant læsum virginitatis sigillum, hic ubi partus extra ordinem, nec sine miraculo evenit N. in partu communi alias, et ordinario; quia ante partum per virum admissum jam læditur C. Sed, inquit S. Aug. sermone 14. de Temp. qui est de Natali Christi decimus (al. in append. 193. n. 2.), *tanta est divina illa potentia, ut et matrem reddat fecundam, et virginitatem (in partu, de quo hic loquitur) servet illæsam.* Et serm. 21. (al. in append. 120. n. 2.): *Virgo genuit... involata peperit... utrobique miraculum: et sine corruptione gravida, et in partu Virgo puerpera.* serm. 19. (al. 186. n. 1.): *Concipiens virgo, pariens virgo, virgo gravida, virgo facta, virgo perpetua.* Sermon. de diversis 50. (al. 191. n. 2.): *Maria virgo ante conceptum, virgo post partum.*

R. 2<sup>o</sup>. *Patefacti uterum, aperiri, etc.* plus illis Patribus non significat, quam *nasei*, ex materno prodire utero; quod ita ferret communis alias et naturalis foetum proferendi modus, ut aperto utero in lucem exeat: cujusmodi catachresis in vulgari sermone frequenter adhibetur.

*Nec obstat:* Quod eodem genere sermonis S. Lucas Evangelista c. 2. ex Moyse Exod. c. 13. 2. et Num. 8. 16. accepto, quo primogenitus significatur, usus sit. Nam in ferendis legibus id spectat legislator, quod naturaliter et communiter accidit, non quod extra ordinem, nec sine miraculo. Proin communi et usitato modo loquitur.

303. *Dico III.* Etiam post Salvatoris partum beatissima Dei Genitrix MARIA, virgo constanter integra permansit. Ita rursus Christiani omnes, contra Apollinarem aliosque, quos *Antidicomarianitas* nominat S. EPIPHANIUS hæc. 78., tum Eunomium, Helvidium, Jovinianum virginitatis hostem, ac



propterea dictum a S. Hieron. L. 1. cont. Jovin. ab initio *Christianorum Epicurum*, Bonosum, etc. Elsi vero de illæsa Mariæ post partum Christi virginitate S. Scriptura sileat, efficaciter tamen

*Prob. I.* Ex perpetua traditione Patrum. Sic ORIGENES hom. 7. in Lucam (opp. t. 3. p. 940. B.) in tantam quippe nescio quis, ait, prorupit insaniam, ut assereret negatam fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius juncta fuerit Joseph. Tum hoc dicere, ait, esse hæresin, illamque ut impiam, ac nefariam damnat. S. EPIPHANIUS hæres. 78. n. 5. 6. (opp. t. 1. p. 1037.), inter hæreses refert illam Antidicomarianitarum sententiam; quin blasphemiam appellat. S. BASILIUS homil. in sanctam Christi generationem n. 5. (opp. t. 2. p. 600. A.): *Christum*, inquit, *amantium aures non sustinent hoc audire, quod Dei genitrix aliquando virgo esse desiderit.* S. AMBROS. in epist. 42. ad Siricium (al. 7.) et L. de Institut. Virg. c. 5. n. 35. *Fuerunt, qui eam (B. Mariam) negarent virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium silere jam dudum maluimus; sed quia causa vocavit in medium, ita ut ejus prolapsionis etiam Episcopus argueretur, indemnatum non putamus relinquendum.* Omitto plures.

*Conf.* hæc traditio a sensu utriusque Ecclesiæ Græcæ et Latinae, quæ ad exemplum S. EPIPHANII, etiam in generalibus Synodis, sanctissimam Dei Genitricem nomine *semper Virginis*, vel antonomastice *Virginem* compellere consuevit. Porro sensus ille et mens totius Ecclesiæ inde amplius elucet, quod, quos supra memoravi perpetuæ virginitatis Mariæ obtrectatores, eo solo nomine ab antiquis, et usque huc a Catholicis, ut hæretici habiti sint et damnati.

*Prob. II.* Rationibus D. TH. 3. p. q. 22. a. 3. in 6. 1º. Antidicomarianitarum dogma injuriosum est Christo: sicut enim hic erat Unigenitus Patris, velut Filius Patris perfectus; ita decebat, ut esset Unigenitus Matris. 2º. Est injuriosum Spiritui sancto, ut, quam ipse obumbraverat, et sibi in sacrarium elegerat, in quo Christi corpus formaret, postea cognita fuerit ab homine. Unde et 3º. summæ ingratiitudinis se ream fecisset Virgo sanctissima, si Dei Filii partu non contenta carnales expetiisset nuptias, et post conservatam tanto prodigio virginitatem, hanc tamen carnali concubitu deponere voluisset; quod proinde tanta Virgine, quam unam, ceu matrem Filii sui inter omnes dignissimam, elegerat Deus, non potest a quoquam homine suæ rationis compote præsumi.

304. *Obj.* Ex Scriptura et Patribus. 1º. Matth. 1. 18. dicitur Maria desponsata fuisse Josepho: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph*; ergo, inferunt Centuriatores Magdeburgenses Cent. 1. Lib. 1. c. 10. ad mentem Calvinii et Bezæ, *liquido constat, ita utrumque fuisse affectum, ut statuto tempore, more aliorum conjugum, voluerint liberos, dante Deo, procreare.* Et cur alias nupsit?

2º. Ibidem dicitur: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*; ergo postea convenerunt; hoc enim denotat particula *antequam*.

3º. Rursum ibid. v. 26. de Josepho asseritur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*; ergo post partum Christi Josephus Mariam cognovit; hoc enim indicat particula *donec*.

4º. Christus ibid., tum alibi, vocatur Mariæ *primogenitus*; sed hæc vox est correlativa, et supponit alios adhuc postea fuisse genitos.

5º. Christus adhuc fratres habuit, Matth. 12. 46. *Ecce mater ejus et fratres stabant foris*; ergo post Christi partum adhuc peperit.

6º. Tertullianus, L. de Monogamia c. 8. *Christum quidem Virgo enixa est, inquit, semel nuptura post partum, ut uterque titulus sanctitatis in Christi censu dispungeretur, per matrem, et virginem, et univiram.*

R. Ad 1º. N. Cons. Matrimonium enim sine ejus usu consistit, unde de Josephi et Mariæ conjugio ait Aug. L. 1. de Nupt. et Concup. c. 11. *Nec mendax manserat conjugis appellatio; ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio.* Et L. 23. contra Faustum c. 8. *Neque enim, quia (Josephus) concubitu non commixtus, ideo non maritus.* Ac S. AMBROS. de Institut. Virg. c. 6. n. 41. impugnans eos, qui putabant, nullum fuisse Mariæ et Josephi matrimonium: *non desloratio, inquit, virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.* Rationem vero, cur beatissima Virgo post conceptum nupsit Josepho, idem reddit in Luc. L. 2. n. 1. *Fortasse ne diceretur quod conceperat ex adulterio.* Et paulo post: *Ne temerata virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelæ videretur insigne præferre.*

Ad 2º. et 3º. R. N. Cons. *Non enim sequitur, ut postea convenerint; sed Scriptura, quod factum non sit, ostendit, inquit HIER. in cap. 1. Matthæi.* Sic Gen. 8. de corvo a Noë emisso dicitur: *Non revertetur, donec siccarentur aquæ; quo non istud innuitur, quod redierit siccatis aquis; sed quod prorsus non redierit.* Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum;* non sequitur, quod non amplius sit sessurus ad dextram. Item 1. Cor. 15. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus;* non sequitur, quod post humiliatos ejus inimicos non sit regnaturus. Hinc particula *donec, antequam*, ex se, et phrasi Scripturæ non semper tempus definitum, sed et indefinitum, imo infinitum significat.

Ad 4º. R. N. vocem *primogenitus* supponere alios post illum progenitos; sed vi sua præcise significat eum, ante quem alius genitus non est: sive dein post eum geniti sint alii, sive non, inquit S. BASILIUS orat. de Christi generat. n. 5. (opp. t. 2. p. 600. B.) Et vero, Num. 18. 16. offerri Deo debuit, et primo post partum mense redimi primogenitus: sed si primogenitus non est, nisi post quem alius est genitus; oblatio ac redemptio differri potuisset usque ad secundogenitum, quia ante hujus ortum prior nondum esset primogenitus.

Ad 5º. R. Equidem ex Patribus aliqui Josephum viduum fuisse autumant, cum B. Mariam sibi desponsaret, filiosque procreasse ex priori matrimonio, qui dicti postea *fratres Domini*. At non probatur hæc opinio, nullo nixa fundamento; sed libris apocryphis, teste S. HIERONYMO in cap. 12. Matth. v. 49. ubi, *quidam, inquit, fratres Domini de alia uxore Josephi filios suspiciantur, sequentes deliramenta apocryphorum.* Unde rectius dicitur, fratres Domini appellatos fuisse, quod essent ejus secundum carnem consanguinei, usitata alias Scripturæ phrasi, Gen. 13. Abraham et Loth dicuntur fratres; atqui Loth Abrahæ nepos erat, Gen. 29. Laban Jacobum fratrem vocat; at Laban erat Jacobi avunculus, Gen. 28. 2. Jacobus minor ab



Apostolo ad Gal. 1. *frater Domini* compellatur; sed erat Cleophæ, sive Alphæi filius. Quo gradu autem essent Christi consanguinei, vide in tabula genealogica Christi n. 451.

Ad 6<sup>um</sup>. R. cum S. Hieronymo L. contra Helvidium; cum opinionis suæ vindicem proferret Tertullianum: *Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse.* TERTULLIANUM tamen vindicat ab hac sententia PETAVIUS. Et vero hæc, *nuptura post partum*, exponit PETAV. de Incarn. L. 14. c. 3., ut *nubere* sit idem, ac *uterum resignari*.

## ARTICULUS IV.

AN VERBUM OMNES CORPORIS HUMANI PARTES, ET QUO ORDINE SIBI HYPOSTATICE CONJUNXERIT?

Quæstio movetur 1<sup>o</sup>. de sanguine, quem Verbo divino hypostatice immediate fuisse conjunctum negat DURANDUS, et quidam alii. Estque variorum de schola Lutheri, duce OSIANDRO, opinio, inde pariter asserentium, de facto gloriosum Christi corpus esse absque sanguine: pronum est, hujus causam figmenti conjicere; ut sic jam remote, velut per cuniculos, viam facerent ad impugnandum dogma catholicum de concomitantia naturali sanguinis cum corpore in Eucharistia; et vicissim corporis cum sanguine.

2<sup>o</sup>. De aliis, quæ partes integrantes dicuntur humani corporis. Discrimen vero hic notant Theologi inter uniri *secundum hypostasin*, et *in hypostasi*. Prius tantumdem sonat, ac uniri per se immediate et proxime: ita ut pars sic unita a Verbo terminetur immediate, sive nulla parte alia mediante. Alterum assumptionem mediatam significat; sic in *hypostasi* dicitur assumi pars, quæ quidem non immediate Verbo conjungitur, inest tamen naturaliter in natura assumpta. Et quoniam corpus Christi variis constat partibus solidis et fluidis, de singulis quæritur: An eadem Verbum hypostatice, secundum hypostasin, sive immediate: an in hypostasi, sive mediate, assumpserit?

303. *Dico I.* Sanguis a Verbo divino secundum hypostasin, sive immediate et proxime assumptus est. Est communis et certa Theologorum sententia.

*Prob. I.* Auctoritate S. SCRIPTURÆ. Ad Hebr. 2. v. 44. ait Apostolus: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Sed Verbum immediate communicavit carni; ergo et sanguini; de utroque enim æqualiter, et sine ulla differentia loquitur Apostolus. Præterea S. Scriptura tribuit eodem modo redemptionem nostram sanguini Christi, ac corpori, idemque pretium. 1. Pet. 1. 19. *Redempti estis pretioso sanguine.* Ad Ephes. 1. 6. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus.* 1. Joan. 1. 7. *Sanguis Jesu emundat nos ab omni peccato:* sed corpori Christi pretium suum advenit ex unione immediate cum Verbo, et secundum hypostasin; ergo et sanguini. Nec sufficit dicere, S. Sanguini accessisse pretium illud ab oblatione Christi, quia eundem Patri obtulit; nam et sudores et lacrymas eidem obtulit; ac licet etiam propterea dici possint operata redemptionem

et salutem nostram; nusquam tamen Scriptura id ita lacrymis, sudoribus ipsis, sicut ipsis sanguini attribuit.

306. *Prob. II.* Auctoritate CONCILIORUM ET PATRUM. In Synodo generali IV. sive Chalcedonensi Act. 1. lecta, ac approbata fuit S. CYRILLI epistola, in qua verba Joan. 1. *Verbum caro factum est*, interpretatur hoc modo: *Non dixit Scriptura, Verbum Dei personam sibi hominis assumpsisse, sed carnem factum esse. Verbum porro factum esse carnem nihil aliud est, nisi similiter ac nos carne ac sanguine participasse* (Labb. t. 4. p. 162. D.). In Concilio item Ephesino pariter approbata legitur epistola S. CYRILLI synodica, ex Concilio Alexandrino; qua dicitur (Labb. t. 3. p. 400. B.), *Verbum Deum carnem et sanguinem assumpsisse.* Et Anathem. 5. (ibid. p. 409. A.) asseritur: *Verbum caro factum carni et sanguini perinde ac nos communicavit.* S. GREGOR. NAZIANZENSIS orat. 44. n. 9.: *Humana omnia, excepto peccato, suscipit.* Et auctor tract. 2. de Fide orthodox. (in append. t. 1. opp. S. Greg. Nazianzeni p. 906.): *Credimus.... Verbum caro factum esse.... hominem natum; non putative, sed vere; non aereum, sed corporeum; non phantasticum, sed carneum; ossa, sanguinem, sensum et animam habentem. Assumpsit corpus, ex carne, ossibus, et sanguine constans.* CLEMENS VI. in Extrav. *Unigenitus*, de Pœnit. et Remiss. unam, docet, *guttam Christi sanguinis, propter unionem cum divino Verbo, suffecisse ad redemptionem generis humani.* Eodem vero modo rursus loquuntur citt. Concilia et Patres. Sicut igitur carnem, ita immediate assumpsit et sanguinem; latum vero discrimen esset, si sanguis mediate solum assumptus esset; nec magis ea sanguini convenirent, quam sudori et lacrymis, mediate assumptis; at Concilia et Patres hic speciale quid docent de sanguine.

307. *Prob. III.* RATIONE. Verbum dum assumpsit, secundum hypostasin, naturam humanam; eam non mutilam, sed integram perfectamque assumpsit; ergo æque secundum hypostasin, aut immediate assumpsit partes, ex quibus integritas et perfectio naturæ consurgit: atqui inter eas partes, quibus integratur et perficitur corpus, cum primis sanguis est; nam 1<sup>o</sup>. sine eo nec integer, nec naturaliter esse homo potest: ut proin Levit. 17. 11. dicitur *anima carnis in sanguine esse*, hoc est, vitam ab illo pendere, ut exponit S. AUG. q. 57. in Levit. 2<sup>o</sup>. Propterea etiam sanguinem in corporibus resurgentium futurum esse tradunt uno ore Theologi. 3<sup>o</sup>. A Tridentino Sess. 13. c. 3. sanguis pars Christi dicitur: *Corpus sub specie panis et sanguinem sub vini specie... animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini... inter se copulantur.*

308. *Dico II.* Verbum quoque immediate assumpsit partes integrales reliquas, solidas et fluidas; sive dicantur anima informari, sive non.

*Ratio est eadem;* quia naturam humanam veram integramque assumpsit; ergo simul partes eas, quæ ad illius veritatem ac integritatem pertinent. Tales sunt: caro, ossa, nervi, arteriæ, membranæ, etc. ex fluidis vero tres humores reliqui: phlegma, flava bilis, et atra. Item spiritus vitales et animales, qui sunt velut radii sanguinis purissimi, ac necessarii ad exercendas operationes vitales. Demum ungues, capilli; eo quod etiam ista tum ad inte-



Apostolo ad Gal. 1. *frater Domini* compellatur; sed erat Cleophæ, sive Alphæi filius. Quo gradu autem essent Christi consanguinei, vide in tabula genealogica Christi n. 451.

Ad 6<sup>um</sup>. R. cum S. Hieronymo L. contra Helvidium; cum opinionis suæ vindicem proferret Tertullianum: *Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse.* TERTULLIANUM tamen vindicat ab hac sententia PETAVIUS. Et vero hæc, *nuptura post partum*, exponit PETAV. de Incarn. L. 14. c. 3., ut *nubere* sit idem, ac *uterum resignari*.

## ARTICULUS IV.

AN VERBUM OMNES CORPORIS HUMANI PARTES, ET QUO ORDINE SIBI HYPOSTATICE CONJUNXERIT?

Quæstio movetur 1<sup>o</sup>. de sanguine, quem Verbo divino hypostatice immediate fuisse conjunctum negat DURANDUS, et quidam alii. Estque variorum de schola Lutheri, duce OSIANDRO, opinio, inde pariter asserentium, de facto gloriosum Christi corpus esse absque sanguine: pronum est, hujus causam figmenti conjicere; ut sic jam remote, velut per cuniculos, viam facerent ad impugnandum dogma catholicum de concomitantia naturali sanguinis cum corpore in Eucharistia; et vicissim corporis cum sanguine.

2<sup>o</sup>. De aliis, quæ partes integrantes dicuntur humani corporis. Discrimen vero hic notant Theologi inter uniri *secundum hypostasin*, et *in hypostasi*. Prius tantumdem sonat, ac uniri per se immediate et proxime: ita ut pars sic unita a Verbo terminetur immediate, sive nulla parte alia mediante. Alterum assumptionem mediatam significat; sic in *hypostasi* dicitur assumi pars, quæ quidem non immediate Verbo conjungitur, inest tamen naturaliter in natura assumpta. Et quoniam corpus Christi variis constat partibus solidis et fluidis, de singulis quæritur: An eadem Verbum hypostatice, secundum hypostasin, sive immediate: an in hypostasi, sive mediate, assumpserit?

303. *Dico I.* Sanguis a Verbo divino secundum hypostasin, sive immediate et proxime assumptus est. Est communis et certa Theologorum sententia.

*Prob. I.* Auctoritate S. SCRIPTURÆ. Ad Hebr. 2. v. 44. ait Apostolus: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Sed Verbum immediate communicavit carni; ergo et sanguini; de utroque enim æqualiter, et sine ulla differentia loquitur Apostolus. Præterea S. Scriptura tribuit eodem modo redemptionem nostram sanguini Christi, ac corpori, idemque pretium. 1. Pet. 1. 19. *Redempti estis pretioso sanguine.* Ad Ephes. 1. 6. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus.* 1. Joan. 1. 7. *Sanguis Jesu emundat nos ab omni peccato:* sed corpori Christi pretium suum advenit ex unione immediate cum Verbo, et secundum hypostasin; ergo et sanguini. Nec sufficit dicere, S. Sanguini accessisse pretium illud ab oblatione Christi, quia eundem Patri obtulit; nam et sudores et lacrymas eidem obtulit; ac licet etiam propterea dici possint operata redemptionem

et salutem nostram; nusquam tamen Scriptura id ita lacrymis, sudoribus ipsis, sicut ipsis sanguini attribuit.

306. *Prob. II.* Auctoritate CONCILIORUM ET PATRUM. In Synodo generali IV. sive Chalcedonensi Act. 1. lecta, ac approbata fuit S. CYRILLI epistola, in qua verba Joan. 1. *Verbum caro factum est*, interpretatur hoc modo: *Non dixit Scriptura, Verbum Dei personam sibi hominis assumpsisse, sed carnem factum esse. Verbum porro factum esse carnem nihil aliud est, nisi similiter ac nos carne ac sanguine participasse* (Labb. t. 4. p. 162. D.). In Concilio item Ephesino pariter approbata legitur epistola S. CYRILLI synodica, ex Concilio Alexandrino; qua dicitur (Labb. t. 3. p. 400. B.), *Verbum Deum carnem et sanguinem assumpsisse.* Et Anathem. 5. (ibid. p. 409. A.) asseritur: *Verbum caro factum carni et sanguini perinde ac nos communicavit.* S. GREGOR. NAZIANZENSIS orat. 44. n. 9.: *Humana omnia, excepto peccato, suscipit.* Et auctor tract. 2. de Fide orthodox. (in append. t. 1. opp. S. Greg. Nazianzeni p. 906.): *Credimus.... Verbum caro factum esse.... hominem natum; non putative, sed vere; non aereum, sed corporeum; non phantasticum, sed carneum; ossa, sanguinem, sensum et animam habentem. Assumpsit corpus, ex carne, ossibus, et sanguine constans.* CLEMENS VI. in Extrav. *Unigenitus*, de Pœnit. et Remiss. unam, docet, *guttam Christi sanguinis, propter unionem cum divino Verbo, suffecisse ad redemptionem generis humani.* Eodem vero modo rursus loquuntur citt. Concilia et Patres. Sicut igitur carnem, ita immediate assumpsit et sanguinem; latum vero discrimen esset, si sanguis mediate solum assumptus esset; nec magis ea sanguini convenirent, quam sudori et lacrymis, mediate assumptis; at Concilia et Patres hic speciale quid docent de sanguine.

307. *Prob. III.* RATIONE. Verbum dum assumpsit, secundum hypostasin, naturam humanam; eam non mutilam, sed integram perfectamque assumpsit; ergo æque secundum hypostasin, aut immediate assumpsit partes, ex quibus integritas et perfectio naturæ consurgit: atqui inter eas partes, quibus integratur et perficitur corpus, cum primis sanguis est; nam 1<sup>o</sup>. sine eo nec integer, nec naturaliter esse homo potest: ut proin Levit. 17. 11. dicitur *anima carnis in sanguine esse*, hoc est, vitam ab illo pendere, ut exponit S. AUG. q. 57. in Levit. 2<sup>o</sup>. Propterea etiam sanguinem in corporibus resurgentium futurum esse tradunt uno ore Theologi. 3<sup>o</sup>. A Tridentino Sess. 13. c. 3. sanguis pars Christi dicitur: *Corpus sub specie panis et sanguinem sub vini specie... animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini... inter se copulantur.*

308. *Dico II.* Verbum quoque immediate assumpsit partes integrales reliquas, solidas et fluidas; sive dicantur anima informari, sive non.

*Ratio est eadem;* quia naturam humanam veram integramque assumpsit; ergo simul partes eas, quæ ad illius veritatem ac integritatem pertinent. Tales sunt: caro, ossa, nervi, arteriæ, membranæ, etc. ex fluidis vero tres humores reliqui: phlegma, flava bilis, et atra. Item spiritus vitales et animales, qui sunt velut radii sanguinis purissimi, ac necessarii ad exercendas operationes vitales. Demum ungues, capilli; eo quod etiam ista tum ad inte-



gritatem, tum defensionem et ornatum corporis spectent; atque etiam vere ponantur in Eucharistia, et futura sint in corporibus gloriosis; quod futurum non esset, nisi pertinerent ad integritatem hominis.

*Excluduntur* tamen ab hac assumptione immediata *lacrymæ, sudor, saliva, aliæque superfluitates corporis*; quia nec ad hujus integritatem, perfectionemque pertinent; nec ponuntur in Eucharistia; nec futura sunt in resurgentium corporibus. Unde illa subsistebant in Christo subsistentia propria, quia tantum mediate assumpta.

309. *Dico III.* Verbum naturam humanam cum ejus constitutivis assumpsit simul tempore, sive instanti eodem; ut dici non possit, quod assumptio unius tempore præcesserit assumptionem alterius; aut præextitissent ante assumptionem partes, vel tota humanitas.

Contra *Origenem et Nestorium*: quorum prior asseruerat, præextitisse ante animam Christi, creatam cum animabus ceteris, initio mundi; posterior præformatum ante totum fuisse hominem, modo communi in utero, quam assumeretur; velut in ejusdem hæresi notavimus.

*Prob.* Ex Justiniani imperatoris ad Mennam epistola, quæ, Liberato teste, approbata fuit a Vigilio summo Pontifice, et in qua contra Origenis errores hæc definiuntur (Labb. t. 5. p. 678. E.): *Si quis dicit, aut sentit Domini animam prius extitisse, atque unitam fuisse Deo Verbo ante incarnationem et generationem ex Virgine; anathema sit.* Ex Syn. gen. VI., in qua approbata fuit S. Soemæxi epistola, quæ ita habet (Labb. t. 6. p. 865. A.): *Non ante verissimum ipsius Verbi conventum in se ipsis (corpus et anima) unquam extiterunt, vel cujuspiam secundum nos alterius hominis penitus extiterunt; sed cum Verbi ipsius naturali conventu subsistentiam habitura concurrerunt; et nec, quantum in ictu oculi, hanc quam illam priorem habentia; sicut Paulus Samosatenus, etc.* Et ratio est, quia vel debuisset corrumpi subsistentia prior, vel duplex fuisset subsistentia: quod utrumque est inconueniens. Præterea aliunde contra Origenem constat, falsum esse, quod creatæ fuerint animæ antequam unirentur corporibus.

310. *Datur* tamen in assumptione humanitatis quidam *prioritatis ordo*, componibilis cum simultate temporis. Quippe tres hic ordines considerari possunt, dignitatis, intentionis, et quasi naturæ et executionis. Unde

*Ordine dignitatis* in assumptione præcessit *humanitas, vel tota natura humana*; quia nobilior est partibus singulis; naturam sequitur anima, præceditque corpus; quia anima est corpore nobilior.

*Ordine intentionis* rursus *humanitas* præcedit partes singillatim acceptas, et *anima* corpus. *Ratio est*, quia ex intentione assumendi humanitatem assumptæ sunt partes, et ratione animæ corpus, quod præcise ratione sui non fuisset assumptum, si anima caruisset; ideo enim assumptum est corpus, quia habet animam capacem merendi, satisfaciendi, etc. Et hoc est, quod solum volunt Concilia et Patres quando volunt, corpus assumptum fuisse *media anima, aut media mente*.

*Ordine quasi naturæ et executionis* intelligitur *independens* prius esse dependente, tanquam hujus causa; sic prius unitum Verbo concipitur *corpus*, quam anima; nam natura prius illud unitur extremum, a quo pendet

actu alterius extremi assumptio; sed priusquam creetur anima, corpus debet esse dispositum et subsistens. Eodem ordine naturæ, quia humanitas dependebat a suis partibus, tanquam a causis constitutivis, et non e contra; hinc, in eo sensu, natura est posterior partibus. Porro hoc ordine corpus, anima, et utriusque unio præcesserunt unionem ad Verbum; unio enim hypostatica dependebat ab ipsis, quasi a causa materiali; illa autem constitutiva non dependebat ab unione hypostatica; poterant enim sine illa seorsim existere.

311. *Obj. 1.* Sanguis non est pars integralis humani corporis; ergo. *Prob. Ant. 1º.* Alimentum corporis non est pars corporis; quia illud est substantia distincta a substantia aliti, in quam per nutritionem convertitur: atqui sanguis est alimentum corporis; ut ex Arist. L. 5. de partib. animal. c. 3. docent plures. 2º. Juxta Doctorem Angelicum est pars tantum in potentia, q. 31. a. 6. ad 1.

*R. 1º. N. Cons.* Licet non esset pars corporis; est tamen pars integralis humanitatis.

*R. 2º. N. Ant. Ad prob. D. min.* Est alimentum corporis remotum, ut cibus *N.* proximum, vel ultimum *subd.* Quoad aliquas partes *C.* quoad omnes *N.* Est alimentum quoad partes solidiores. Igitur licet respectu solidarum partium sanguis non sit pars actu, sed tantum potentia; est tamen simul pars actu fluida respectu totius hominis, vel corporis viventis; sicut elementa, licet respectu mixtorum sint partes solum potentia; sunt tamen actu partes respectu universi. Hinc ad prob. 2ºam. patet responsio.

312. *Inst. 1.* Sanguis non est animatus; ergo nec, ut est quid fluidum, pars est viventis hominis vel corporis.

*R. T. Ant.* Id enim CAJETANUS, et plures ex Thomistis negant. *N. Cons.* Ut enim fuerit assumptus a Verbo secundum hypostasin; sufficit, quod sit pars humanitatis, ad hujus integritatem et perfectionem pertinens: sive sit animatus, sive non.

313. *Inst. 2.* Inter partes constituentes unam naturam totalem debet esse unio: atqui sanguis non unitur partibus solidis, nec continuatur cum corpore; sed est in venis, tanquam in vase, ut cum Aristot. cit. loquuntur alii; ergo.

*R. 1º.* Probabiliter contra *volunt alii*, sanguinem cum corpore continuari mediate: mediantibus partibus ejus crassioribus, quas medici fibras vocant, quæ continuantur venis, et venæ carni.

*R. 2º. D. M.* Debet esse unio physica et stricte dicta *N.* saltem contiguitatis *C.* Sic *D. min.* et *N. Cons.* Sufficit unio, quæ ad conservationem formæ principalis, et ad ejus operationes necessaria est; major enim non requiritur ad partes integrales; sanguis autem talem unionem habet per solam cum partibus contiguitatem, per quam ad utrumque servit, scilicet ad conservationem animæ, ejusque operationes; irascimur enim, dum sanguis fervet; timemus, cum ad cor contrahitur; gaudemus, quando per corpus diffunditur.

314. *Inst. 3.* Etiam aer sic est unitus corpori unione contiguitatis, et



præsentiae localis; præterea ad vitam, et functiones animalis est apprime necessarius, nec tamen est pars integralis; ergo neque sanguis.

R. N. Cons. *Disparitas* est. Aer inest animali ut hospes, ingrediens et egrediens; ergo non ut pars: sanguis e contra ut instrumentum domesticum et connaturale ad hunc finem a natura destinatum, ut corpori et animæ inserviat, unde saltem pars integralis est. Imo juxta alios est æque pars essentialis, quam cerebrum; eo quod corpus humanum, saltem diu, consistere sine sanguine non possit: et simul, secus ac aer, per se ordinatur ad constituendum cum corpore et anima principium aliquod adæquatum certarum operationum, quod est unum per se, una natura completa.

315. *Obj. II.* Verbum unam naturam et unius speciei assumpsit; ergo non assumpsit sanguinem, utpote qui specie differt a reliquo corpore.

R. D. *Ant.* Assumpsit naturam unam, et omnino simplicem N. totalem ac compositam ex pluribus partibus, sive naturis subordinatis C. Nec refert, inter has partes esse quasdam non viventes, quæ partiali specie, vel etiam genere differant; sic enim quoque partes essentielles corporis naturalis, licet genere diversæ, constituunt unum compositum physicum.

316. *Obj. III.* Si sanguis sit pars corporis; ergo poneretur in Eucharistia vi verborum, et non duntaxat per concomitantiam: at non ponitur in Eucharistia vi verborum, sed tantum per concomitantiam. *Prob. sequela:* quia vi verborum sub specie panis corpus integrum ponitur.

R. N. *seq. M. Ad prob. D.* Vi verborum ponitur corpus integrum quoad partes solidas C, integrum quoad fluidas N. *Ratio* est, quod vi verborum consecrationis ponatur corpus Christi sub speciebus panis, non quomodo-cumque, sed sub ratione cibi; ad hunc vero pertinent partes solidæ, non fluidæ, qualis sanguis est.

317. *Obj. IV.* Si Verbum immediate assumpsit sanguinem; ergo etiam dici posset sic assumpsisse accidentia: sed hoc non admittitur; ergo.

R. N. *sequelam 1º.* Quia sanguis probabilius non unitur physice cum venis, aut reliquo corpore; unde non apparet, quo mediante assumptus esset: at accidentia immediate uniuntur naturæ; ergo hac mediante assumpta sunt. 2º. Concilia et Patres eodem modo loquuntur de sanguine, quo de carne; ergo, uti hæc, ita ille immediate assumptus est; sed non eodem modo loquuntur de accidentibus. Hæc igitur assumpta quidem sunt a Verbo in hypostasi; sed non secundum hypostasin.

318. *Obj. V.* Si Verbum assumpsit sanguinem secundum hypostasin; ergo Verbum posset dici sanguis. Sed hoc non.

R. 1º. Ergo etiam posset dici caput, pes, etc.

R. 2º. N. *seq.* Quia hæc nomina non sunt nomina suppositi; unde non important aliquid in recto, quod de Deo verificari possit: nec enim significant per modum totius per se subsistentis, vel constituti; sed per modum partis subsistentis in alio tanquam toto, et constituentis. Vid. n. 273.

## SECTIO III.

## DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Nomen *idioma*, ex nativa sua institutione proprietatem sermonis indicat, quo sensu dicitur idioma latinum, idioma græcum. Paulo largius sumitur a Theologis pro eo, quod est proprium et peculiare naturæ vel ut essentia, vel ut proprietas. Unde per communicationem idiomatum hic intelligitur mutua in Christo prædicatorum utriusque naturæ, sive tam divinorum, quam humanorum, communicatio; sic, ut ratione unius in Christo suppositi, sive personæ, prædicata naturæ divinæ propria affirmari possint de homine; ac similiter prædicata naturæ humanæ propria affirmari de Deo. Ad hunc sensum breviter definitur: *Communicatio idiomatum est mutua divinorum et humanorum prædicatorum, tum de se invicem, tum de supposito et toto, prædicatio.* Ut: Deus est homo; homo est Deus: Deus est passus, mortuus; homo est immortalis: Christus est Deus; Christus est homo; Christus est immortalis; Christus est mortalis, etc. De hac igitur nunc inquiremus: 1º. An vere detur in Christo? 2º. In quo sensu detur? Quæ exponent sequentes Articuli.

## ARTICULUS I.

## AN DETUR VERA ET REALIS IN CHRISTO IDIOMATUM COMMUNICATIO?

Jam de Nestorio observavimus in ejus expositione hæresis, hæresiarcham illum veram, realem, ac hypostaticam unionem utriusque naturæ in Christo non agnovisse; ex quo fluebat sequela necessaria: nec dari veram in Christo communicationem idiomatum, etiam in concreto, et respectu personæ. Hinc ferre non poterat has similesque propositiones: *Deus est bimestris, natus, passus: Beatissima Virgo est Deipara.* Contra quem

319. *Dico.* Datur vera et realis in Christo communicatio idiomatum. Est de fide.

*Prob. I. Auctoritate S. SCRIPTURÆ.* Sacræ Litteræ sæpius ea, quæ sunt naturæ divinæ propria, tribuunt humanitati, et vicissim; ergo debet esse in Christo vera idiomatum communicatio. *Ant.* ostenditur. Sic Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, ubi descendisse proprium est Verbi.* Tum ibid. *In hoc cognovimus charitatem Dei; quoniam ille animam suam pro nobis posuit;* sed mori proprium est hominis. Sic modo Christus *se æqualem Patri* pronunciat, quod habet ratione divinitatis; modo *se minorem Patre* asserit, ratione humanitatis. Vid. n. 168.

320. *Prob. II. Auctoritate CONCILIORUM.* Conc. Ephesinum 1º. definit



præsentiae localis; præterea ad vitam, et functiones animalis est apprime necessarius, nec tamen est pars integralis; ergo neque sanguis.

R. N. Cons. *Disparitas* est. Aer inest animali ut hospes, ingrediens et egrediens; ergo non ut pars: sanguis e contra ut instrumentum domesticum et connaturale ad hunc finem a natura destinatum, ut corpori et animæ inserviat, unde saltem pars integralis est. Imo juxta alios est æque pars essentialis, quam cerebrum; eo quod corpus humanum, saltem diu, consistere sine sanguine non possit: et simul, secus ac aer, per se ordinatur ad constituendum cum corpore et anima principium aliquod adæquatum certarum operationum, quod est unum per se, una natura completa.

315. *Obj. II.* Verbum unam naturam et unius speciei assumpsit; ergo non assumpsit sanguinem, utpote qui specie differt a reliquo corpore.

R. D. *Ant.* Assumpsit naturam unam, et omnino simplicem N. totalem ac compositam ex pluribus partibus, sive naturis subordinatis C. Nec refert, inter has partes esse quasdam non viventes, quæ partiali specie, vel etiam genere differant; sic enim quoque partes essentielles corporis naturalis, licet genere diversæ, constituunt unum compositum physicum.

316. *Obj. III.* Si sanguis sit pars corporis; ergo poneretur in Eucharistia vi verborum, et non duntaxat per concomitantiam: at non ponitur in Eucharistia vi verborum, sed tantum per concomitantiam. *Prob. sequela:* quia vi verborum sub specie panis corpus integrum ponitur.

R. N. *seq. M. Ad prob. D.* Vi verborum ponitur corpus integrum quoad partes solidas C, integrum quoad fluidas N. *Ratio* est, quod vi verborum consecrationis ponatur corpus Christi sub speciebus panis, non quomodo-cumque, sed sub ratione cibi; ad hunc vero pertinent partes solidæ, non fluidæ, qualis sanguis est.

317. *Obj. IV.* Si Verbum immediate assumpsit sanguinem; ergo etiam dici posset sic assumpsisse accidentia: sed hoc non admittitur; ergo.

R. N. *sequelam 1º.* Quia sanguis probabilius non unitur physice cum venis, aut reliquo corpore; unde non apparet, quo mediante assumptus esset: at accidentia immediate uniuntur naturæ; ergo hac mediante assumpta sunt. 2º. Concilia et Patres eodem modo loquuntur de sanguine, quo de carne; ergo, uti hæc, ita ille immediate assumptus est; sed non eodem modo loquuntur de accidentibus. Hæc igitur assumpta quidem sunt a Verbo in hypostasi; sed non secundum hypostasin.

318. *Obj. V.* Si Verbum assumpsit sanguinem secundum hypostasin; ergo Verbum posset dici sanguis. Sed hoc non.

R. 1º. Ergo etiam posset dici caput, pes, etc.

R. 2º. N. *seq.* Quia hæc nomina non sunt nomina suppositi; unde non important aliquid in recto, quod de Deo verificari possit: nec enim significant per modum totius per se subsistentis, vel constituti; sed per modum partis subsistentis in alio tanquam toto, et constituentis. Vid. n. 273.

## SECTIO III.

## DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Nomen *idioma*, ex nativa sua institutione proprietatem sermonis indicat, quo sensu dicitur idioma latinum, idioma græcum. Paulo largius sumitur a Theologis pro eo, quod est proprium et peculiare naturæ vel ut essentia, vel ut proprietas. Unde per communicationem idiomatum hic intelligitur mutua in Christo prædicatorum utriusque naturæ, sive tam divinorum, quam humanorum, communicatio; sic, ut ratione unius in Christo suppositi, sive personæ, prædicata naturæ divinæ propria affirmari possint de homine; ac similiter prædicata naturæ humanæ propria affirmari de Deo. Ad hunc sensum breviter definitur: *Communicatio idiomatum est mutua divinorum et humanorum prædicatorum, tum de se invicem, tum de supposito et toto, prædicatio.* Ut: Deus est homo; homo est Deus: Deus est passus, mortuus; homo est immortalis: Christus est Deus; Christus est homo; Christus est immortalis; Christus est mortalis, etc. De hac igitur nunc inquiremus: 1º. An vere detur in Christo? 2º. In quo sensu detur? Quæ exponent sequentes Articuli.

## ARTICULUS I.

## AN DETUR VERA ET REALIS IN CHRISTO IDIOMATUM COMMUNICATIO?

Jam de Nestorio observavimus in ejus expositione hæresis, hæresiarcham illum veram, realem, ac hypostaticam unionem utriusque naturæ in Christo non agnovisse; ex quo fluebat sequela necessaria: nec dari veram in Christo communicationem idiomatum, etiam in concreto, et respectu personæ. Hinc ferre non poterat has similesque propositiones: *Deus est bimestris, natus, passus: Beatissima Virgo est Deipara.* Contra quem

319. *Dico.* Datur vera et realis in Christo communicatio idiomatum. Est de fide.

*Prob. I. Auctoritate S. SCRIPTURÆ.* Sacræ Litteræ sæpius ea, quæ sunt naturæ divinæ propria, tribuunt humanitati, et vicissim; ergo debet esse in Christo vera idiomatum communicatio. *Ant.* ostenditur. Sic Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, ubi descendisse proprium est Verbi.* Tum ibid. *In hoc cognovimus charitatem Dei; quoniam ille animam suam pro nobis posuit; sed mori proprium est hominis.* Sic modo Christus se æqualem Patri pronunciat, quod habet ratione divinitatis; modo se minorem Patre asserit, ratione humanitatis. Vid. n. 168.

320. *Prob. II. Auctoritate CONCILIORUM.* Conc. Ephesinum 1º. definit



B. Virginem esse *Deiparam*, contra Nestorium; proin Deum genuit; et vera est propositio: Deus est natus ex Maria. 2<sup>o</sup>. Approbando Cyrilli ad Nestorium epistolam, anathema dicit (Labb. t. 3. p. 409. D.) ei, qui non confitetur Dei Verbum passum in carne, crucifixum, mortem gustasse. In symbolo Nicæno profiteamur, nos credere in unum Jesum Christum *ex Patre natum ante secula, Deum de Deo*: et simul incarnatum ex Maria Virgine; primum ob divinitatem; alterum ob humanitatem; ergo non Christo tantum, sed et Deo Verbo tribuuntur prædicata, licet humanitati sint propria; proin datur communicatio idiomatum.

Eadem est communis PATRUM doctrina. S. DAMASCENUS de fide orthod. L. 3. c. 4. relatus a D. TH. 3. p. q. 16. a. 4. *Deus*, inquit, *suscepit ea, quæ sunt carnis idiomata, h. e. proprietates; dum Deus passibilis nominatur, et Deus gloriæ crucifixus est.* S. GREGOR. NYSSENUS epist. ad Theophilum (opp. t. 3. p. 263. D.) *Propter exactam unionem... mutuo transferuntur vocabula, ut humanum ex divino: et divinum ex humano denominetur.* Omissis aliis, qui legi apud BELLARMINUM possunt et PETAVIUM, Theol. Dogm. de Incarn. L. 4. c. 13. nitidissime VIGILIUS L. 2. cont. Eutychem (Bibl. magn. PP. t. 4. p. 501. E.): *Unus est Christus, idem Deus idemque homo, habens in verbis et gestis, unum quod humanitatis, aliud quod propriæ divinitatis ejus naturæ conveniat; licet utrumque simul ad unam ejus personam vel substantiam pertineat. Quod dictum est: in principio erat Verbum... non potest ad humanitatis ejus referri naturam, quæ initium sumpsit ex Virgine. Rursus quod de eo dicitur: puer autem crescebat, et confortabatur... et, cum esset annorum duodecim... non potest deitatis ejus naturæ congruere, etc.* Quibus primo statuitur communicationem idiomatum in concreto, sive respectu personæ; e contra rejicit illam in abstracto, cum dicat alia esse propria humanitati, alia divinitati; quod idem nos asseremus Art. seq. Hanc vero communicationem semper refundit in unitatem personæ.

321. *Prob. III.* RATIONE fundamentali. Quia ex unionem hypostatica fit, ut natura divina et humana subsistant in eadem persona Verbi, et in Christo sit proinde unum suppositum naturæ divinæ et humanæ; ergo et consequenter ut proprietates tum Dei, tum hominis, et de illo ipso supposito, et de se invicem, prout suppositum idem includunt, sive in concreto, ut dicemus, recte affirmari, ac prædicari queant; quia quando unum suppositum, ut subjectum, habet in se plures naturas aut formas totales; potest una natura, aut forma totalis concrete de altera natura, aut forma totali vere et proprie prædicari; vere enim de lacte dices: *hoc album est dulce; hoc dulce est album*; sic etiam, quia in persona Petri est corpus, anima, intellectus, scientia; vere dices: *Petrus est corporeus: corporeus est animatus: intellectualis est sciens*; igitur et de Christo dicere licet: *est homo: est Deus: immortalis est mortalis*, etc. cujus ultimata est ratio, quod nomina concreta personæ, et naturarum, item proprietatum personæ ac naturarum, habeant in Christo eundem rectum, et pro eo supponant: illa enim nomina, cum sint nomina suppositi, habent pro recto suppositum; ergo cum in Christo sit unum idemque suppositum duarum naturarum, illa nomina in Christo eundem habent rectum, pro quo supponunt, et sic de se mutuo recte prædicantur.

Hoc ipsum est, quod DOCTOR ANGELICUS pro ratione reddit 3. p. q. 16. a. 4. in 0. *Cum sit eadem hypostasis utriusque naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturæ: sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinæ et humanæ naturæ: et ideo de homine possunt dici ea quæ sunt divinæ naturæ, tanquam de hypostasi divinæ naturæ; et de Deo possunt dici ea quæ sunt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanæ naturæ.*

Ex quibus duplex colligitur hujus communicationis fundamentum. Primum, reale et physicum, quod est ipsa unio duarum naturarum in una eademque persona. Alterum est, vel saltem dici potest logicum: estque resolutio et significatio concretorum ex unitate personæ, exprimens identitatem inter rectum subjecti et prædicati; exemplum est in resolutione hujus: *Deus est homo*; nam sic resolvitur: *Persona, vel subsistentia terminans naturam divinam, est persona vel subsistentia terminans naturam humanam.* Vel: *Deus ratione humanitatis, quam per unionem hypostaticam sibi propriam fecit, est homo*: quem modum subinde Patres usurparunt. Eodem modo resolvuntur propositiones aliæ; et ita resolvi eas possit ipsa propositionum veritas, ne secus, si naturam hic posueris in recto, totam incarnatam facias Trinitatem, incidasque in errores Theopaschitarum aliorumque Hæreticorum.

322. *Obj. I.* Ex communicatione idiomatum staret hic discursus: Hic homo est Deus: sed Verbum factum est hic homo; ergo Verbum factum est Deus: porro hic discursus admitti non potest; ergo.

R. Si in eo discursu *factum* velis pertinere ab subjectum, scilicet *Verbum*, falsa est minor; quia Verbum non est factum: si vero velis pertinere ad prædicatum utriusque propositionis, non tenet hic discursus; sed laborat fallacia accidentis, vel vitio captionis a *secundum quid* ad *simpliciter*; nam in præmissis *feri* enuntiatur de Deo secundum quid, nempe in quantum homine; in conclusione vero prædicatur de Deo simpliciter, ratione naturæ divinæ; unde vel, stantibus illis præmissis, sic inferri debet: *ergo Verbum factus est ille, qui est Deus*; vel potius sic formandus discursus: *Factum hic homo est Deus: sed Verbum est factum hic homo; ergo Verbum est Deus.*

323. *Obj. II.* Ut detur communicatio idiomatum, necessaria est absolute identitas inter subjectum et prædicatum: atqui in hac propositione, *Deus est homo*, non datur identitas inter subjectum et prædicatum; Deitas enim humanitati non est identificata, sed unita solum.

R. N. M. Sed requiritur et sufficit identitas inter rectum subjecti et prædicati; illa autem hic habetur, quia concreta illa *Deus, homo* in recto important suppositum: quod hic unum idemque est, ut paulo ante dictum.

324. *Obj. III.* Prædicatio illa: *Deus est homo*, non est propria, vel certe non est æque propria, quam hæc altera: *Petrus est homo*; nam 1<sup>o</sup>. hæc est necessaria; cum Petrus necessario sit homo, non Deus. 2<sup>o</sup>. Homo non prædicatur de Deo essentialiter, sicut de Petro; interroganti enim, quid sit Deus? responderi non potest esse hominem; ergo.

R. N. Ant. *quoad utramque partem.* Ratio prioris est; quia natura humana est vere et proprie natura divini suppositi: sed natura vere et proprie



in concreto prædicatur de illo supposito, cuius est natura; hinc et Synodus gener. V. sive Constantinop. II. Can. 6. (Labb. t. 5. p. 371.) anathemate ferit eum, qui sanctam gloriosam semper Virginem Mariam non proprie et vere Dei Genitricem ipsam confitetur. Ratio alterius est; quia veritas et proprietas propositionis non ex necessitate æstimatur, sed sufficit excludi omnem improprietatem seu metaphoram; unde spectando præcise proprietatem, æque proprie Petrus dicitur albus, quam homo.

Hinc patet responsio *ad prob. 1<sup>am</sup>. Ad 2<sup>am</sup>. R. N. Cons.* Prædicatio quidem illa non est essentialis, nisi de toto fiat; quia prædicatum nec est de essentia subjecti, nec cum eo habet connexionem necessariam; sicut nec est mere accidentalis, ut volebat Nestorius; sed est substantialis, quia in unione substantiali fundatur. Unde de Deo, supponente pro Verbo, homo prædicatur in quid, non quidem essentialiter, sed substantive; et interroganti post Incarnationem, quid sit Verbum? æque vere ac proprie respondetur, esse hominem, quam esse Deum; licet, respondendo esse Deum, Deus prædicetur de eo in quid essentialiter; e contra respondendo esse hominem, homo de Verbo prædicetur in quid substantive.

325. *Obj. IV.* Tres personæ divinæ magis conveniunt in natura divina, quam natura divina et humana in persona Christi: et tamen inde non nascitur communicatio idiomatum inter personas; ergo neque inter naturas in Christo.

*R. D. Ant.* Magis conveniunt in natura, eaque etiam importatur in recto, sicut suppositum, dum prædicantur termini concretæ vel naturæ, vel personarum *N.* non importatur in recto concretorum prædicabilium *C.* At hoc communicationis idiomatum fundamentum est.

## ARTICULUS II.

## QUO SENSU DETUR IN CHRISTO IDIOMATUM COMMUNICATIO?

326. *Nota.* Nomen aliud abstractum, aliud concretum est. *Abstractum* illud est, quod tantum formam, vel quasi formam significat: ut divinitas, humanitas, doctrina, albedo. *Concretum*, quod tum formam, aut quasi formam, tum etiam id, quod formam, aut quasi formam habet, sive subjectum, exprimit: ut Deus, homo, albus, doctus. Si forma est substantia, concreta *substantialia* dicuntur: ut Deus, homo; si est accidens, *accidentalibus*: ut sunt duo posteriora, albus, doctus, ac similia. Porro concreta substantialia alia sunt naturæ, alia personæ; e quibus priora expressius naturam, posteriora personalitatem significant; ambo vero plerumque substantive enuntiantur: velut Deus, homo; subin etiam adjective: ut divinus, humanus. His, de quibus uberius alias Dialectici, obiter prænotatis,

327. *Dico I.* Abstracta unius naturæ non prædicantur de abstractis naturæ alterius; sed neque abstracta de concretis, aut concreta de abstractis prædicari possunt.

*Ratio 1<sup>ae</sup> partis* est, quod prædicatum et subjectum non supponant pro eodem in recto: sicut enim concretum importat in recto suppositum, et significat per modum habentis et constituti; ita abstractum significat per modum formæ habitæ et constituentis, quæ distinguitur ab altera forma; ergo nulla ratione sunt idem; ergo nec de se prædicari possunt. Hinc tota ratio a priori Conclusionis est; quia, quæ sunt unius naturæ propria, nequeunt prædicari de alio, quando in nullo communi, vel subjecto, vel supposito conveniunt; ergo.

*Ratio 2<sup>ae</sup> partis* eadem est: quia, ex eadem ratione, extrema non supponunt pro eodem.

Quare falsæ sunt propositiones istæ: *Deitas est humanitas: deitas patitur, est mortua: humanitas est Christus, Verbum: deitas est homo, est mortalis.* Ac dum SS. Patres subinde dicunt, divinitatem posse dici natam, passam, mortuam: deitatem esse incarnatam; non loquuntur in sensu proprio et formali, sed solum in identico vel reali: intelligentes solummodo, suppositum, quod realiter identificatur divinitati, esse natum, passum, etc. secundum humanitatem.

328. *Dico II.* Communicatio idiomatum solum datur in concreto; ut proin concreta unius naturæ de concretis naturæ alterius vere prædicari possint; sive sint substantiva, ut: *homo est deus*; sive adjectiva, ut: *mortalis est immortalis*; et similiter de toto, ut: *Christus est immortalis: est mortalis.*

*Ratio* est, quia extrema hic supponunt pro eodem in recto, scilicet supposito; secus, ac abstracta. Vid. n. 321. eadem enim ratio ibi data, pro hac Concl. pugnat.

329. *Dico III.* Communicatio tamen idiomatum non datur in quibuslibet concretis; hinc Conclusionem præcedentem sub sequentibus cautelis intellectam volumus.

*CAUTELA I.* *Concreta negativa negative sumpta, sive quæ remonent aliquam proprietatem naturæ unius, non possunt absolute de Christo enuntari; nec de concretis naturæ alterius.*

*Ratio* est, quia particula negativa simpliciter sumpta, cum sit malignantis naturæ, habet vim negandi absolute: negatque totum, ac removet a subjecto vel supposito simpliciter proprietatem, quæ tamen illi convenit ratione alterius naturæ; secus, quam in affirmativis propositionibus se res habeat; ut enim affirmativa sit vera, necesse non est, ut toti subjecto ex omni parte conveniat; sed satis est, si ex una duntaxat parte.

Hinc falsæ sunt istæ propositiones: *Christus non est mortalis: non est æternus, nisi cum addito: non est mortalis ut Deus: non est æternus ut homo.* Item e contra veræ sunt affirmativæ illis oppositæ. Sic et falsæ sunt illæ: *Christus est inæqualis Patri: est incorporeus, nisi addatur ut homo, vel ut Deus; quia secus, sumendo concreta illa, inæqualis, incorporeus, ut communi usu sumi solent, negative, simpliciter; omni ex parte negabitur de Christo, quod sit æqualis Patri, corporeus: quod falsum est. Stabunt tamen veræ propositiones, si hujusmodi concreta sint solum negativa grammaticaliter, vel reipsa sumantur positive: ut si *incorporeus* sumatur pro forma in-*



corporeitatis. Unde et veræ sunt : *Christus est immortalis : mortalis est immortalis : passibilis est impassibilis*; licet enim efferantur termino negativo; non tamen hic negative sumitur, sed positive; saltem communi usu.

330. CAUTELA II. *Concreta, vel attributa soli naturæ, vel soli supposito secundum se convenientia, nequeunt de se mutuo, vel de toto prædicari.* Talia prædicata sunt *assumi, assumere*; prius soli naturæ secundum se convenit; alterum soli supposito, cuius secundum se est proprium, *assumere*; sicut naturæ, *assumi*. Unde falsæ sunt : *Verbum est assumptum : homo assumpsit.*

*Ratio est*, quia etiam in his extrema non supponunt in recto pro eodem; hujusmodi enim prædicata naturæ conveniunt, ut ea excludit suppositum; et supposito, ut hoc excludit naturam et totum; ergo illi sub alia suppositione, vel appellatione conveniunt; proinde inter prædicatum et subjectum, nequidem secundum rectum, datur identitas.

331. CAUTELA III. *Concreta substantiva, velut Deus, homo, nequeunt per prædicationem aliam dici denominative de altera natura, nec de toto; ac proinde absolute rejiciendæ sunt propositiones : Deus est humanus : Christus est homo Dominicus, Deifer : Deus est humanatus, sumendo nominaliter; nam vera erit, si τὸ humanatus sumatur per modum participii ab humanare, quod idem sonat ac incarnari, eritque idem, ac dicere : est incarnatus.*

*Ratio est*, quia denominationes ejusmodi accidentalem naturæ unius ad alteram habitudinem important; denominativum enim significat formam subjecto accidentem; ergo Nestorianam suppositorum diversitatem sonant. Unde et S. AUG. L. 1. Retract. c. 19. n. 8. *Non video, ait, utrum recte dicatur homo Dominicus... Christus Jesus, cum sit utique Dominus... Ubi- que hoc dixi, dixisse me nollem; postea quippe vidi non esse dicendum.* Admittit tamen S. TH. 3. p. q. 16. a. 3. ad 3. τὸ divinus, *Jesus divinus*, quia τὸ divinus non excludit esse substantiale Dei; passim enim communi Ecclesiæ phrasi dicitur : *natura divina, persona divina, etc.*

332. CAUTELA IV. *Concreta non debent sumi reduplicative, si affirmentur de altera natura, non de propria.*

*Ratio est*, quia particula reduplicativa ipsam naturam afficit, et facit esse rationem adæquatam et formalem, cur prædicatum conveniat subjecto; quod falsum est in hac materia. Sic falsum diceret : *Deus, qua Deus, est homo*; reduplicatio enim afficiens Deum, significat deitatem esse rationem formalem cur Deus sit homo; quod falsum est.

333. CAUTELA V. *Neque prædicari possunt de toto, vel Deo, concreta que important suppositum humanum, excluduntque divinum; ut sunt : Filius adoptivus, creatura pura, etc.*

*Ratio est*, quia hi termini pro supposito divino supponere debent; at hi termini, filius adoptivus, creatura pura, etc. et deitatem et suppositum divinum excludunt; quia deitas et Verbum excludunt rationem creaturæ puræ, etc. Eodem modo se res habet cum prædicatis divinis, quæ excludunt naturam humanam; sic falsa est æque propositio : *Christus est purus Deus*; quam ista : *Christus est purus homo*; quia sicut particula exclusiva *purus*,

vel *pure*, in priore excludit naturam humanam in Christo; ita in altera naturam divinam.

Præter hæc generaliter cavendum in præsentī materia 1°. ne sine limitatione proferantur propositiones, quæ favent hæreticis; licet alias secundum rigorem dialecticæ dici possent in sensu catholico; sic Arianis favet ista : *Christus est creatura*; unde nunc limitari eam oportet addendo : *ratione humanitatis*. Hinc etiam jam sine determinatione non admittitur ista : *Christus est incorporeus, impassibilis*; ad destruendum errorem Manichæorum, etc. in Christo verum corpus negantium; etsi aliunde similes propositiones usurpari possent, et usurpatæ sint a S. GREG. NAZ. et S. LEONE. Aut si sine adhibita limitatione, natæ sint ad sensum falsum pariendum; hinc rejici debet ista simpliciter prolata : *Christus, Filius Dei, incepit esse*; præterquam enim quod pariter Arianismum sapiat; *incipere* ita nude positum ex communi usu significat, simpliciter accipere esse proprium; Christus vero non sic accepit esse; licet et sensum habere possit sanum, ut si ita sumas : *Hoc suppositum cepit esse suppositum humanitatis.*

2°. Ne proferantur cum adverbis, quæ propositionem ambigam, aut falsam reddere possunt; ut *Verbum ab æterno est homo*; adverbium enim talia ex suo significandi modo videntur formam afficere. Item ne cum verbo *fieri, aut factum esse*, si quid inde inconveniens sequatur : hinc rejici debet ista : *homo factus est Deus*; quia τὸ *fieri, vel factum esse* significat subjectum propositionis prius natura saltem fuisse subsistens, quam advenerit illud, quod per prædicatum tribuitur subjecto; sed homo pro priori non habuit subsistentiam propriam; inde ex opposita ratione vera est : *Deus factus est homo.*

Ac demum observandum monent Auctores, has variasque alias exceptiones, non oportere expendi unice ad rigorem legum dialecticæ; sed magnam partem pendere a doctrina Patrum, tum ab usu Ecclesiæ, ut monuimus jam in simili n. 273.

334. Obj. 1°. Licet corpus et anima conjungantur inter se, constituentque unum; non tamen inde nascitur communicatio idiomatum in concreto; nec proprietates corporis de anima, nec hujus de corpore, nec de toto prædicari possunt; ergo neque hic. 2°. De eodem Christo nequeunt recte prædicari contradictoria, etiam secundum diversam naturam; ergo nec contraria. 3°. Concreta substantiva non semper suppositum in recto important, ut patet in concreto substantivo *Deus*; ergo ruit fundamentum hujus communicationis.

Ad 1<sup>am</sup>. R. N. *Cons. Disparitas est*; quia corpus et anima sunt suæ substantiæ partiales et incomplete, quæ simul conjunctæ unam hominis naturam totalem efficiunt, et personam ipsam tanquam partes primo constituunt simpliciter; neutra ergo illarum partium seorsim est ipsum suppositum; ergo, cum proprietates illarum partium de se mutuo, vel de toto prædicantur, non est idem rectus prædicati et subjecti; inde est, quod non dicamus : *Petrus est anima : Petrus est corpus*; nec : *anima est mortalis : corpus est immortale*. Sectus est in Christo; licet enim dicatur ejus persona a duabus naturis composita, quia in his subsistit; non tamen est aliquid



constitutum ex Verbo, corpore, et anima, sicut in homine constituitur persona ex corpore et anima; sed tantum natura humana per unionem hypostaticam trahitur ad personalitatem Verbi, ut sit personalitas naturæ humanæ, sicut jam erat et manet naturæ suæ divinæ; ergo hic habetur idem rectus prædicati et subjecti, qui requiritur ad communicationem idiomatum; imo hujus est fundamentum proximum.

Ad 2<sup>um</sup>. R. 1<sup>o</sup>. Si sint secundum diversas naturas, hoc ipso non sunt contradictoria.

R. 2<sup>o</sup>. T. A. N. Cons. Disparitas est; quod, ut diximus Caut. 1<sup>a</sup>. negatio simpliciter posita, quia est malignantis naturæ, removet omni ex parte a subjecto formam, vel prædicatum, quod tamen ex aliqua parte ei debetur.

Ad 3<sup>um</sup>. R. D. Ant. Concreta substantiva substantive sumpta, prout aliquando sumi possunt C. concreta substantiva adjective sumpta, et quando ita sumi debent N. Juxta Summulistas omne concretum dupliciter sumi potest: substantive, et adjective. Substantive sumitur, quando forma per concretum significata importatur in recto; adjective sumitur, quando forma per concretum significata importatur in obliquo: sic homo acceptus substantive, ita resolvitur: natura humana habens subsistentiam; adjective acceptus: suppositum habens naturam humanam. Ex quo tamen non sequitur, omnia concreta sic instituta esse, ut arbitrarie modo unum significatum importent in recto, modo utrumque. Ut vero sciatur, an in propositione concretum sumatur adjective, an substantive, attendi debet, in qua acceptione verificetur propositio: maxime in divinis et in composito Theandrico. Sic Deus et homo in his propositionibus: Deus est homo; homo est Deus, debent sumi adjective, ut sensus sit: Suppositum, vel persona habens naturam divinam est suppositum habens naturam humanam: et ratio est, quia ita sumi exigit propositionis veritas; si enim substantive sumas, facerent hunc sensum: Natura divina subsistens est natura humana subsistens, vel vicissim; quæ propositio est hæretica. E contra dum dico, Deus est unus, in hac propositione, Deus, sumi debet substantive, ut sensus sit: natura divina subsistens in personis tribus est una; quia hic ita sumi exigit propositionis veritas.

## ARTICULUS III.

AN DETUR COMMUNICATIO IDIOMATUM IN ABSTRACTO AD MENTEM UBIQUISTARUM?

333. Nota. Ubiquistarum nomine ii de schola Lutheri veniunt, qui in errorem Nestoriano extreme oppositum prolapsi, communicationem idiomatum etiam in abstracto et respectu naturæ doctuerunt; velut Faber Stapulensis, qui erroris pater creditur: tum Lutherus, Brentius, Kemnitius, Schmidelinus, Mathias Illyricus; aliique; volentes, unionem hypostaticam vel consistere formaliter in attributorum divinorum in humanitatem transfusione; vel hanc (ut inter se dissentiebant, nec satis sibi constabant) esse de essentia unionis; vel certe ex hac necessario profluere, ut vere dici possit: Humanitas Christi est omnipotens, omniscia, ubique præsens, etc. a quo postremo Ubiquistarum nomen iis adhæsit; quod tamen, sed frustra imme-

rito, Ubiquistæ Wittenbergenses in colloquio cum Palatinis Sacramentariis, tanquam contumeliosum, a se amoliri conati sunt.

Ex Libro Concordiæ, quem Ubiquistæ anno 1580. protulerunt, hoc dogmatis illorum systema fuit. Dicebant, hoc ipso naturam humanam fuisse hypostaticè unitam Verbo, quod omnis plenitudo divinitatis Verbi ita sit illi communicata, ut Christus etiam secundum humanitatem vere et proprie sit ac dicatur: 1<sup>o</sup>. Persona divina Verbi; 2<sup>o</sup>. Deus; 3<sup>o</sup>. Omnipotens, æternus, infinitus, immensus, ubique præsens, immortalis, etc. Hinc cum de Christo dicimus: Hic homo est persona divina, Deus, omnipotens, immensus, etc., negant sensum esse hunc, in quo Catholici illas propositiones usurpant: hæc persona, quæ subsistit in natura humana, est persona divina, Deus, omnipotens, immensa, etc. Sed contra contendunt, quod Christus etiam secundum humanitatem sit illa omnia; ut dici possit ac debeat: hæc humanitas est persona divina, Deus, omnipotens, immensa, etc.

Porro communicationem illam realiter fieri quidem asserebant, sed modo singulari et arcano; qui, qualis sit, nec determinare sciunt, neque audent; dubio procul, ut eo loquendi modo contra prævisos Catholicorum impetus se utcumque munirent. Inde suis inculcabant, ut Schmidelin. in Repetitionib. Wittenbergicis, modum illum, cum arcanus sit, non esse indagandum, nec rejici debere propter ulla argumenta.

Hinc etiam, teste Gregorio de Valentia e Societate nostra, qui eosdem impugnavit, videbantur sibi satis explicare, quomodo hujusmodi realis communicatio non tollat distinctionem duarum naturarum, et proprietatum utriusque. Physice enim et per se concedunt, humanitatem assumptam manere infirmam, certo loco circumscriptam, et denique retinere omnia sua, quibus a natura divina tum essentiæ ratione, tum proprietatibus suis multum differat; tametsi divina quoque ipsi competant arcano modo, et in illam transfusa sint. Discrimen enim esse observandum, cum divina tribuuntur divinitati et humanitati; nam divinitas est attributa illa existendo utique ipsa; humanitas autem non existendo, sed habendo illa eadem; sic tamen ut arcano modo, vere nihilominus, Christus, etiam secundum humanitatem, vere sit, et affirmari debeat esse illa divina omnia: Persona, Deus, omnipotens, immensus, ubique præsens.

336. Dico. Non datur communicatio idiomatum in abstracto ad mentem Ubiquistarum; sive ita, ut attributa divina intelligantur realiter esse in humanitate secundum se et formaliter.

Prob. I. generaliter. 1<sup>o</sup>. Tolerari non potest dogma illud, quod adstruit modum unionis duarum naturarum in Christo, qui conciliari nequit cum confessione fidei edita in Concilio Chalcedonensi contra Eutychianos, qua jubemur credere Christum Dominum in duabus naturis inconfusibiliter, inconvertibiliter, indivisibiliter, nulla naturarum differentia sublata propter unionem, sed salva magis utriusque naturæ proprietate: atqui cum hac conciliari nequit propositum dogma. Major extra controversiam est; cum illa confessio in celeberrimo Concilio, ac tunc ex quatuor Ecclesiæ præcipuis edita, etiam ab adversariis tanquam verbo Dei summe consentanea recipiatur; adeo ut Schmidelinus ipse in Repetit. Wittenberg. recitata illa Concilii sententia, anathema palam dicat iis, qui contra sentiunt. Igitur



constitutum ex Verbo, corpore, et anima, sicut in homine constituitur persona ex corpore et anima; sed tantum natura humana per unionem hypostaticam trahitur ad personalitatem Verbi, ut sit personalitas naturæ humanæ, sicut jam erat et manet naturæ suæ divinæ; ergo hic habetur idem rectus prædicati et subjecti, qui requiritur ad communicationem idiomatum; imo hujus est fundamentum proximum.

Ad 2<sup>um</sup>. R. 1<sup>o</sup>. Si sint secundum diversas naturas, hoc ipso non sunt contradictoria.

R. 2<sup>o</sup>. T. A. N. Cons. Disparitas est; quod, ut diximus Caut. 1<sup>a</sup>. negatio simpliciter posita, quia est malignantis naturæ, removet omni ex parte a subjecto formam, vel prædicatum, quod tamen ex aliqua parte ei debetur.

Ad 3<sup>um</sup>. R. D. Ant. Concreta substantiva substantive sumpta, prout aliquando sumi possunt C. concreta substantiva adjective sumpta, et quando ita sumi debent N. Juxta Summulistas omne concretum dupliciter sumi potest: substantive, et adjective. Substantive sumitur, quando forma per concretum significata importatur in recto; adjective sumitur, quando forma per concretum significata importatur in obliquo: sic homo acceptus substantive, ita resolvitur: natura humana habens subsistentiam; adjective acceptus: suppositum habens naturam humanam. Ex quo tamen non sequitur, omnia concreta sic instituta esse, ut arbitrarie modo unum significatum importent in recto, modo utrumque. Ut vero sciatur, an in propositione concretum sumatur adjective, an substantive, attendi debet, in qua acceptione verificetur propositio: maxime in divinis et in composito Theandrico. Sic Deus et homo in his propositionibus: Deus est homo; homo est Deus, debent sumi adjective, ut sensus sit: Suppositum, vel persona habens naturam divinam est suppositum habens naturam humanam: et ratio est, quia ita sumi exigit propositionis veritas; si enim substantive sumas, facerent hunc sensum: Natura divina subsistens est natura humana subsistens, vel vicissim; quæ propositio est hæretica. E contra dum dico, Deus est unus, in hac propositione, Deus, sumi debet substantive, ut sensus sit: natura divina subsistens in personis tribus est una; quia hic ita sumi exigit propositionis veritas.

## ARTICULUS III.

AN DETUR COMMUNICATIO IDIOMATUM IN ABSTRACTO AD MENTEM UBIQUISTARUM?

333. Nota. Ubiquistarum nomine ii de schola Lutheri veniunt, qui in errorem Nestoriano extreme oppositum prolapsi, communicationem idiomatum etiam in abstracto et respectu naturæ doctuerunt; velut Faber Stapulensis, qui erroris pater creditur: tum Lutherus, Brentius, Kemnitius, Schmidelinus, Mathias Illyricus; aliique; volentes, unionem hypostaticam vel consistere formaliter in attributorum divinorum in humanitatem transfusione; vel hanc (ut inter se dissentiebant, nec satis sibi constabant) esse de essentia unionis; vel certe ex hac necessario profluere, ut vere dici possit: Humanitas Christi est omnipotens, omniscia, ubique præsens, etc. a quo postremo Ubiquistarum nomen iis adhæsit; quod tamen, sed frustra imme-

rito, Ubiquistæ Wittenbergenses in colloquio cum Palatinis Sacramentariis, tanquam contumeliosum, a se amoliri conati sunt.

Ex Libro Concordiæ, quem Ubiquistæ anno 1580. protulerunt, hoc dogmatis illorum systema fuit. Dicebant, hoc ipso naturam humanam fuisse hypostaticè unitam Verbo, quod omnis plenitudo divinitatis Verbi ita sit illi communicata, ut Christus etiam secundum humanitatem vere et proprie sit ac dicatur: 1<sup>o</sup>. Persona divina Verbi; 2<sup>o</sup>. Deus; 3<sup>o</sup>. Omnipotens, æternus, infinitus, immensus, ubique præsens, immortalis, etc. Hinc cum de Christo dicimus: Hic homo est persona divina, Deus, omnipotens, immensus, etc., negant sensum esse hunc, in quo Catholici illas propositiones usurpant: hæc persona, quæ subsistit in natura humana, est persona divina, Deus, omnipotens, immensa, etc. Sed contra contendunt, quod Christus etiam secundum humanitatem sit illa omnia; ut dici possit ac debeat: hæc humanitas est persona divina, Deus, omnipotens, immensa, etc.

Porro communicationem illam realiter fieri quidem asserebant, sed modo singulari et arcano; qui, qualis sit, nec determinare sciunt, neque audent; dubio procul, ut eo loquendi modo contra prævisos Catholicorum impetus se utcumque munirent. Inde suis inculcabant, ut Schmidelin. in Repetitionib. Wittenbergicis, modum illum, cum arcanus sit, non esse indagandum, nec rejici debere propter ulla argumenta.

Hinc etiam, teste Gregorio de Valentia e Societate nostra, qui eosdem impugnavit, videbantur sibi satis explicare, quomodo hujuscemodi realis communicatio non tollat distinctionem duarum naturarum, et proprietatum utriusque. Physice enim et per se concedunt, humanitatem assumptam manere infirmam, certo loco circumscriptam, et denique retinere omnia sua, quibus a natura divina tum essentiæ ratione, tum proprietatibus suis multum differat; tametsi divina quoque ipsi competant arcano modo, et in illam transfusa sint. Discrimen enim esse observandum, cum divina tribuuntur divinitati et humanitati; nam divinitas est attributa illa existendo utique ipsa; humanitas autem non existendo, sed habendo illa eadem; sic tamen ut arcano modo, vere nihilominus, Christus, etiam secundum humanitatem, vere sit, et affirmari debeat esse illa divina omnia: Persona, Deus, omnipotens, immensus, ubique præsens.

336. Dico. Non datur communicatio idiomatum in abstracto ad mentem Ubiquistarum; sive ita, ut attributa divina intelligantur realiter esse in humanitate secundum se et formaliter.

Prob. I. generaliter. 1<sup>o</sup>. Tolerari non potest dogma illud, quod adstruit modum unionis duarum naturarum in Christo, qui conciliari nequit cum confessione fidei edita in Concilio Chalcedonensi contra Eutychianos, qua jubemur credere Christum Dominum in duabus naturis inconfusibiliter, inconvertibiliter, indivisibiliter, nulla naturarum differentia sublata propter unionem, sed salva magis utriusque naturæ proprietate: atqui cum hac conciliari nequit propositum dogma. Major extra controversiam est; cum illa confessio in celeberrimo Concilio, ac uno ex quatuor Ecclesiæ præcipuis edita, etiam ab adversariis tanquam verbo Dei summe consentanea recipiatur; adeo ut Schmidelinus ipse in Repetit. Wittenberg. recitata illa Concilii sententia, anathema palam dicat iis, qui contra sentiunt. Igitur



*Min. prob.* Nam Concilium definiendo per unionem non fuisse sublatam differentiam naturarum, sed utriusque proprietatem magis salvam permanisse; hoc utique definit: Incarnationis mysterio minime factum esse, ut arcano aliquo modo, quæ divina sunt, affirmari possint de Christo homine secundum humanitatem (hoc enim est, utramque naturam mansisse inconfusam); de humana natura solum affirmari posse, quæ sunt humana; de divina, quæ divina sunt: neque per unionem arcano modo Christi humanitatem esse illa omnia, quæ divina sunt.

337. 2°. Ex Ubiquistarum dogmate necessaria, et firma consequentia, consequuntur absurda prorsus, et hæretica; ergo sustineri non potest. *Prob. Ant.* Sequeretur enim aperte, Christum secundum humanitatem nec passum, aut mortuum esse, nec pati, aut mori potuisse. *Prob.* Quia, licet concedant Ubiquistæ, assumptam humanitatem mansisse infirmam physice et naturaliter, adeoque mortalem et passibilem, absolute tamen omni modo contendunt, humanitatem eandem, unionis beneficio et gratia, arcano et singulari modo, fuisse immortalem et impassibilem; ac quidem, quod eos confiteri oportet, multo excellentius, quam post resurrectionem, Dei beneficio, futuri sint Beati immortales et impassibiles; licet cætera physice et ex natura sua impassibiles et immortales non sint: ponunt enim Christum secundum humanitatem impassibilem et immortalem esse eadem ipsa impassibilitate et immortalitate divina; quod longe majus est, quam esse immortalem et impassibilem, gratuito dono, ab immortalitate divina distincto; quomodo immortales et impassibiles erunt Beati, quaecumque tandem futurum sit donum illud.

Unde tale conficitur argumentum. Licet Beati post resurrectionem, physice et ex natura sua considerati, passibiles et mortales sint; gratuito tamen dono illo fit, ut reipsa immortales et impassibiles sint, et nec pati quidquam in natura sua, neque secundum illam mori possint; ergo minus Christus, etsi juxta naturam humanam physice et naturaliter consideratam, pati morique potuerit; vel pati quidquam in natura sua humana, vel secundum illam mori potuit; cum dono esset longe majori, nempe ipsa immortalitate et impassibilitate divina, immortalis et impassibilis.

338. 3°. Si vere sint hæc propositiones: *humanitas Christi est omniscia, omnipotens, immensa, ubique præsens in se ipsa, etc.*; ergo vel ratione unitatis naturæ humanæ cum attributis divinis per unionem effectæ; vel ipsa omnipotentia divina, omniscientia, omnipræsentia, etc., intrinsece deberet informare naturam humanam; secus enim nullum habebitur fundamentum, attributa divina affirmandi de humanitate, ac omnes propositiones affirmativæ falsæ erunt: et nisi hæc ab illis saltem informetur intrinsece, adversarii incident in denominationem tantum extrinsecam Nestorianam. Atqui neutrum, sine labe Eutychnianismi, dici potest: non prius; quia quocumque arcano modo facta fuerit illa unitas, erit tamen vera unitas; quod aperte Eutychnianum est, sive deinde facta fuerit per conversionem, sive commixtionem, aut simili modo occulto, eundem tamen effectum habente: sed et alterum compositionem naturæ cum natura Eutychnianam infert.

339. *Prob. II. in specie* quoad ubiuitatem, quæ totius erronei systematis radix et scopus fuit: quippe cui confingendo ansam dederat controversia Lutheranos inter et Calvinistas orta, et magna contentione agitata, circa realem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam. Cætera enim inter argumenta ad probandam realem istam præsentiam Lutherani loco non postremo reponerent ubiuitatem corporis Christi. Igitur

1°. Systema ubiuitatis repugnat manifeste *S. Scripturæ. Prob. S.* Scriptura plurimis in locis clare perhibet, Christum sive in statu vitæ suæ mortalis, sive exaltationis et gloriæ, secundum humanitatem, alicubi non fuisse. Sic Joan. 11. 15. Christus ipse ait: *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos ut credatis, quoniam non eram ibi.* Matth. 28. 6. inquit Angelus: *Non est hic; surrexit enim.* Joan. 16. 28. *Relinquo mundum,* dicebat Christus. Luc. 24. 51. *Recessit ab eis, et ferebatur in cælum.* Taceo id genus plura, quæ sparsim in N. T. de hoc occurrunt. Atqui hæc de divinitate Christi intelligi nequeunt, utpote necessario ubique præsentem; ergo de Christo secundum humanitatem ejus debent accipi.

2°. Repugnat multis *fidei articulis*, clare expressis in Scripturis et symbolo Apostolorum. Juxta illud enim credimus, Christum secundum humanitatem vere ex Matris utero prodiisse natum; vere fuisse mortuum, et sepultum; descendisse ad inferos; resurrexisse a mortuis; ascendisse in cælum; inde rursus venturum ad judicium. Sed cum his systema ubiuitatis conciliari nequit. 1. Enim si Christus secundum humanitatem est ubique; ergo, ut primum conceptus, jam extra uterum virginæ Matris erat; et post nativitatem æque adhuc intra, quam extra fuit. 2. Juxta Ubiquistarum placitum, corpus et anima Christi nunquam separata fuerunt: sed neque separari possunt, cum ambo existant ubique; ergo Christus nunquam vere mortuus fuit, sepultus; non descendit ad inferos, sic, ut corpus remaneret in sepulcro. Porro sic nec vere e sepulcro resurrexit, non vere ascendit in cælum, etc. Sed hæc ineptissima sunt, et omnia illa Christi mysteria non nisi apparentiæ fuissent, et ludificationes hominum; quod dicere extremæ impietatis est. Contra probationes hactenus allatas Ubiquistæ apud Græcor. de Valentia

340. *Respondent I.* Christum equidem secundum humanitatem a primo incarnationis instanti omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia vel immensitate, impassibilitate, immortalitate, etc., fuisse præditum; sed ante resurrectionem noluisse illis uti; quin ea repressisse, et velut texisse forma servi; adeoque mori et pati potuisse. At infirmum et miserum est hoc per-fugium. Nam

*Contra est 1°.* Quod ex attributis quædam ejusmodi sint, ut propria eorum ratio quasi in usu et actu secundo posita sit: ut omnipræsentia, omniscientia, etc.; omnipræsentem enim esse, est ubique locorum *actu atlesse*; similiter Deum esse omniscium, est ipsum *actu cognoscere et scire* singula. Quia igitur ejusmodi attributa in usu consistunt; inde necessario fit, ut, a quo momento illa Christus habuit, ab eodem momento ista usurpaverit; aut si non usurpaverit aliquando, certe tunc non habuerit.

2°. Præterea quædam alia sunt Dei attributa, in quibus etsi, nostro concipiendi modo, liceat utcumque distinguere usum ab eorumdem ratione;



tamen cum hac eorum usus adeo est necessario conjunctus, ut, si quis usum separet, tollat utrumque. Et ex his præcipue sunt duo hæc, *impassibilitas* et *immortalitas*. Recte enim dicimus de ratione immortalitatis esse, *non posse mori*; et impassibilitatis, *non posse pati*. Sed si hujusmodi usum ab his attributis separet, ponasque rem aliquam passam et mortuam esse; sequetur necessario, eandem non fuisse immortalem et impassibilem; quia si passa et mortua est, pati et mori potuit; ergo impassibilis et immortalis non fuit. Alioquin si simul illam impassibilem et immortalem fuisse concedas, simul has contradictorias concedes: *Res in natura sua pati et mori tandem potuit*; et: *Res in natura sua neque pati omnino neque mori potuit*; hoc enim est, gratuito Dei beneficio, impassibilem et immortalem esse.

341. *Respondent II.* Licet Christus secundum humanitatem non fuerit ubique *localiter*, fuisse tamen ubique modo *divino* et *arcano*. Item ante nativitatem *localiter* fuit in matris utero, non extra hunc; post nativitatem vero *localiter* extra uterum fuit, non intra; igitur vere natus est. Eadem est ratio de cæteris. Hinc etsi Christus non possit *mutare locum*, quatenus est ubique modo *divino* et *arcano*, i. e. *invisibili*; posse tamen, quatenus nunc *localiter*, h. e. *juxta adversarios visibiliter*, est in hoc loco, nunc in isto.

Verum nihil proorsus eâ juvant Ubiquistas. Nam 1º. non est hic quæstio de accidentibus humanitatis, qualia sunt: esse visibile, invisibile; locale, illoca; sed de ipsa humanitatis Christi *substantia*; an hæc reipsa sit ubique? Si enim reipsa ubique est, non potest moveri de loco in locum; adeoque non vere, quoad rem prodire ex utero, etc. Sicque omnia illa, quæ de motu locali Christi secundum humanitatem ex Scriptura retulimus, manebunt meræ *apparentiæ* et *ludificationes*.

2º. Ipse Deus non est *localiter* et *circumscriptive* in mundo; at propterea nemo audebit dicere: *Deus non est in mundo*; quia in hoc *localiter* non est; igitur, si corpus Christi post resurrectionem vere adhuc fuisset in sepulcro, etsi *illocaliter*; nec angelus potuisset simpliciter dicere: *non est hic*; nec Christus, si, moriente Lazaro, vere fuisset in Bethania, licet *illocaliter*, potuisset dicere, *non eram ibi*.

342. *Obj. I. Ex sacris Scripturis.* Juxta S. Script. attributa divina communicata sunt humanitati Christi; ergo de humanitate Christi etiam affirmari possunt. *Prob. Ant.* Nam 1º. ad Coloss. 2. 9. ait Apostolus de Christo: *In quo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*. 2º. Matth. 11. 27. testatur Christus ipse: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. 3º. Joan. 3. *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus*. 4º. Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas*; ergo omnipotentia. 5º. *Potestas ejus potestas æterna*. Dan. 7; ergo.

*R. D. Ant.* Sunt communicata in sensu Ubiquistarum, sive in abstracto, ita ut intelligatur esse realiter in humanitate secundum se et formaliter *N.* in sensu Catholicorum, hoc est, ita ut de humanitate dici possint in concreto *C.* Et *D. Cons.* Ergo et de hac affirmari possunt in abstracto *N.* in concreto *C.* Sensum utrumque exposuimus n. 335. Unde

*Ad 1ºm.* *R.* Litteralis et genuinus sensus est: plenitudo divinitatis *corporaliter*, i. e. vere realiter (non ficte, aut per meram assistentiam: non apparenter) inhabitat, sed per unionem substantialem cum natura humana,

in persona Verbi. At non inde sequitur: ergo natura humana in abstracto et formaliter est illa omnia prædicata divina.

*Ad 2ºm.* *R.* 1º. Sensus est, omnia sibi tradita esse per *generationem æternam* et *divinam*: sic omnipotentiam, immensitatem, etc., proinde se, qua Deum, in nulla re esse Patre inferiore.

*R.* 2º. Applicando etiam textum Christo secundum humanitatem. Omnia illi tradita sunt, quatenus Christus, etiam ut homo, accepit potestatem maximam in omnia, sive creaturas omnes; sed creatam, sive naturæ creatæ convenientem et subordinatam Deo. Et ita Apostolus 1. Cor. 15. 28. dicit: *Cum autem subjecta illi fuerint omnia; tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subiecit sibi omnia: ut sit Deus omnia in omnibus*. Ubi dicit Apostolus, Filium Deo subjectum, nempe secundum humanitatem; quare et potestas in omnia, quam habet Christus secundum humanitatem, subjecta est Deo.

*Ad 3ºm.* et *4ºm.* *R.* Vel ibi Christus iterum loquitur de se, qua Deus est; et est eadem responsio, quæ ante primo loco data: vel loquitur de se, qua homo est; et rursus est sensus, datam esse humanitati potestatem quidem excellentissimam, creatam tamen, subordinatam Deo, et finitam pro subjecti conditione.

*Ad 5ºm.* *R.* Si contendas, Danielem loqui de potestate Christi secundum humanitatem; plus ille non intendit, quam excellentissimam illam potestatem, creatam tamen et finitam, quæ data est Christo qua homini, nunquam esse ab eo tollendam. Neque enim ex eo textu, quia inquit, *potestas æterna*, exsculpere valent, ipsam potestatem divinam esse in ipsa Christi humanitate realiter intrinsece, ita ut de hac in abstracto et formaliter prædicari debeat; alioquin enim et ipsam simul æternitatem sic communicatam dici oportebit, ut pariter dici debeat: *Humanitas Christi est æterna*; quod implicat; ita enim Christi humanitas ante se ipsam exstitisset: æternum enim est, quod nunquam non est, quodque ideo antecedit omne temporale; est autem humanitas Christi res quædam initium habens in tempore in Maria Virginis utero.

343. *Obj. II. Ex auctoritate SS. Patrum.* Hi constanter tribuunt ipsi humanitati Christi secundum se ea, quæ divina sunt; ergo. *Prob. Ant.* Sic 1º. S. GREGORIUS NYSS. Tract. de Anima (opp. t. 2. p. 111. D.) dicit: *Verbum tradens corpori et animæ suæ divinitatis virtutem*. S. AUG. contra Felicianum c. 11. *Majestate Deitatis glorificatam carnem*. Alii humanitatem Christi, ut S. CYRILL. ALEXANDR., *Deificatam* enuntiant. 2º. S. ATHANAS. Serm. in Annunt. Deiparæ n. 11. *assumpto homini*, ait, *fuisse tributam omnem efficaciam, virtutemque, ut posset sustinere omnem adversariæ potestatis impetum, et operari curationem in populo*. S. CYRILL. Dial. 8. de Incarnat. Unigenit. (opp. t. 3. part. 4. p. 707. A.) inquit: *Videre est ipsum (Verbum) carni suæ divinæ operationis gloriam tribuisse*. Sic et DAMASCEN. inquit, voluntatem humanam Christi per unionem cum divina Verbi factam esse *omnipotentem*.

3º. S. BASILIUS: *Natura*, ait, *assumpta divinitati assumenti eam unita est, ejusdemque gloriæ et honoris particeps et consors facta*. Ac THEODORETUS: *Ut homo accepit gloriam, quam habuit ut Deus*.

*R. N. Ant. Ad prob. R.* generaliter ad hæc aliaque Patrum testimonia,



triplici de causa solere subinde Patres Christi humanitati tribuere, quæ divina sunt. 1º. Quatenus humanitas in divina Verbi persona subsistit, atque adeo unitam sibi habet hypostatice omnem Verbi perfectionem. 2º. Quatenus ipse Filius Dei per humanitatem, tanquam per singulare instrumentum, utpote sibi substantialiter unitum, exercet suam omnipotentiam. 3º. Quatenus est particeps divini honoris, ratione hypostasis, in qua subsistit. Nec ulla est ex his aliisque Patrum sententiis, quas frustra congerunt Ubiquistæ, quæ non aliquo ex tribus hisce modis debeat intelligi.

Primo modo accipi possunt S. GREGOR. NYSSEN., S. AUG., similesque locutiones. Secundo autem S. ATHANASIUS, et S. CYRILLUS. Tertio demum cæteri. Et vero ita se Patres ipsi explicant; et clare dogma catholicum tradunt alias. Sufficiat referre sequentes: *Propter istam unitatem personæ*, ait S. AUG. L. cont. Sermonem Arianor. c. 8., *in utraque natura intelligendam, et Filius hominis dicitur descendisse de cælis; quamvis sit ex ea quæ in terra fuerat Virgine assumptus*. S. ATHANAS. de Trinit. Dial. 3. n. 27. *Deus unitus homini edit miracula et operatur, non seorsim aut separatim a natura assumpta; sed per eam placuit illi suam potentiam exercere*. S. DAMASCEN. de Fide L. 3. c. 13. (opp. t. 1. p. 235. A. edit. Venet. 1748.): *Una est ipsius (Christi) persona, vel hypostasis; duas tamen naturas obtinet, Divinitatis et humanitatis. Cum ex Divinitate gloria procedat, utrique communis est, propter hypostasis identitatem*. S. CYRILLI mentem supra require, ubi de ejusdem orthodoxia egimus.

344. Obj. III. in specie de Ubiquitate. S. Scriptura Christum secundum humanitatem ubique præsentem docet; ergo. Prob. Ant. Nam 1º. Christum ait sedere ad dextram Dei, Ps. 109., ad Ephes. 1. 20., Marc. 16. 19. Atqui dextra Dei est ubique; ergo. 2º. Ad Ephes. 4. 10. *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cælos, ut implet omnia*: atqui omnia implere, est ubique esse. 3º. Christi in cælum ascensus fuit tantum metaphorice; nam Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo*; ergo sicut metaphorice tantum descendit, sic quoque ascendit.

R. N. Ant. Ad prob. 1º. R. 1º. Etiam Sap. 3. animæ justorum dicuntur esse in manu Dei; ergo, si argumentum quid valeret, etiam animæ justorum ubique essent.

R. 2º. Recte exponi id potest de Christo secundum divinitatem, quatenus secundum hanc habet eandem gloriam essentialem, beatitudinem, potestatem, quam Pater: et dicitur sedere ad dextram, ut significetur distinctio personalis, et Pater ut principium originis, cui accedit æqualis per omnia Filius. Ita non pauci Patres, et Christus ipse, Matth. 22. 44., illud Ps. 109. ad probandam suam divinitatem adduxit. Si vero contendas, saltem in quibusdam textibus ita dici de Christo secundum humanitatem

R. 3º. cum S. AUG. de Fide Symb. c. 7. Christum, qua hominem, sedere ad dextram Patris, quatenus Christi humanitas excellentissimo modo participatam accepit gloriam, et potestatem maximam supra creaturas.

Ad prob. 2º. R. D. Ut implet omnia, id est, Prophetarum de se vaticinia; vel etiam implet mundum effectibus potentie suæ, gloriæ, et maje-

statis C. immensitate humanitatis suæ N. Priorem tantum impletionis modum consententur Patres.

Ad prob. 3º. N. Ass. Ad prob. N. Cons. Descensus Christi secundum divinitatem, sive potius Verbi fuit, sua natura immensi; quod proinde proprie de loco in locum moveri non potuit: sed ascensus carnis corporeæ fuit, ex se certis limitibus circumscriptæ; proinde vero motu locali in cælum transferri debuit. Et vero ascendit, sicut descendet ad iudicium, Act. 1. 2. *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*: sed non descendet metaphorice; ergo nec ita ascendit.

345. Obj. IV. Concilium Chalcedonense Act. V. definit, Christum Dominum confitendum esse in duabus naturis inconfuse, inseparabiliter, indivisibiliter; et juxta S. DAMASCEN. L. 3. de Fide c. 3. *indistanter (ἀδιάστατος)*; ergo humanitas est, ubicumque est Verbum.

R. 1º. Explico Ant. Christum esse in duabus naturis inseparabiliter, indivisibiliter, ratione unionis duarum naturarum substantialis in eadem persona Verbi C. In sensu Ubiquistarum N. Ita definiit Concilium contra Eutychianos, ex duabus naturis factam unam asserentes, quia secus, si nature post unionem mansissent integræ, inter se distinctæ, dividi possent et separari: ut sequebatur ex dogmate Nestorii, moralem unionem admittentis, ex qua sequebatur separatio non tantum naturarum, sed et personarum, cui idcirco Eutyches suam opposuerat hæresin. At contra definit Synodus, non hoc sequi; sed, licet nature inconfusæ sint, unum confitendum esse Christum in duabus naturis inseparabiliter, indivisibiliter; *nulla naturarum differentia sublata per unionem, salva magis utriusque nature proprietate*. Subsumo: Atqui nature humanæ proprietatis est, esse circumscriptam; ergo.

R. 2º. N. Cons. Sicut enim caput hominis est animæ unitum indivise, inseparabiliter; quia est animæ unitum in eodem supposito, quin tamen sit, ubicumque est anima: sic et natura humana licet sit inseparabiliter unita Verbo; non ideo ubicumque est Verbum, etiam est humanitas.

Nec plus vult S. DAMASCENUS; ita enim semetipsum explicat loc. cit., dum sic declarat: *impossibile esse.... eandem naturam esse.... circumscriptam, et incircumscriptam*. Tunc paulo post: *quod circumscriptum est, circumscriptum mansit*. Ac signanter L. 3. cit. c. 7. diserte Christum asserit *secundum divinitatem incircumscriptum: adeo ut caro ipsius non coactensa sit incircumscriptæ divinitati ejusdem*.

346. Inst. 1. Vi unionis hypostatice per communicationem idiomatum de natura humana prædicantur, quæ sunt propria nature divinæ, et vicissim: atqui proprium est nature divinæ esse ubique; ergo.

R. D. Maj. Prædicantur in concreto, specificative, sensu orthodoxo C. in abstracto, reduplicative, et formaliter immediate, ut volunt Ubiquistæ N. Etiam in sensu catholico vera est hæc propositio, si dicas demonstrando Christum: *Hic homo est ubique, immensus*; sed cum addito: non secundum naturam humanam, sed divinam; vel secundum suppositum Deo homini commune; ut supra diximus.



347. *Inst. 2.* Humanitati Christi communicata est subsistentia Verbi; ergo eidem communicata sunt et alia dona divina.

R. *D. Ant.* Communicata est subsistentia ita, ut subsistat in Verbo *C.* ita, ut subsistat eo modo, quo Verbum, sive communicetur divina subsistentia formaliter *N. Ant.* Etiam alia dona communicata sunt realiter, quatenus natura divina in Filio unitur humanitati: non hoc sensu, quod humanitas in se ipsa sit formaliter immensa, etc. Cæterum communicari subsistentiam divinam humanitati, nihil est aliud, quam Verbum uniri humanitati, ratione personalitatis, sive per modum termini intrinseci complementis humanitatem in ratione personæ; non autem per modum formæ. Unde non dat denominationem aliam, quam quæ propria est termini, seu complementi ultimi: id est, eam facere subsistentem; cujus denominationis et per se capax est natura, et illam, ob suam vim terminandi infinitam, capax est Verbum tribuere.

348. *Inst. 3.* Verbum unitum humanitati est indivisibile; ergo unitur totum; ergo et secundum omnes proprietates suas: sed inter has est immensitas; ergo.

R. *D. seq.* Ergo unitur totum, et etiam sub omni ratione, quam continet *N.* secundum solam rationem subsistentiæ *C.* Et *D. seq. 2<sup>am</sup>.* Ergo et secundum omnes proprietates immediate *N.* mediate *C.* Verbum unitur immediate humanitati, ratione solius hypostasis et proprietatis relativæ: ut ante, et sæpius dictum alibi; non secundum proprietates alias. Sic et humanitas unitur quidem subsistentiæ immensæ; sed non secundum immensitatem, vel aliud attributum absolutum; sed secundum subsistentiam. Recole dicta de unione.

349. *Inst. 4.* Quando duo inter se nexu intimo uniuntur, nequit esse unum sine altero; sed ubi est unum, necessario est et alterum: sed Verbum et natura humana uniuntur tali nexu intimo; ergo.

R. *D. Maj.* Quando inter se uniuntur adæquate, ita ut unum non excedat alterum, nec diffundatur latius altero *C.* secus *N.* Probant Ubiquistæ hoc argumento caput, oculos, etc. esse in pedibus; uniuntur enim intime cum anima; hæc vero est diffusa per totum corpus, ejusque membra omnia occupat. Hinc unio physica requirit quidem præsentiam intimam; non tamen adæquationem præsentis. Ac proinde ad veritatem unionis Verbi cum natura humana sufficit, humanitatem esse *alicubi*, ubi est Verbum; non *ubicumque* est Verbum.

350. *Inst. 5.* Si humanitas Christi non est ubique; ergo Verbum alicubi non esset homo; ergo.

R. *N. seq.* Si enim humanitas alicubi Verbo unita est, jam sufficit, ut Verbum ubique dicatur homo; cum enim Verbum sit indivisibile, et totum sit ubique in quolibet loco; hinc ubicumque est, semper sustentat humanitatem suam, licet alibi existentem. Sic et anima existit in capite sine pedibus; et tamen anima in capite existens est anima pedum. Unde multum differunt hæc propositiones: *Verbum alicubi existens non est homo; et Verbum alicubi existit sine humanitate.* Prior est falsa: posterior vera est. Hæc

vero: *Verbum ubique est homo*, vera est, si *ubique* se teneat ex parte subjecti, ita ut sensus sit: *Verbum ubique præsens est homo*: falsa autem est, si teneat se ex parte prædicati, ut sensus sit: *Verbum habet humanitatem ubique præsentem.*

351. *Inst. 6.* Humanitas Christi per subsistentiam Verbi est, et denominatur *subsistens*; et per sanctitatem Verbi *sancta*; ergo æque per immensitatem Verbi est, et denominari debet immensa, ubique præsens.

R. *N. Cons.* *Disparitas est rerum et denominationum diversitas*; nam subinde res una unita alteri unius capax denominationis est, quin sit alterius. Exemplum habes in corpore animæ unito, quod per hanc unionem fit, et quidem recte denominatur *animatum*; non tamen spirituale, immortale. Ita hic accidit: humanitas fit et denominatur *subsistens* et *sancta*, quia harum denominationum est capax; nam 1. est capax denominationis *subsistentis*, ut dictum n. 347.; 2. etiam *sanctæ*, quia esse *sanctam*, nihil aliud est, quam esse Deo *amabilem*, *gratam*: si vero possit Deus hanc denominationem tribuere justis per gratiam, cur non ipsa sanctitas Verbi humanitati suæ?

At non est capax denominationis *immensæ*; quia effectus immensitatis creato enti repugnat; nam exigeret infinitatem in creatura, cum ipsa quantitas infinite deberet extendi. Sicut ergo humanitas Christi non est capax denominationum *æternæ*, *increate*, etc., ita nec *immensæ*.

352. *Obj. V.* Sicut anima et corpus uniuntur in homine; sic natura divina et humana in Christo, juxta symbolum Athanasianum: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus*: sed anima ita energias suas omnes communicat corpori, ut nihil faciat, nisi in corpore, et per corpus; ergo et natura divina sic energias suas communicat naturæ assumptæ.

R. 1<sup>o</sup>. *D. M.* Sicut anima et corpus uniuntur in homine; sic natura divina et humana in Christo, quoad aliqua *C.* quoad omnia *N.* Similitudo illa nec est adæquata: nec ulla ex parte favens Adversariis, sed contra eos directe pugnans. Similitudo est in his: 1<sup>o</sup>. quod, sicut anima et corpus uniuntur vere realiter; sic et natura divina et humana in persona Verbi: 2<sup>o</sup>. sicut ex anima et corpore fit una substantia, vel natura; ita ex duabus naturis in Christo existit una persona: 3<sup>o</sup>. sicut, non obstante ea unione corporis et animæ, manet salva utriusque differentia et distinctio; ita et in Christo non obstat naturarum unio, quin differentes maneant et distinctæ. Sed hæc adversariis nihil suffragantur. Similitudo vero quoad alia directe adversatur Ubiquistis; nam 4<sup>o</sup>. sicut illa corporis et animæ unio non facit, ut *arcano*, *ineffabili modo* corpus sit anima, et *vicissim*; sic nec unio hypostatica, ut *humanitas* Christi sit ineffabili modo Deus immensus, ubique præsens, etc. 5<sup>o</sup>. Uti per illam unionem corpus non redditur æqualis perfectionis cum anima; nec etiam secundum se suscipit prædicationes animæ proprias (nec enim secundum se *intelligit*, *vult*, *est substantia spiritualis*, etc.); ita nec humanitas, vel Christus *secundum humanitatem* fit per unionem æqualis perfectionis, *majestatis*, *immensitatis*, etc., cum divina natura; neque



etiam recipit secundum se prædicationes proprias divinæ naturæ, ut secundum humanitatem sit immensus, omnipotens, æternus, increatus, etc.

Cæterum non diffitemur, similitudinem sumptam ab unionem corporis et animæ haud esse adæquatam; nam 1. in ipso unionis modo adhuc plurimum differunt: 2. ex corpore et anima unitis fit una natura completa hominis; non sic in Christo ex natura divina et humana; sed hæc duæ naturæ integræ uniuntur in unitatem suppositi: sed etiam hæc dissimilitudo nihil Ubiquistis prodest.

R. 2<sup>o</sup>. *N. min.* quam imperite probare nititur Schmidelinus ex illo 1. Reg. 3. *Dedi tibi cor sapiens et intelligens*; tum ex illo Philosophi: *neesse esse, intelligentem phantasmata speculari*. Nam in aprico est, omnium sanæ mentis hominum consensu, corpus non intelligere, adeoque textum non posse sumi, nisi improprie. Neque etiam anima, cum intelligit, aut vult, sic dependet a ministerio phantasiæ, ut intellectio, et volitio sint actus phantasiæ et corporis. Sed alius est ille modus dependentiæ, quam philosophi omnes *objectivum* vocant; eo quod intellectio fiat dependenter a phantasmate, ob subordinationem potentiæ hominis, juxta vulgatum theorema: *Nihil in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*. Quod, etsi ideas rerum homini congenitas dixeris, suo tamen modo verum est. Unde hominis fanatici simul elucet stultitia, quod duobus illis textibus subjicere ausus: *Quod nobis interpretentur Jesuitæ; adeoque omnes Philosophi*.

## ARTICULUS IV.

RESOLVUNTUR QUÆDAM EROTEMATA AD EXTRINSECAS COMPOSITI THEANDRICI CAUSAS PERTINENTIA.

Ad causas extrinsecas compositi Theandrici spectant 1<sup>o</sup>. causa efficiens, 2<sup>o</sup>. meritoria, 3<sup>o</sup>. finalis, vel motiva. Unde

353. QUÆRES I. Quæ sit causa efficiens physica incarnationis, sive compositi Theandrici?

R. Est Deus et tota SS. Trinitas. *Constat fide*, et declaratur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III., quod refertur c. *Firmiter* de SS. Trinitate: *Unigenitus Dei Filius a tota Trinitate communiter est incarnatus ex Maria Virgine, operatione Spiritus sancti conceptus, Deus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus*.

Ratio est, quam reddit S. Aug. in Enchir. c. 38. et cum eo Patres ac Theologi; quia opera Dei ad extra sunt indivisa et communia toti Trinitati, cum procedant a principio operativo, sive omnipotentia communi personis tribus; ergo et hæc particularis operatio, sive actio incarnativa, ad tres personas divinas indivisim pertinet.

Neque dicas: Solus Filius assumpsit naturam humanam; ergo incarnatio non est effective a tota Trinitate indivisim, sed a solo Filio; quia assumptio naturæ humanæ non est facta, quin persona Verbi specialiter in eam illaberetur, et influeret: sed hic illapsus et influxus est actio; ergo.

Nam R. Assumptionem humanitatis esse quidem specialem aliquem in

eam illapsam; quia a Verbo per assumptionem perficitur, et completur substantialiter. Item, potest dici influxus aliquo modo, sed non proprie actio, quatenus hæc vox influxum causæ efficientis significat; nam Verbum intrinsece terminat solummodo humanitatem, completque in ratione subsistentis, idque quasi in genere causæ formalis. Hinc *in forma: D. Ant.* Solus Filius assumpsit effective *N. terminative C. Ant.* et *N. Cons.*; et *prob. Maj.* etiam *D.* Quin specialiter influeret influxu terminativo, et quasi formali *C.* efectivo *N.* Influxus effectivus, per quem humanitas unitur Verbo, est communis personis tribus; quasi formalis, per quem humanitas præcise terminatur, proprius soli Verbo est. Unde et humanitas speciali modo pendet a Verbo, non ut a principio efficiente: hoc enim ex dictis est tota Trinitas; sed tanquam a puro termino intrinseco, per quem ipsa perficitur, et completur.

Nec ex eo, quod tota SS. Trinitas sit causa efficiens physica incarnationis, sequitur Christum esse *Filium totius Trinitatis*; quia Christus non efficitur a Trinitate *naturaliter* et *necessario*; sed *libere*: nec de substantia illius procedit in similitudinem. Patris vero æterni Filius est; quia ab illo secundum divinitatem est genitus, ejusque humanitas subsistit in personalitate a Patre procedente.

354. QUÆRES II. An humanitas Christi merita sit, vel mereri potuerit unionem cum Verbo?

R. Humanitas Christi de facto assumptionem suam nec meruit per merita tempore antecedentia; nec per actiones natura priores; nec, etsi a Deo instanti aliquo reali, ante unionem sui cum Verbo, producta fuisset, mereri illam de condigno, vel congruo potuisset.

Ratio 1<sup>o</sup>. *partis* est, quia ut sic mereretur, debuisset ipsa tempore præextitisse incarnationi; sed hoc falsum, et damnatum est ab Ecclesia primo contra ORIGENEM, qui assererat, animam Christi ante Christum extitisse, ut suo loco diximus; secundo contra Nestorium, qui voluerat, hunc hominem, Jesum Christum, perfecte præformatum fuisse antequam assumeretur.

Ratio 2<sup>o</sup>. *partis* est: 1<sup>o</sup>. Quia hoc mysterium Scriptura ubique tribuit puræ ac prorsus gratuitæ liberalitati Dei. Unde et S. Aug. de prædest. SS. c. 13. ac de Dono persev. c. ult. n. 67. gratiam unionis comparat cum prima gratia actuali; sed hanc pure gratis, et sine ullo nostro præcedente merito nobis donari, fide divina certum est. Et Tr. 82. in Joan. n. 4. *Neque enim, inquit, illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt; sed ab illa susceptione merita ejus cuncta cæperunt*. 2<sup>o</sup>. Humanitas Christi prius natura subsistit, et completur in ordine ad se, et ad suum esse substantiale, quam quidquam operetur; ergo actiones humanitatis supposuissent pro illo priori subsistentiam; non humanam, hæc enim nunquam adfuit; ergo divinam.

Ratio 3<sup>o</sup>. *partis* est, quia 1<sup>o</sup>. non potuit mereri de condigno; meritum enim solius humanitatis, quantumvis habentis plenitudinem gratiæ, est meritum puræ creaturæ: sed hæc unionem illam condigne mereri nequit; opera enim creaturæ puræ nec habent, nec habere possunt proportionem condignitatis ad substantiam incarnationis, quæ est in ordine divino, adeo-



etiam recipit secundum se prædicationes proprias divinæ naturæ, ut secundum humanitatem sit immensus, omnipotens, æternus, increatus, etc.

Cæterum non diffitemur, similitudinem sumptam ab unionem corporis et animæ haud esse adæquatam; nam 1. in ipso unionis modo adhuc plurimum differunt: 2. ex corpore et anima unitis fit una natura completa hominis; non sic in Christo ex natura divina et humana; sed hæc duæ naturæ integræ uniuntur in unitatem suppositi: sed etiam hæc dissimilitudo nihil Ubiquistis prodest.

R. 2<sup>o</sup>. *N. min.* quam imperite probare nititur Schmidelinus ex illo 1. Reg. 3. *Dedi tibi cor sapiens et intelligens*; tum ex illo Philosophi: *neesse esse, intelligentem phantasmata speculari*. Nam in aprico est, omnium sanæ mentis hominum consensu, corpus non intelligere, adeoque textum non posse sumi, nisi improprie. Neque etiam anima, cum intelligit, aut vult, sic dependet a ministerio phantasiæ, ut intellectio, et volitio sint actus phantasiæ et corporis. Sed alius est ille modus dependentiæ, quam philosophi omnes *objectivum* vocant; eo quod intellectio fiat dependenter a phantasmate, ob subordinationem potentiæ hominis, juxta vulgatum theorema: *Nihil in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*. Quod, etsi ideas rerum homini congenitas dixeris, suo tamen modo verum est. Unde hominis fanatici simul elucet stultitia, quod duobus illis textibus subjicere ausus: *Quod nobis interpretentur Jesuitæ; adeoque omnes Philosophi*.

## ARTICULUS IV.

RESOLVUNTUR QUÆDAM EROTEMATA AD EXTRINSECAS COMPOSITI THEANDRICI CAUSAS PERTINENTIA.

Ad causas extrinsecas compositi Theandrici spectant 1<sup>o</sup>. causa efficiens, 2<sup>o</sup>. meritoria, 3<sup>o</sup>. finalis, vel motiva. Unde

353. QUÆRES I. Quæ sit causa efficiens physica incarnationis, sive compositi Theandrici?

R. Est Deus et tota SS. Trinitas. *Constat fide*, et declaratur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III., quod refertur c. *Firmiter* de SS. Trinitate: *Unigenitus Dei Filius a tota Trinitate communiter est incarnatus ex Maria Virgine, operatione Spiritus sancti conceptus, Deus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus*.

Ratio est, quam reddit S. Aug. in Enchir. c. 38. et cum eo Patres ac Theologi; quia opera Dei ad extra sunt indivisa et communia toti Trinitati, cum procedant a principio operativo, sive omnipotentia communi personis tribus; ergo et hæc particularis operatio, sive actio incarnativa, ad tres personas divinas indivisim pertinet.

Neque dicas: Solus Filius assumpsit naturam humanam; ergo incarnatio non est effective a tota Trinitate indivisim, sed a solo Filio; quia assumptio naturæ humanæ non est facta, quin persona Verbi specialiter in eam illaberetur, et influeret: sed hic illapsus et influxus est actio; ergo.

Nam R. Assumptionem humanitatis esse quidem specialem aliquem in

eam illapsam; quia a Verbo per assumptionem perficitur, et completur substantialiter. Item, potest dici influxus aliquo modo, sed non proprie actio, quatenus hæc vox influxum causæ efficientis significat; nam Verbum intrinsece terminat solummodo humanitatem, completque in ratione subsistentis, idque quasi in genere causæ formalis. Hinc *in forma: D. Ant.* Solus Filius assumpsit effective *N. terminative C. Ant.* et *N. Cons.*; et *prob. Maj.* etiam *D.* Quin specialiter influeret influxu terminativo, et quasi formali *C.* efectivo *N.* Influxus effectivus, per quem humanitas unitur Verbo, est communis personis tribus; quasi formalis, per quem humanitas præcise terminatur, proprius soli Verbo est. Unde et humanitas speciali modo pendet a Verbo, non ut a principio efficiente: hoc enim ex dictis est tota Trinitas; sed tanquam a puro termino intrinseco, per quem ipsa perficitur, et completur.

Nec ex eo, quod tota SS. Trinitas sit causa efficiens physica incarnationis, sequitur Christum esse *Filium totius Trinitatis*; quia Christus non efficitur a Trinitate *naturaliter* et *necessario*; sed *libere*: nec de substantia illius procedit in similitudinem. Patris vero æterni Filius est; quia ab illo secundum divinitatem est genitus, ejusque humanitas subsistit in personalitate a Patre procedente.

354. QUÆRES II. An humanitas Christi merita sit, vel mereri potuerit unionem cum Verbo?

R. Humanitas Christi de facto assumptionem suam nec meruit per merita tempore antecedentia; nec per actiones natura priores; nec, etsi a Deo instanti aliquo reali, ante unionem sui cum Verbo, producta fuisset, mereri illam de condigno, vel congruo potuisset.

Ratio 1<sup>o</sup>. *partis* est, quia ut sic mereretur, debuisset ipsa tempore præextitisse incarnationi; sed hoc falsum, et damnatum est ab Ecclesia primo contra ORIGENEM, qui assererat, animam Christi ante Christum extitisse, ut suo loco diximus; secundo contra Nestorium, qui voluerat, hunc hominem, Jesum Christum, perfecte præformatum fuisse antequam assumeretur.

Ratio 2<sup>o</sup>. *partis* est: 1<sup>o</sup>. Quia hoc mysterium Scriptura ubique tribuit puræ ac prorsus gratuitæ liberalitati Dei. Unde et S. Aug. de prædest. SS. c. 13. ac de Dono persev. c. ult. n. 67. gratiam unionis comparat cum prima gratia actuali; sed hanc pure gratis, et sine ullo nostro præcedente merito nobis donari, fide divina certum est. Et Tr. 82. in Joan. n. 4. *Neque enim, inquit, illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt; sed ab illa susceptione merita ejus cuncta cæperunt*. 2<sup>o</sup>. Humanitas Christi prius natura subsistit, et completur in ordine ad se, et ad suum esse substantiale, quam quidquam operetur; ergo actiones humanitatis supposuissent pro illo priori subsistentiam; non humanam, hæc enim nunquam adfuit; ergo divinam.

Ratio 3<sup>o</sup>. *partis* est, quia 1<sup>o</sup>. non potuit mereri de condigno; meritum enim solius humanitatis, quantumvis habentis plenitudinem gratiæ, est meritum puræ creaturæ: sed hæc unionem illam condigne mereri nequit; opera enim creaturæ puræ nec habent, nec habere possunt proportionem condignitatis ad substantiam incarnationis, quæ est in ordine divino, adeo-



que infinite superiore, quam sint opera illa; ergo. 2<sup>o</sup>. Nec potuit mereri de congruo; quia meritum congruum aliquam saltem cum præmio habere proportionem debet: sed meritum creaturæ puræ nullam habet proportionem cum unione hypostatica. *Prob. min.* Actus boni naturales non habent ex se congruitatem meriti ad gratiam; ergo nec actus gratiæ supernaturales habent ex se congruitatem ad unionem hypostaticam, sive incarnationem. *Prob. Cons.* Quia ordo unionis hypostaticæ non minus est superior et improportionatus ordini gratiæ; imo infinite magis excedit actus gratiæ creatæ, quam hi, actus bonos naturæ; ut in terminis docet Doctor Angelicus 3. p. q. 7. a. 13. ad 3. *Gratia unionis*, inquit, *non est in genere gratiæ habitualis, sed est supra omne genus; sicut et ipsa divina persona.* Ergo.

355. *Neque dicas:* Gratiam et unionem hypostaticam non videri esse diversi ordinis, 1<sup>o</sup>. quia utraque est ens supernaturale: 2<sup>o</sup>. quia utraque facit concives ejusdem supernæ civitatis, in qua Christus caput est; cæteri vero membra; caput autem et membra reducuntur ad idem corpus: 3<sup>o</sup>. quia utraque ordinat ad eundem finem, visionis beatificæ. Nam

R. N. *Ant.* Ad unitatem enim ordinis non sufficit esse in eodem genere entis supernaturalis; alioquin etiam dicam sufficere, esse in eodem genere entis creati. Nec 2<sup>o</sup>. sufficit, concives facere ejusdem civitatis; quia alioquin duo reges diversorum regnorum minus essent ejusdem ordinis, quam rex et civis regni ejusdem. Nec 3<sup>o</sup>. satis est, ordinari ad eundem finem; nam etiam natura et gratia ordinantur ad idem corpus universi, et ad eundem finem gloriæ Dei. Item, sicut datur habitudo obedientialis gratiæ ad unionem hypostaticam; sic similis datur naturæ ad gratiam.

Igitur diversitas ordinis non tantum sumenda est ex eo, quod unum maxime distet ab altero physice in genere entis, et perfectione entitativa; sed etiam, quod maxime distet moraliter in genere æstimabilitatis, secundum quam attenditur proportio præmii ad meritum; quis vero non judicet unionem hypostaticam esse præ gratia æstimabilitatis infinite majoris?

356. *QUÆRES III.* An Christus ipse meritus fuerit unionem hypostaticam?

R. *Negative* cum S. AUG. L. de Prædest. SS. c. 15. cit. *Ac ratio est*, quia 1<sup>o</sup>. non meruit per actiones tempore, vel natura priores; cum enim Christus unione hac constituatur; implicat eum complete sumptum, et consequenter ejus meritum, esse tempore, vel natura prius unione: 2<sup>o</sup>. neque per merita unionem subsequentia; quia, ut ait S. THOMAS, et cum eo Theologi omnes, *principium omnis meriti non cadit sub merito*; cum alias idem esset meritum et præmium, causa et effectus; adeoque idem se ipso prius et posterius: atqui unio hypostatica in Christo est principium et radix omnis meriti; ergo. Unde nec Christus eam mereri potuit, ut communior est Theologorum assertio contra causalitatis mutua; patronos; id quod iis, quibus volupe est, id genus questionibus tricari, pluribus ventilandum libenter relinquimus.

357. *QUÆRES IV.* An Patriarchæ, alique veteris Testamenti Patres: ac ipsa beatissima Virgo meruerint incarnationem?

R. 1<sup>o</sup>. Nec Patres veteris Testamenti, nec beatissima Virgo, meruerunt sive de condigno sive de congruo incarnationem quoad substantiam. *Ratio*

est, quia si ipsa Christi humanitas, quantalibet gratia ditata, non potuit, antequam uniretur, mereri unionem hypostaticam: eo quod gratia accidentalitatis, ejusque effectus sint in inferiori longe ordine respectu unionis; multo minus mereri eam potuerunt beatissima Virgo, aut Patriarchæ antiqui, et Patres veteris Testamenti. Præterea quodcumque meritum puræ creaturæ, ex quacumque gratia supernaturali elicatum, nullo modo est proportionatum cum unione hypostatica, quæ est valoris ac pretii infiniti; omne autem meritum humanum finitum est.

Dixi: *quoad substantiam.* Nam incarnationis circumstantias; præcipue has tres, stirpis, loci, et temporis, eos meruisse, nihil impedit dicere; et colligitur ex Scriptura: Abraham enim promptitudine obedientiæ suæ Gen. 22. hanc gratiam meruit, ut ex semine suo Messias nasceretur: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; quia obedisti voci meæ.* Sic et Davidi pro bona voluntate ædificandi templum hæc promissio facta, 2. Reg. 7. Daniel quoque desideriis suis contrahi tempus Messiæ meruit. Meritum tamen illud dumtaxat de congruo fuit, quia nullum, Deum inter et homines, intercesserat pactum.

R. 2<sup>o</sup>. Beatissima Virgo maternitatem ipsam nec meruit de condigno, nec de congruo rigoroso. *Ratio 1<sup>o</sup>. partis est*, quia ad meritum de condigno requiritur: 1<sup>o</sup>. in opere, condignitas cum præmio; 2<sup>o</sup>. ex parte remunerantis, promissio: sed opera beatissimæ Virginis, ex se et natura sua; divinæ maternitatis condigna non erant; quoad substantiam enim non differebant conditione, ab aliorum justorum operibus, etsi quoad gradum perfectiora essent; neque etiam promissa fuit, ante illa opera, B. Virgini maternitas, cum, illam annuntiantem angelo, turbaretur, quod, ut sentiunt Patres plurimi apud PETAUUM, timeret, ne divina maternitas concepto castitatis voto obsesset. Et vero maxima est dignitas maternitatis divinæ, ut prope accedat ad ordinem unionis hypostaticæ, et ex progenito bono infinito aliquam contrahat infinitatem, ut docet Doctor Angelicus 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. Atque hinc Deiparæ excellentior cultus, quam alteri Sancto, debetur, ut observat S. Doctor idem 2. 2. q. 103. a. 4. ad 2. Unde etiam colligitur *Ratio partis 2<sup>æ</sup>.*

*Conf. utraque pars*, ex eo quod alias ita mereri potuisset incarnationis substantiam, cum maternitas ejus essentialiter connexa sit cum ipsa incarnatione, quam nec de condigno, nec de congruo mereri potuit.

Dixi: *de congruo rigoroso:* nam aliquo saltem modo de congruo merita fuit, ut ipsa præ aliis eligeretur in Matrem Dei; ut colligitur ex Scriptura: *Beata es, quæ credidisti; quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino.* Ac ibidem de se ait ipsa B. Virgo: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Idem Patres communiter edocent. S. HIERON. epist. 22. ad Eustochium n. 38. *Proponere tibi beatam Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur.* Et S. AMBROS. epist. 62. ad Theodosium n. 33. *Quid loquar quanta sit Virginitatis gratia, quæ meruit a Christo eligi, ut esset etiam corporale Dei templum? Et ratio est;* quia per actus excellentissimarum virtutum ita se disposuit, ut præ omnibus aliis feminis mereretur assumi in dignitatem Matris. Ergo de merito congruo saltem dispositivo eam dignitatem est merita.



358. QUÆRES V. Quænam fuerit incarnationis causa finalis, seu motiva principalis?

R. Fuit remedium peccati originalis et actualis; licet principaliter originalis. Ratio 1<sup>o</sup>. partis est, quia S. Scriptura, de factæ incarnationis vero fine et motivo loquens, simpliciter, et sine addito affirmat, Christum venisse propter peccatum. 1. ad Tim. 1. v. 15. ait Apostolus: *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem... propter remissionem præcedentium delictorum.* Adde textus num. seq.

Ratio 2<sup>o</sup>. partis est; quod pro motivo Scriptura S. assignet utrumque. Ad Tit. 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate.* 1. Joan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Item 1. Joan. 3. v. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli: sed ad opera diaboli etiam peccatum actuale pertinet.*

Ratio 3<sup>o</sup>. partis est, quod originale peccatum totius naturæ malum sit, illam inficiens et corrumpens; estque velut radix et fons actualium. Unde et Apostolus ait ad Rom. 5. *Non sicut delictum, ita et donum.* Et 1. Cor. 11. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur: ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Ubi Christum, ut Redemptorem totius naturæ humanæ, opponit Adamo, ut totius naturæ corruptori; conferens obedientiam et meritum Christi peccato Adami, simulque significans, hæc potissimum inter se opponi, et alterum per alterum principaliter tolli. Unde venisset Christus, si solum originale fuisset; quia principaliter incarnatum est Verbum, ne totum periret genus humanum; sed, posito solo originali peccato, adhuc periret humanum genus.

359. QUÆRES VI. An remedium peccati fuerit incarnandi Verbi motivum adæquatum, et unicum, sive, *sine quo non*; ita ut Christus in præsentis ordine, et vi præsentis decreti non venisset, si Adam non peccasset?

Negant SCOTUS cum schola sua, aliique, quos inter eximius SUAREZ: volentes, Deum ante res omnes decrevisse incarnationem Filii sui, propter excellentiam mysterii, et gloriam Christi; ita ut hic esset finis omnium, quæ erat conditurus in mundo; ac consequenter, etiam non peccante Adamo, venturum fuisse Christum, non quidem in carne passibili, sed impassibili; modo quidem venisse in carne passibili, quod Deus, præviso Adami lapsu, Christum, quem simpliciter jam decreverat, mittere in carne passibili decreverit. Sed contra, ac quidem breviter ad præsentem quæstionem, quam Scholæ potius curiositas peperit,

R. *Affirmative* cum S. THOMA, cæterisque communius. *Prob.* Ex sacris Scripturis, quæ 1<sup>o</sup>. solius hujus motivi mentionem faciunt, ut videre est in locis ante relatis. 2<sup>o</sup>. Aliis in locis positive excludunt omnem aliam Christi adventus causam: Luc. 19. *Non veni vocare justos; sed peccatores.* Joan. 3. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* 1. Joan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Si in hoc apparuit; ergo hoc fine sublato non apparuisset.

Consonant SS. Patres Greci et Latini, quos magno numero refert PETAVIUS c. 17. n. 8. et seqq. qui diserte quodvis aliud motivum excludunt. S. IRENEUS L. 3. adversus hæreses c. 14. n. 4. *Si non; inquit, haberet caro salvari;*

*nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* S. GREGOR. NAZIANZENSIS orat. 30. n. 2. *Quæ humanitatis a Deo propter nos susceptæ causa extitit? profecto ut nobis salus pararetur: quid enim aliud causæ afferri possit? S. ATHANAS. orat. 2. cont. Arian. n. 56. Verbum nequaquam homo factus esset; nisi causa fuisset hominum necessitas.* S. AUG. serm. 8. de verb. Apost. (al. 174. n. 2) *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* S. LEO M. serm. 77. de Pentec. 3. c. 2. *Si homo..... in suæ honore naturæ mansisset..... Creator mundi creatura non fieret.*

Unde istud exurgit argumentum Doctoris Angelici 3. p. q. 1. a. 3. in 6. de iis, quæ pendent unice ex libero Dei arbitrio, nihil est asserendum, nisi quod Deus revelavit: atqui tale quid est incarnatio; et nullibi revelatum est motivum aliud, propter quod illam Deus decrevisset simpliciter, et quoad substantiam; ergo. *Major* est Doctoris Angelici. *Min.* constat ex ante relatis S. Scripturæ, et SS. Patrum sententiis.

*Nec sufficit* dicere, illa Scripturæ et Patrum testimonia intelligenda esse de carne tantum passibili; sic, ut Adamo non peccante Christus non quidem venturus fuisset in carne passibili, ut Redemptor; venturus tamen adhuc fuisset in carne impassibili, ut Auctor gratiæ et gloriæ.

Nam 1<sup>o</sup>. loquuntur absolute, et exclusive propter particulam *non*, quæ malignantis est naturæ: si enim res, quæ pluribus fieri modis potest, non fiat tantum uno ex illis modo; non potest absolute dici non fieri, quia negatio absoluta omnem modum excludit; ita non subsistunt hæ propositiones: Corpus Christi non est in cælo; non est in Sacramento, etc., subintelligendo in carne passibili. 2<sup>o</sup>. Nullo modo æquipollentes sunt propositiones istæ: Christus Adamo non peccante non est venturus; et: Christus Adamo non peccante, non est venturus in carne passibili, vel, ut Redemptor: si enim venturus sit, etsi impassibilis; absolute, vere, et proprie est venturus: sicut eo non obstante, vere et proprie veniet ad judicium; ergo absolute falsa est propositio, quæ negat venturum: atqui allata testimonia negant venturum; ergo.

360. *Dices* 1<sup>o</sup>. S. Scriptura favet sententiæ negativæ; ergo. *Prob. Ant.* 1<sup>o</sup>. Prov. 8. 22. dicitur: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum;* hunc textum vero Patres plures de Sapientia incarnata intelligunt; ergo jam ante creaturas, ante peccatum, decretus fuit Christus. 2<sup>o</sup>. Ad Coloss. 1. 15. Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ.* 3<sup>o</sup>. 1. ad Cor. 2. v. 7. ait Apost. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est: quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram;* ergo ante homines. 4. Ad Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi;* ergo prior est Christi electio.

R. *N. Ant.* Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. 1<sup>o</sup>. Spectando litteram textus, loquitur de sapientia in genere: sive de Sapientia Dei activa, qua Deus omnia sapientissime ordinavit, et condidit.

R. 2. Christus est *initium viarum*, ratione generationis æternæ, quia sic per ipsum facta sunt omnia C. ratione generationis in tempore factæ. *Subd.* ita ut ipsa sit initium viarum redemptionis, sive creaturæ reparandæ C. initium creaturæ ponendæ, vel creandæ N. Alioquin etiam dici deberet, Christum, etiam ratione humanitatis suæ, jam actu extitisse ante mundum



creatum; ait enim Sapientia illa de se ipsa v. 25. *Quando præparabat caelos, aderam: cum eo eram cuncta componens.*

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. D. Dicitur primogenitus ratione divinitatis C. humanitatis *Subd.* primogenitus honore et dignitate; quia Christo omnia subiecit Deus C. tempore vel ordine; quia eum ante omnem creaturam intendit, et decrevit N. Phrasis Scripturæ est, qua primogenitus excellentiorem significat. Sic Ps. 88. dicitur de Davide: *Ego primogenitum ponam illum*, scilicet honoris. Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israel.*

*Ad prob. 3<sup>am</sup>. et 4<sup>am</sup>.* R. D. Quam prædestinavit ante seculum, i. e. ante creaturas prævisas et decretas N. factas vel conditas C. Item, elegit nos in ipso ante constitutionem mundi decretam N. actu positam C.

361. *Dices 2<sup>o</sup>.* Christus est primus prædestinatorum; nam prædestinatio ejus est causa exemplaris nostræ, juxta illud ad Rom. 8. v. 22. *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*; ergo Christus ratione prius prædestinatus fuit, quam omnes homines, et ipse Adamus.

R. C. *totum.* *Subsumes:* Atqui homines saltem duo primi prædestinati fuerunt ante peccati prævisionem; ergo et Christus. R. N. *Subs.* Licet enim primi nostri parentes, imo, antecedenter ad prævisionem peccati originalis, omnes a Deo fuerint destinati ad salutem, per dona gratiæ sufficientia; hæc tamen destinatio, per peccatum fuit intercisa et abrupta sic, ut effectum non habuerit. Prædestinatio autem, est ordinatio ad salutem per media infallibiliter inferentia effectum: quæ in hominibus habetur ex gratia redemptionis et meritis Christi, consummatis per passionem ejus et mortem; unde supponit peccatum, quia supponit Redemptorem, ejusque merita.

362. *Dices 3<sup>o</sup>.* Christus est finis omnis creaturæ: atqui finis prior in intentione; ergo. *Prob. M.* 1. Ex S. Script. ad Hebr. 2. v. 10. *Decebat eum, propter quem omnia... per passionem consummare.* Et 1. ad Cor. 3. v. 22. *Omnia vestra sunt... vos autem Christi; Christus autem Dei.* 2. Ex Conc. Trid., quod Sess. 6. cap. 7. ait, causam finalem justificationis nostræ esse gloriam Dei et Christi.

R. D. M. Est finis omnis creaturæ jam productæ vel intentæ C. productionis, vel intentionis creaturæ N. Christus est finis omnium *ex suppositione existentie suæ*; postquam enim Deus, præviso peccato, in hujus remedium decrevit mittere Christum, decrevit simul ad ejus gloriam ordinare creaturas; non vero sic est finis omnis creaturæ, quasi, ex prævia intentione ipsius Christi, deinde voluerit producere creaturas. Eadem est responsio ad *Maj.* probationes.

363. *Dices 4<sup>o</sup>.* At SS. Patrum quidam præoccupaverunt Scoti sententiam. *Prob. S. CYRILL.* assert. 15. *Thesaur.* (opp. t. 5. part. 4<sup>a</sup>. p. 174. D.): *Ante nos itaque, inquit, fundatur Christus, atque in ipso nos omnes superædificamur, et quidem ante creationem mundi, juxta prænotionem Dei omnia præscientis.* Et postea: *Si propter nos factus est Filius, non nos propter Filium; erimus nos multo ipso præstantiores.* S. FULGENTIUS L. 2. ad Trasim. c. 3. *Non alia, ait, gratia stantem angelum a ruina potuit custodire, nisi illa quæ lapsum*

*hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata; ergo ordine intentionis prior fuit Christus, quam angelus.*

R. N. *Ant.* Ad S. CYRILL. R. 1<sup>um</sup>. D. In præscientia Dei ante peccatum actu positum C. ante prævisum N. 2<sup>um</sup>. etiam D. Si propter nos ut motivum pure proximum N. ut ultimum C. In nostra sententia Christus non habet rationem puri medii, sed etiam finis, ut ante diximus; licet non nisi ex suppositione existentie suæ.

*Ad S. FULGENT.* iterum D. non alia gratia quoad substantiam C. quoad modum et auctorem N. *Ant. et Cons.* S. FULGENTIUS id præcise vult, gratiam tam angelis, quam hominibus pro obtinenda salute necessariam fuisse. Gratiam vero datam angelis, fuisse datam ex meritis Christi jam prævisis, sicut erat illa, quæ data fuit Adamo lapsu, ut surgeret, nec asserit S. FULGENTIUS, nec ex eo evincitur. Dixi: *Adamo lapsu*; nam gratia prima eidem data non fuit ex Christi meritis.

364. *Dices 5<sup>o</sup>.* Christus est æque caput angelorum, quam hominum; ergo et angelis collata est gratia ac gloria intuitu meritorum Christi. *Subs.* Atqui gratia et gloria angelis juxta nos decreta et data, fuit independens a redemptione; ergo et gratia data hominibus.

R. N. *Ant.* de Christo, *qua homine.* Qua homo enim aliter est caput angelorum, aliter hominum. Hominum caput est, influendo gratiam et gloriam in eos antecedenter lapsos: angelorum vero caput est solummodo ratione excellentiæ et potestatis, vel etiam *gratiæ accidentalis*, consistentis tum in variorum mysteriorum, præcipue incarnationis, revelatione; tum in gaudio accidentali, quod ex gloriosa Christi humanitate, nostra salutè, ex suorum chororum reparatione percipiunt; Deus enim dicitur ab Apost. ad Coloss. 1. v. 20. *pacificans per sanguinem crucis ejus (Christi), sive quæ in terris, sive quæ in caelis sunt*: redimendo nempe hominem a peccato, perque redemptionem humani generis reparando ruinas angelorum:

365. Pro pleniori dictorum intelligentia scire necesse est divinorum decretorum circa mysterium incarnationis ordinem. Nimirum quæ Deus imo eodemque actu realiter indivisibili (summa enim ejus simplicitas excludit omnem multiplicitem realem, quoad prædicata absoluta, adeoque actus suos) ab æterno decrevit, ut nulla etiam in iis detur realis prioritas, vel posterioritas; nos, ad succurrendum solummodo imbecillitati nostri intellectus, unum eundemque indivisibiliter actum divinum, modo nostro concipiendi in plures distinguimus, et ratione nostra unum alteri subordinamus.

Igitur supposita scientia simplicis intelligentiæ, et media, qua præcisebat Deus ab æterno, tum quid ipse in quavis rerum serie, et combinatione facere posset, quique in omnibus circumstantiis futuri essent eventus: unico, et ex parte subjecti, sive divinæ suæ voluntatis decreto indivisibili ordinavit 1<sup>o</sup>. creare universum, angelos, homines; elevare eos ad statum et finem supernaturalem; dare illis sufficientia auxilia gratiæ, quibuscum operari salutem possint, relicto iis libero voluntatis arbitrio. Vid. n. 361. 2<sup>o</sup>. Angelis et primis parentibus conferre habitualement gratiam. Vid. n. 363. 3<sup>o</sup>. Constituire Adamum caput morale humani generis totius, ita ut, si in justitia originali perstiterit; in eadem nascentur omnes ejus posterit; si vero



peccarit, hujus peccati maculam contrahant omnes et singuli, naturali generationis via ab eo descensuri, excepta illa, quæ futura esset mater Christi; si hic in mundum veniret. 4°. Per scientiam visionis, malorum angelorum viso lapsu, bonorum perseverantia; his gloriam, illis supplicia destinavit. 5°. Viso similiter Adami lapsu, misertus hominis, decernit mittere Christum Redemptorem, illique subijcere omnia. 6°. In ejusdem matrem elegit Mariam semper virginem, et decentes ei, ob merita Filii, conferre gratias decernit. 7°. Ob ejusdem Christi merita conferre hominibus cæteris ad consequendam salutem auxilia gratiæ. 8°. Demum visa aliorum cooperatione libera, et perseverantia finali, aliorum finali impænitentia, priores destinavit ad gloriam; posteriores reprobavit.

## DISSERTATIO IV.

### DE HUMANITATIS CHRISTI PERFECTIONIBUS ET AFFECTIONIBUS.

Exposito hactenus mysterio Incarnationis, sive composito Theandrico quoad substantiam; ejusdem nunc velut accidentia considerata veniunt; quo nomine 1°. specialia humanitatis Christi ornamenta intelligimus, quorum alia ad intellectum, alia ad voluntatem, alia ad ipsam humanitatis substantiam pertinent: ut in specie sanctitas, impeccabilitas, potentia; 2°. vero tum perfectiones quasdam naturales, tum defectus, quæ partim ad animam, partim ad corpus referuntur.

#### SECTIO I.

##### DE PERFECTIONIBUS HUMANI IN CHRISTO INTELLECTUS.

Humanum Christi intellectum maxime Christi *scientia* ornat et perficit, de qua proinde hic disputabimus. Scientiam Christi hominis oppugnare 1°. *Gnostici* et *Valentiniani*, qui, S. Irenæo teste, L. 1. c. 17. (al. 20. n. 1.) Christum *sub præceptoris ferula* addiscendo alphabeto dedisse operam fabulati sunt. 2°. *Ariani* et *Nestoriani*, conformiter suo dogmati de Christo homine, ei *infusam* in primo conceptionis instanti *scientiam* abnegantes. 3°. *Agnoetæ*, Eutyhianorum secta, sic dicti *ab ignorantia*, qua Christum laborasse dicebant, duce Themistio et Severo. 4°. Novatores seculi XVI. *Lutherus* in Conc. de Natali Domini, tanquam commentum rejiciens doctrinam Catholicorum, quod Christus, qua homo, sciverit semper omnia. *Zwinglius* in Confess. oblata Carolo V. artic. 1., *Calvinus* in c. 2. Lucae, eodem quo Agnoetæ, argumento utitur. Nec satis, ut deberet, a relatis differt *Grotius*, dum in cap. 13. Marci inquit: *Sicut igitur post resurrectionem accepit omnem potestatem: ita et omnem scientiam.* Contra quos agemus sequentibus Articulis.



peccarit, hujus peccati maculam contrahant omnes et singuli, naturali generationis via ab eo descensuri, excepta illa, quæ futura esset mater Christi; si hic in mundum veniret. 4°. Per scientiam visionis, malorum angelorum viso lapsu, bonorum perseverantia; his gloriam, illis supplicia destinavit. 5°. Viso similiter Adami lapsu, misertus hominis, decernit mittere Christum Redemptorem, illique subijcere omnia. 6°. In ejusdem matrem elegit Mariam semper virginem, et decentes ei, ob merita Filii, conferre gratias decernit. 7°. Ob ejusdem Christi merita conferre hominibus cæteris ad consequendam salutem auxilia gratiæ. 8°. Demum visa aliorum cooperatione libera, et perseverantia finali, aliorum finali impænitentia, priores destinavit ad gloriam; posteriores reprobavit.

## DISSERTATIO IV.

### DE HUMANITATIS CHRISTI PERFECTIONIBUS ET AFFECTIONIBUS.

Exposito hactenus mysterio Incarnationis, sive composito Theandrico quoad substantiam; ejusdem nunc velut accidentia considerata veniunt; quo nomine 1°. specialia humanitatis Christi ornamenta intelligimus, quorum alia ad intellectum, alia ad voluntatem, alia ad ipsam humanitatis substantiam pertinent: ut in specie sanctitas, impeccabilitas, potentia; 2°. vero tum perfectiones quasdam naturales, tum defectus, quæ partim ad animam, partim ad corpus referuntur.

#### SECTIO I.

##### DE PERFECTIONIBUS HUMANI IN CHRISTO INTELLECTUS.

Humanum Christi intellectum maxime Christi *scientia* ornat et perficit, de qua proinde hic disputabimus. Scientiam Christi hominis oppugnare 1°. *Gnostici* et *Valentiniani*, qui, S. Irenæo teste, L. 1. c. 17. (al. 20. n. 1.) Christum *sub præceptoris ferula* addiscendo alphabeto dedisse operam fabulati sunt. 2°. *Ariani* et *Nestoriani*, conformiter suo dogmati de Christo homine, ei *infusam* in primo conceptionis instanti *scientiam* abnegantes. 3°. *Agnoetæ*, Eutyhianorum secta, sic dicti *ab ignorantia*, qua Christum laborasse dicebant, duce Themistio et Severo. 4°. Novatores seculi XVI. *Lutherus* in Conc. de Natali Domini, tanquam commentum rejiciens doctrinam Catholicorum, quod Christus, qua homo, sciverit semper omnia. *Zwinglius* in Confess. oblata Carolo V. artic. 1., *Calvinus* in c. 2. Lucae, eodem quo Agnoetæ, argumento utitur. Nec satis, ut deberet, a relatis differt *Grotius*, dum in cap. 13. Marci inquit: *Sicut igitur post resurrectionem accepit omnem potestatem: ita et omnem scientiam.* Contra quos agemus sequentibus Articulis.



## ARTICULUS I.

AN CHRISTUS QUAE HOMO HABUERIT SCIENTIAM BEATAM, SIVE BEATIFICAM?  
A QUO TEMPORE, ET QUALEM?

366. *Nota.* Varia hic distingui potest scientia: 1<sup>o</sup>. *beata*, sive beatifica, estque clara Dei visio, seu visio beatifica; 2<sup>o</sup>. *comprehensiva*, sive adaequans cognoscibilitatem objecti; omni eo modo, quo cognosci potest; 3<sup>o</sup>. *infusa*, qua per species a Deo infusas res in se ipsis cognoscuntur; 4<sup>o</sup>. *acquisita*; quae experientia et labore, speciebus a sensibus haustis, acquiritur. Haec vel consideratur ut *habitualis*, et est veri nominis acquisita scientia; vel ut actualis, et est cognitio actu orta ex sensibus; alias dici solita scientia *experimentalis*. Queritur hic primo de scientia beata.

367. *Dico I.* Anima Christi scientia beatifica donata fuit; et quidem a primo conceptionis momento.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Ex S. SCRIPTURA. Joan. 3. 11. postquam de dilectione Patris erga mundum, de sua divinitate, de baptismo, qui in nomine SS. Trinitatis confertur, disseruisset; confirmaturus ista, inquit ad Nicodemum: *Amen, amen, dico tibi; quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur; quo loquendi modo, se loquentem ut hominem, et horum omnium, quae dixisset, testem de visu declarat; quod facere non potuisset, si beatifica scientia caruisset.* Joan. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit;* quo loquendi modo tum a communi conditione hominum eximitur Christus, utpote cui soli datum fuerit, videre Deum; tum ratio redditur, cur nullus antiquorum Patrum enarrare potuerit mysteria caelestia; quia nullus eorum unquam vidit Deum, quem hic Unigenitus vidit etiam ut homo, quia de eo ut homine istud dicitur. Ita locum istum exponunt S. CYRILL. in Joan. (opp. t. 4. p. 104. D.): *Soli, inquam, Filio naturali aspectabilis est Pater, eo modo quo natura divina cerni potest, et nulli praeter eum alteri: non tamen propterea sancti Prophetae mentientur dum se vidisse clamant Dominum sabaoth: non enim asserunt ipsam se vidisse Dei essentiam ac naturam; sed..... a rebus humanis divinae gloriae figura obscure formabatur.* S. CHRYSOSTOM. in Joan. homil. 15. n. 4.: *Dominus, rex, regis Filius, longe majora nobis attulit, qui cum Patre semper est, et videt eum perpetuo. Propterea haec intulit: Deum nemo vidit unquam. Quid ergo dicemus vocalissimo Isaiae dicenti: Vidi Dominum?..... Illa omnia attemperationem quamdam esse, non nudae substantiae visionem.* S. AUGUSTINUS in Joan. Tr. 3. n. 17. Ad Coloss. 2. ait Apostolus de Christo: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi;* sed inter hos thesaurus nobilissimus est beata scientia.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p. 1<sup>o</sup>.* Quia textus S. SCRIPTURAE, quoad tempus existentiae hujus beatae scientiae in Christo, qua homine, loquuntur absolute, et quoad tempus nullam faciunt differentiam. 2<sup>o</sup>. Joan. 1. v. 14. dicitur de Christo: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis;* haec 1. dicuntur de Christo, qua homine; quia dicuntur de Verbo, ut incarnato; praemittitur enim ante: *Et Verbum caro factum est.* 2. Si

plenus gratiae et veritatis; quo jure quis excludet gratiam maximam scientiae, vel visionis beatificae? 3. Quod caput est, dicuntur de Verbo, hoc ipso, quod caro factum sit; ergo donum illud Christo jam competeat in primo conceptionis ejus momento; tunc enim jam verum erat dicere: *Et Verbum caro factum est.*

*Prob. RATIONE quoad utramque partem.* Gloria et plenitudo gratiae ac veritatis, utpote proprietates fluentes necessario ex unione hypostatica, datae sunt Christo, qua homini; quia est unigenitus Patris, ut ante vidimus: atqui a primo conceptionis instanti, vel unionis, fuit unigenitus Patris; ergo. Ita argumentatur S. ATHANAS. orat. 3. cont. Arianos n. 51. S. JOANNES DAMASCEN. L. 3. de Fide cap. 22. aliique. Et vero filiationis naturalis, et unionis hypostaticae non minus proprietas est scientia beata, quam gratia; ergo etiam aequae fuit in Christi anima a primo conceptionis momento, quam gratia; nulla enim est ratio, cur, concessa gratia, negaretur illi, vel differretur scientia beatifica.

368. *Dico II.* Licet Christi, qua hominis, scientia beata longe fuerit clarior et perfectior, quam caeterorum Beatorum omnium; non tamen fuit comprehensiva Dei.

*Ratio prioris* desumitur ex Scriptura sacra, juxta quam in Christo, ad Coloss. 2., sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae; et de ejus plenitudine nos omnes accepimus.

*Conf.* Christus est Filius Dei naturalis: sed filio naturali perfectior debetur hereditatis possessio, quam reliquis adoptivis omnibus.

*Ratio secundi* est 1<sup>o</sup>. Quia tum divinarum Scripturarum, tum Conciliorum et Patrum consonantibus testimoniis, Deus est absolute ab intellectu creato incomprehensibilis; sed intellectus naturae humanae in Christo est, et manet creatus. 2<sup>o</sup>. Cognitio comprehensiva Dei est, quae adaequat, et exhaurit totam cognoscibilitatem Dei, tam intensivam quam extensivam: implicat talis cognitio creata; quia, sicut illa cognoscibilitas Dei absolute infinita est, talis quoque deberet esse cognitio creata; ac proinde deberet esse clara et intensa infinite, qualis claritas et intensio soli cognitioni divinae competit.

369. *Dico III.* Nec per scientiam beatam humanitas Christi videt in Deo omnes creaturas possibles in particulari, sive distincte omnia, quae cognoscit Deus scientia simplicis intelligentiae.

*Ratio* est 1<sup>o</sup>. quia illa cognitio esset simpliciter infinita; sed haec in creatura implicat. *Maj. prob.* Quia cognitio illa repraesentaret, et in se ipsa exprimeret naturas infinitas, et perfectiores absque ullo termino; sunt enim infinitae etiam quoad speciem: nec refert quod tantum syncategorematicae; nam sicut recte arguitur ex effectibus syncategorematicae infinitis, perfectioribus, potentia infinita; ita hic ex objectis infinitis, perfectioribus syncategorematicae, cognitio infinita. 2<sup>o</sup>. Cognitio distincta omnium possibilium, esset cognitio totius virtutis productivae, et consequenter comprehensio causae, adeoque Dei; sed in humanitate Christi dari nequit talis comprehensio, juxta num. praec.



370. *Dico IV.* Christus tamen, qua homo, videt in Verbo omnia præterita, præsentia, et futura.

*Ratio* est; quod horum cognitio pertineat ad statum et dignitatem Christi, tum ut *domini et capitis*, tum ut *illuminatoris cordium*, et *judicis universorum*; ergo necesse est, Christum eorum habere notitiam perfectam; sicut et in specie arcanorum cordis, actuum bonorum et malorum, quæ futuri iudicii dabunt materiam.

Hinc simul evincitur, Christum qua hominem ob sua, quæ gerit officia, cognoscere in Verbo futura conditionata libera, quantum ad statum et conditionem Christi pertinent. Quin eorum se habere cognitionem, palam fecit Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere penitentiam egissent.*

371. *Dico V.* Christi humanitas non videt omnia futura absolute actualiter, sive actu unico et distincte; sed quasi habitualiter tantum.

*Ratio* est; tum quia nulla est necessitas tribuendi humanitati Christi simultaneam omnium futurorum notitiam, cum ad dignitatem ejus et officium sufficiat cognoscere illa habitualiter, sive ita, quod quælibet in particulari, et quamlibet eorum multitudinem finitam possit, quandocumque voluerit, actu cognoscere; tum, et etiam maxime, quia simultanea et distincta omnium tota æternitate futurorum cognitio superare videtur limitatas create potentiæ vires; cum omnia futura absolute infinita sint, sine termino, tota æternitate.

*Nec refert*, quod nunquam futura sint infinita categorematice; nam cognitio, omnia illa simul actu in se exprimens, deberet esse infinita categorematice; species enim expressa debet actu continere in suo esse intentionali, quidquid objectum continet in suo esse naturali, ut substituta loco objecti; unde debet illud continere quoad totum esse; alioquin in eo, in quo illud non continet, objectum non exprimeret cognoscenti; igitur si objectum sit infinitum, etiam tantum syncategorematice; cognitio tamen hoc ipso, quod totum simul exprimat, debet esse infinita categorematice.

372. *Obj. I. cont. Concl. 1<sup>am</sup>. et 3<sup>am</sup>.* Christus Luc. 2. dicitur *profecisse sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines*: atqui is, qui proficit, non habet simul in primo ortu omnem scientiam. *Conf.* ex S. AMBROSIO Lib. de Incarnat. c. 7. n. 74. ubi de Christo infante ad sensum S. Lucæ ait: *Expers agnitionis infantia per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorabat*; ergo.

R. D. M. Profecisse sapientia, seu scientia *experimentalis*, qua in anima eas expertus est affectiones, quas licet antea novisset scientia beata et infusa, non tamen adhuc senserat C. scientia quacumque alia, beata, vel infusa. *Subd.* Profecisse apparenter, quoad nos, quibus magis proficere videbatur C. quoad se N. Sic quoque S. AMBROSIO explica, Christum infantem, quæ per ætatem infantilem, et sic quasi per humanam imprudentiam non prodebat (fieri enim nobis per omnia similis voluit) ignorasse apparenter; dumque loc. cit. idem dicit, Christum *profecisse secundum sapientiam humanam*, de *experimentalis* loquitur. *Ita enim*, inquit ATHANAS. orat. 3. cont. Arian.

n. 33. *corpore ætate crescente, in illo (Christo) quoque crescebat major divinitatis explicatio (αυξάνωσις)*, omnibusque ostendebatur templum Dei ipsum esse, et Deum esse in corpore. Et S. GREGOR. NAZIANZ. orat. 43. n. 20. *Ut ætate, ita et sapientia proficiebat; non quod hæc in eo incrementum caperent; ... sed quod hæc paulatim in eo detegerentur, et elucerent.*

373. *Inst. 1. Marc. 13.* ait de se Christus ipse: *De die autem illa nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.*

Responsionem jam datam lege, ubi de divinitate Christi contra Arianos egimus, num. 102.; quia tamen hic contra scientiam beatam humanitatis eadem formatur objectio, adde: Christum dici nescire diem iudicii; quia nec accepit a Patre potestatem illum revelandi; nec facit homines illum scire; quo sensu, quibus servare secretum incumbit, quod sciunt, ut Confessarii, Consilarii, se nescire dicunt, scilicet ita, ut revelent; sicut et e contrario Gen. 22. legitur: *Nunc cognovi, quod timeas Deum*; sensus est: nunc feci ut cognosceres; quia et ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Ita S. AUGUSTINUS de Trinit. L. 1. c. 12, n. 23. Vel: notum fecisti omnibus te timere Deum; ut exponit S. JOANN. CHRYSOSTOMUS in Gen. hom. 47. n. 3. Pater tamen scire dicitur; quia Filio ut homini revelaverat, eumque solum fecerat scire diem iudicii. *Spiritus*, ait idem S. CHRYSOST. hom. in Matth. 77. n. 1. *investigat etiam profunda Dei; ille vero ne tempus quidem iudicii noverit? Sed scit et quomodo judicare oporteat, et arcana singulorum; quod autem longe inferius est, id ignoraturus erat? Quomodo si omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, diem illam ignoravit? Nam qui secula fecit, sane fecit et tempora; si tempora, etiam diem: quomodo ergo quam fecit ignorat? Ex eo vero, quod addatur: nec angeli; non sequitur, quod angeli etiam sciverint, sicut Christus, sine potestate revelandi; non enim est hic perfecta paritas Christum inter et angelos; sed comparatio est: nec angeli sciunt simpliciter, nec Christus, ita ut revelare possit; quod, quantum ad usum scientiæ, idem est ac nescire, juxta illud: *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.**

374. *Inst. 2.* Ex antiquioribus Patribus nonnulli, ut S. BASILIUS epist. 236. n. 1. ad Amphiloichium, S. ATHANASIO orat. contr. Arian. 3. n. 43., S. HILARIUS de Trin. L. 9. n. 75., S. GREG. NAZ. orat. 30. n. 15., ut Arianos, Christi divinitatem ex ejus ignorantia impugnantes, ad silentium redigerent, ignorantiam objectam subin detorquebant ad Christi humanitatem. Sic S. CYRILLUS quoque L. 22. Thesaur. (opp. t. 5. part. 1<sup>a</sup>. p. 218. C.): *Finis autem, ait, quidnam aliud est quam ipse ultimus dies, quem ignorare se respectu incarnationis dicit, ordinem et decorum humanitati conveniens servans? Humanitatis enim proprium est futura ignorare.*

R. 1<sup>a</sup>. N. Ant. Sed sensus illorum est, Verbum assumpsisse naturam humanam ignorantem, quæ juxta conditionem suæ speciei alias ignorans est; sicque Christum scientiam non habuisse ex suæ humanitatis conditione; scivisse tamen. *Unigenitus*, inquit S. GREGOR. M. L. 10. epist. 39. *factus pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem et horam iudicii; sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit.* Nec alia fuit sententia S. ATHAN. et S. GREGOR. NAZ. ut ex ipsismet locis in objectione citatis abunde constat.



R. 2<sup>o</sup>. Demus veterum nonnullos ignorantiam detorsisse ad Christi humanitatem; id 1<sup>o</sup>. quoad apparentiam fecerunt, quatenus Christus dispensatione quadam ita se gessit, quasi varia ignoraret; ut quidem S. CYRILL. Ioc. cit. (p. 219. B.) ipse subdit et explicat. 2<sup>o</sup>. Id fecerunt figura, ut dicitur *concessionis*; velut dicerent: dato, non concessio, Christum ignorasse diem illum; eum non ignoravit ut Deus, sed ut homo; ergo immerito infertis Ariani, eum non esse vere Deum. Unde non sequitur, eos vere hanc ignorantiam affirmasse in Christo homine. Sic LEPORUS presbyter, apud PETA-VIUM L. 11. c. 1. §. 14. in libello emendationis, qui Africanorum quorundam antistitum, et inter eos S. AUGUSTINI subscriptione probatus est, quod alias, ad objecta Arianorum respondens, ignorantiam velut concessionem, ut dictum, detorsisset ad Christi humanitatem; contraria professione id ipsum revocavit his verbis: *Ut autem et hinc nihil cuiquam in suspitione derelinquam, tunc dixi, imo ad objecta respondi, Dominum nostrum Jesum Christum secundum hominem ignorare; sed nunc non solum dicere non præsumo; verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam.*

375. *Obj. II.* Alios Scripturæ textus. 1<sup>o</sup>. De Christo prædicitur Ps. 34. *Quæ ignorabam, interrogabant me.* Et Jerem. 11. in Christi persona ait Propheta: *Non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia.* Sed hæc in Christo homine ignorantiam producit. 2<sup>o</sup>. Luc. 22. Christo apparuit de cælo angelus confortans eum. Sed si Christus novisset omnia, neque instantes ignorasset cruciatum, neque opus ipsi fuisset confortante angelo; ergo.

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. N. min. Psalmistæ sensus est: *quæ ignorabam*, hoc est, quæ non feci, sive quorum mihi non eram conscius. Jeremiæ verba: *non cognovi*, idem sonant, quod dissimulavi; sive externe non manifestavi me cognoscere.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. 1<sup>o</sup>. Dicta illa fuisse ad veræ Christi humanitatis probationem; instinctu quippe naturali, natura nostra imminencia sibi atrocia mala, præsertim mortem, aversatur.

R. 2<sup>o</sup>. Cum S. EPIPHANIO hæc. 69. n. 60. verba illa: *confortans eum*, idem importare, ac laudans ejus fortitudinem, qua se morti promptus obtulerat dicens: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Quin ex ipsis illis Christi verbis conficitur, futurorum cruciatuum eum perfecte præcium fuisse.

376. *Obj. III.* Ex ratione: 1<sup>o</sup>. Scientia beata, seu visio beatifica secum fert summum gaudium, et omnem fugat tristitiam: sed Christus gravem tristitiam passus est in horto, cœpit pavere, tædere; ergo. 2<sup>o</sup>. Gloria corporis ob unionem hypostaticam æque fluit, eratque debita Christo homini, quam visio beatifica; ergo si illa impediri potuit in Christo, cur non et altera?

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. D. Secum fert summum gaudium, et fugat tristitiam connaturaliter; sicut calor ut octo pellit frigus C. essentialiter, ita ut ad finem redemptionis obtinendum, gaudium impediri non possit, et tristitia de alio objecto, quod est distinctum ab objecto gaudii, non possit in eum finem permitti N: Paulo aliter respondent alii: Christum nempe retinuisse in superiori parte animæ gaudium, ac voluptatem, quæ ex visione Dei beatifica fluit, ne in partem inferiorem influeret, cohibuisse, ut sic redemptionis

nostræ opus perficeret; sicut impedivit, ne propria alias visioni beatificæ gloria ex anima in corpus redundaret.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. *Disparitas* est; quia impediri gloriam corporis, ut Christus pati posset, necessarium erat ad obtinendum redemptionis finem eo modo, quo decretus erat; decretum vero Dei erat, ut omnia passione et morte consummaret, ad Hebr. 2. Ad hunc vero finem non ita faciebat visionis beatificæ impeditio.

## ARTICULUS II.

AN PRÆTER SCIENTIAM BEATAM, ANIMA CHRISTI HABUERIT SCIENTIAM PER SE INFUSAM?  
ET QUOD HUIUS FUERIT OBJECTUM?

377. Duplex hic distinguitur scientia infusa. Altera est *per se* talis; estque illa, quæ a solo Deo postulat infundi, supra omnem subjecti, cui infunditur, exigentiam; estque intrinsece et quoad substantiam supernaturalis; et licet scientia beata, de qua Artic. præc., vel maxime talis sit; nomen tamen generis hæc, quanquam minus perfecta, sortitur. Altera est *per accidens* infusa, quæ per se quidem acquiri potest labore humano et industria, per species e phantasmatibus, opè intellectus agentis, crutas; a Deo tamen infundi potest, absque labore et industria acquirentis; qualis fuit scientia, quam Deus infudit protoparentibus, qui a primo creationis momento excellentiori longe gradu infusas habuerunt scientias, et artes, quam homines reliqui diuturno labore sibi comparent.

378. *Dico I.* Fuit in Christo scientia per se infusa a primo conceptionis suæ momento. Est S. THOMÆ 3. p. q. 9. a. 3. ac q. 11. tum communis TT.

*Prob. I.* Ex S. SCRIPT. ad Hebr. 10. ubi Apostolus introducit Christum statim mundum ingredientem, se in sacrificium offerentem æterno Patri: sed non potuit Christus ingrediens mundum, se offerre æterno Patri, nisi in ejus intellectu præcesserit actus scientiæ, a quo talis oblatio regularetur; ergo. *Subs.* Sed hæc scientia non potuit esse illa beata; hæc enim non est proportionata regula actus liberi: qualis fuit prima illa oblatio, qua se Patri obtulit, quæ fuit meritoria, ut ex S. AUGUSTINO probat S. THOM. 3. p. q. 34. a. 3. et docent in hunc locum SS. CHRYSOSTOM. AMBROS., etc.; voluntas autem sanctificativa hominum debuit esse meritoria. Nec fuit scientia acquisita; quia hæc pendet a sensibus, organisque corporeis, quibus, defectu ætatis, non potuit eo tempore Christus uti; ergo debuit esse infusa.

*Prob. II.* RATIONE. 1<sup>o</sup>. Christus non solum fuit comprehensor, sed simul viator; ergo et decuit pariter, habere eundem ut viatorem scientiam propriam viatoris, seu infusam; est enim perfectio peculiaris, et a scientia beata independens: quoniam vero a primo instanti non minus viator fuit, quam comprehensor; ergo et jam tunc illa scientia ei conveniebat; tum etiam, si illam in primo ortu habuerint angeli et Adamus; cur non Christus, illis infinite excellentior?

2<sup>o</sup>. Nulla perfectio deneganda est Christo homini, nisi vel opponatur visioni beatificæ, ut fides; vel officio Redemptoris, ut gloria corporis; ergo cum scientia hæc entitative supernaturalis, sit naturæ humanæ peculiaris



R. 2<sup>o</sup>. Demus veterum nonnullos ignorantiam detorsisse ad Christi humanitatem; id 1<sup>o</sup>. quoad apparentiam fecerunt, quatenus Christus dispensatione quadam ita se gessit, quasi varia ignoraret; ut quidem S. CYRILL. Ioc. cit. (p. 219. B.) ipse subdit et explicat. 2<sup>o</sup>. Id fecerunt figura, ut dicitur *concessionis*; velut dicerent: dato, non concessio, Christum ignorasse diem illum; eum non ignoravit ut Deus, sed ut homo; ergo immerito infertis Ariani, eum non esse vere Deum. Unde non sequitur, eos vere hanc ignorantiam affirmasse in Christo homine. Sic LEPORUS presbyter, apud PETA-VIUM L. 11. c. 1. §. 14. in libello emendationis, qui Africanorum quorundam antistitum, et inter eos S. AUGUSTINI subscriptione probatus est, quod alias, ad objecta Arianorum respondens, ignorantiam velut concessionem, ut dictum, detorsisset ad Christi humanitatem; contraria professione id ipsum revocavit his verbis: *Ut autem et hinc nihil cuiquam in suspitione derelinquam, tunc dixi, imo ad objecta respondi, Dominum nostrum Jesum Christum secundum hominem ignorare; sed nunc non solum dicere non præsumo; verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam.*

375. *Obj. II.* Alios Scripturæ textus. 1<sup>o</sup>. De Christo prædicitur Ps. 34. *Quæ ignorabam, interrogabant me.* Et Jerem. 11. in Christi persona ait Propheta: *Non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia.* Sed hæc in Christo homine ignorantiam producit. 2<sup>o</sup>. Luc. 22. Christo *apparuit de cælo angelus confortans eum.* Sed si Christus novisset omnia, neque instantes ignorasset cruciatum, neque opus ipsi fuisset confortante angelo; ergo.

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. N. min. Psalmistæ sensus est: *quæ ignorabam*, hoc est, quæ non feci, sive quorum mihi non eram conscius. Jeremiæ verba: *non cognovi*, idem sonant, quod dissimulavi; sive externe non manifestavi me cognoscere.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. 1<sup>o</sup>. Dicta illa fuisse ad veræ Christi humanitatis probationem; instinctu quippe naturali, natura nostra imminencia sibi atrocia mala, præsertim mortem, aversatur.

R. 2<sup>o</sup>. Cum S. EPIPHANIO hæc. 69. n. 60. verba illa: *confortans eum*, idem importare, ac laudans ejus fortitudinem, qua se morti promptus obtulerat dicens: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Quin ex ipsis illis Christi verbis conficitur, futurorum cruciatuum eum perfecte præcium fuisse.

376. *Obj. III.* Ex ratione: 1<sup>o</sup>. Scientia beata, seu visio beatifica secum fert summum gaudium, et omnem fugat tristitiam: sed Christus gravem tristitiam passus est in horto, cæpit pavere, tædere; ergo. 2<sup>o</sup>. Gloria corporis ob unionem hypostaticam æque fluit, eratque debita Christo homini, quam visio beatifica; ergo si illa impediri potuit in Christo, cur non et altera?

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. D. Secum fert summum gaudium, et fugat tristitiam connaturaliter; sicut calor ut octo pellit frigus C. essentialiter, ita ut ad finem redemptionis obtinendum, gaudium impediri non possit, et tristitia de alio objecto, quod est distinctum ab objecto gaudii, non possit in eum finem permitti N: Paulo aliter respondent alii: Christum nempe retinuisse in superiori parte animæ gaudium, ac voluptatem, quæ ex visione Dei beatifica fluit, ne in partem inferiorem influeret, cohibuisse, ut sic redemptionis

nostræ opus perficeret; sicut impedivit, ne propria alias visioni beatificæ gloria ex anima in corpus redundaret.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. *Disparitas* est; quia impediri gloriam corporis, ut Christus pati posset, necessarium erat ad obtinendum redemptionis finem eo modo, quo decretus erat; decretum vero Dei erat, ut omnia passione et morte consummaret, ad Hebr. 2. Ad hunc vero finem non ita faciebat visionis beatificæ impeditio.

## ARTICULUS II.

AN PRÆTER SCIENTIAM BEATAM, ANIMA CHRISTI HABUERIT SCIENTIAM PER SE INFUSAM?  
ET QUOD HUIUS FUERIT OBJECTUM?

377. Duplex hic distinguitur scientia infusa. Altera est *per se* talis; estque illa, quæ a solo Deo postulat infundi, supra omnem subjecti, cui infunditur, exigentiam; estque intrinsece et quoad substantiam supernaturalis; et licet scientia beata, de qua Artic. præc., vel maxime talis sit; nomen tamen generis hæc, quanquam minus perfecta, sortitur. Altera est *per accidens* infusa, quæ per se quidem acquiri potest labore humano et industria, per species e phantasmatibus, opè intellectus agentis, crutas; a Deo tamen infundi potest, absque labore et industria acquirentis; qualis fuit scientia, quam Deus infudit protoparentibus, qui a primo creationis momento excellentiori longe gradu infusas habuerunt scientias, et artes, quam homines reliqui diuturno labore sibi comparent.

378. *Dico I.* Fuit in Christo scientia per se infusa a primo conceptionis suæ momento. Est S. THOMÆ 3. p. q. 9. a. 3. ac q. 11. tum communis TT.

*Prob. I.* Ex S. SCRIPT. ad Hebr. 10. ubi Apostolus introducit Christum statim mundum ingredientem, se in sacrificium offerentem æterno Patri: sed non potuit Christus ingrediens mundum, se offerre æterno Patri, nisi in ejus intellectu præcesserit actus scientiæ, a quo talis oblatio regularetur; ergo. *Subs.* Sed hæc scientia non potuit esse illa beata; hæc enim non est proportionata regula actus liberi: qualis fuit prima illa oblatio, qua se Patri obtulit, quæ fuit meritoria, ut ex S. AUGUSTINO probat S. THOM. 3. p. q. 34. a. 3. et docent in hunc locum SS. CHRYSOSTOM. AMBRÓS., etc.; voluntas autem sanctificativa hominum debuit esse meritoria. Nec fuit scientia acquisita; quia hæc pendet a sensibus, organisque corporeis, quibus, defectu ætatis, non potuit eo tempore Christus uti; ergo debuit esse infusa.

*Prob. II.* RATIONE. 1<sup>o</sup>. Christus non solum fuit comprehensor, sed simul viator; ergo et decuit pariter, habere eundem ut viatorem scientiam propriam viatoris, seu infusam; est enim perfectio peculiaris, et a scientia beata independens: quoniam vero a primo instanti non minus viator fuit, quam comprehensor; ergo et jam tunc illa scientia ei conveniebat; tum etiam, si illam in primo ortu habuerint angeli et Adamus; cur non Christus, illis infinite excellentior?

2<sup>o</sup>. Nulla perfectio deneganda est Christo homini, nisi vel opponatur visioni beatificæ, ut fides; vel officio Redemptoris, ut gloria corporis; ergo cum scientia hæc entitative supernaturalis, sit naturæ humanæ peculiaris



perfectio, et neutri opponatur; non est abneganda Christo; sed potius, ut debita unioni hypostaticæ, ei ab initio concedenda. Scientiam vero per se infusam non adversari visioni beatificæ inde liquet; quod una eademque res cognosci possit diversa luce, et diverso genere cognitionis; sicut et nos objectum idem, quod videmus sensu externo, cognoscimus simul interno, et percipimus intellectu.

379. *Dico II.* Christus homo per scientiam per se infusam, quoad res ordinis supernaturalis, cognoscit tum omnia entia creata supernaturalia in se ipsis; tum Deum unum et trinum evidenter, non quidem intuitive, sed abstractivè per species alienas.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Entia illa supernaturalia creata, sive quidquid pertinet ad ordinem gratiæ, spectant ad scientiam per se infusam; in se enim possunt clare et directe attingi ab aliqua scientia: non naturali; hæc enim ad illa representanda proportionata non est: neque etiam a beata scientia; quia hæc in se et directe representat solum Deum; cætera vero tantum indirecte, et in ipso, ergo a scientia per se infusa; alia enim non superest.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Quia, ex dictis modo, cognovit res supernaturales creatas distincte in se ipsis: atqui nequit eas ita distincte, et intuitive cognoscere, nisi in ipsis etiam indirecte et abstractivè cognoscat tum divinitatem, tum Trinitatem, quibuscum eæ res connexæ sunt. Sic cognoscit inter alia visionem beatificam; sed hæc essentialem respectum dicit ad SS. Trinitatem; utpote clara Dei unius et trini representatio.

Dixi tamen: *abstractivè per species alienas.* Non enim cognoscit anima Christi mysterium Trinitatis abstractivè per speciem propriam, representantem quidditatem ipsius: talis enim species foret necessario infinita; quia deberet in se ipsa exprimere quidditatem Dei, quæ est infinita. Nec est eadem ratio de cognitione beatificæ clare exprimente essentiam divinam infinitam; nam illam non exprimit in se ipsa, uti exprimeret talis species abstractiva; sed est pura tendentia vitalis ad objectum in se ipso existens.

380. *Dico III.* In ordine naturali, scientia per se infusa, cognoscit humanitas Christi secreta cordium, res futuras, absentes, præteritas, futura conditionata libera, ac possibilis eo modo, quo attingi a creato intellectu possunt.

*Ratio est,* quia imprimis non repugnat per scientiam supernaturalem cognosci etiam res ordinis naturalis; quamvis enim lumen ordinis inferioris terminari non possit ad res ordinis superioris, eo quod hæc perfectionem illius transcendunt; potest tamen lumen ordinis superioris attingere inferiora, cum virtus, quo superior, eo etiam universalior sit; ergo.

381. *Obj. I.* Carentia scientiæ per se infusæ non infert imperfectionem aliquam in Christo: quia non est carentia privativa, sive formæ subjecto debitæ; sed solum negativa; ergo in Christo homine abesse potest.

*R. N. Ant.* Sicut enim in Beatis, quamvis per visionem beatificam eadem videant objecta, quæ percipiunt sensibus, admittuntur tamen in illis cognitiones etiam sensitive ad cognoscendum connaturaliter per potentias naturales, quas, licet beati sint, non otiosas ac frustra possident, cum

non opponantur statui beatitudinis: ita Christus, etsi objecta eadem cognoscat per scientiam; merito tamen requirit, etiam cognoscere illa connaturaliter, supernaturalibus et naturalibus potentiis, et multo magis, quam Beati, ob rationes Concl.

382. *Inst. 1.* Christus homo longe perfectius cognoscit objecta, per scientiam beatam, quam ea cognoscere possit per scientiam infusam; ergo hæc est superflua.

*R. 1<sup>o</sup>.* Idem tenet in Beatis.

*R. 2<sup>o</sup>. D. Ant.* Cognoscit per scientiam beatam perfectius; sed uno modo tantum *C.* omni modo, etiam eo, quo cognoscit per scientiam infusam *N.* Cognoscit igitur objecta per scientiam beatam perfectius quidem; sed solum secundum quid, non simpliciter. Deinde modus cognoscendi respectu utriusque scientiæ non est idem; nam per scientiam beatam cognoscit objecta in Deo tantum causaliter; per infusam vero formaliter in se ipsis; igitur hic cognoscendi modus, utpote connaturalis, et peculiaris humanitatis perfectio, Christo negari non debet.

383. *Inst. 2.* Ob scientiam beatam non admittitur in Christo fides, sicut nec in Beatis; quia jam possidetur objectum perfectius; ergo ex eadem ratione admitti non debet scientia infusa.

*R. N. Causal. Antec.* Sed ideo non admittitur fides, quia essentialis illi obscuritas obstat statui beatifico; sed huic, ex dictis, scientia per se infusa non obstat. Deinde visio et scientia non habent idem objectum immediatum; unde etiam ex hac parte est diversitas.

384. *Inst. 3.* Nequeunt stare simul scientia attingens Deum absentem, et scientia representans Deum ut præsentem: atqui tales sunt scientia infusa, et beata; quarum prior Deum absentem, posterior ut præsentem representat; ergo.

*R. D. M.* Nequeunt simul stare scientia attingens Deum absentem positive, et scientia, etc. *C.* attingens Deum absentem negative, vel præcisive *N.* Per scientiam infusam cognoscitur Deus absens tantum negative et præcisive; quia scientia hæc non quidem attingit Deum ut præsentem; at non ideo negat esse præsentem, vel affirmat absentem.

385. *Obj. II.* Si detur in Christo scientia per se infusa; ergo ea uti potuisset sine conversione ad phantasmata, vel non: neutrum videtur commode dici posse; ergo.

*R. N. min.* et dico cum Angelico Doctore 3. p. q. 11. a. 2. Ut Christus ea scientia uteretur, non necesse habuisse se convertere ad phantasmata. Ratio est; quod necessitas convertendi se ad phantasmata, oritur ex naturali dependentia et connexionem, quam habent species intelligibiles ad phantasmata, ex eo, quod sunt erute e phantasmatis opera intellectus agentis; ob quam dependentiam nequit intellectus humanus suum speculari objectum, quin illud idem, medio phantasmate corporeo, speculetur phantasia; sed species infusæ nullam habent dependentiam et connexionem ad phantasmata; cum sint propriæ rerum representationes a solo Deo productæ, independentes a sensibus, et organis corporis; ergo.



386. *Obj. III.* Non potest in visione beatifica cognosci Deus, nisi eo modo, quo per eam representatur: atqui visio beatifica representat Deum intuitive; ergo, *Conf.* Cognitio procedens a scientia per se infusa est comprehensiva visionis beatificæ; ergo clarissime representat totum, quod visio de Deo enuntiat.

*R. D. min.* Visio, prout illa est representatio formalis, representat intuitive Deum subjecto visionem elicenti, sive Beato soli, quem informat *C.* Prout est representatio objectiva, ut respectu intellectus alterius, qui Deum cognoscit in visione, tanquam in objecto *N.* Sic scientia beata, vel visio, est objectum respectu scientiæ per se infusæ.

*Ad Conf. R.* Quamvis cognoscatur totum, quod representatur per visionem; tamen non nisi abstractivè attingitur, cum cognoscatur in specie alterius, in quo non continetur eminenter.

## ARTICULUS III.

AN, ET QUALEM SCIENTIAM NATURALEM HABUERIT CHRISTUS?

Scientia naturalis in genere illa dicitur, cujus et objectum non nisi res naturaliter cognoscibiles complectitur, et modus, quo tendit in objectum, naturalis est; hæc, si est acquisita labore proprio, et priorum experimento sensuum, dicitur experimentalis, juxta num. 366. Si est per accidens infusa, naturalis specificè dici solet; rectius, *naturalis infusa* dicitur, ut magis ejus discrimen pateat a *naturali acquisita*, labore proprio, sive experimentalis. De utraque scientia naturali, infusa, et experimentalis, sive acquisita hic quæritur.

387. *Dico I.* Habuit Christi humanitas, præter scientiam beatam, ac infusam per se, scientiam quoque naturalem eamque perfectissimam, per accidens infusam, ab instanti conceptionis suæ.

*Prob. RATIONE.* 1º. Christus ab instanti suæ conceptionis fuit quoad omnes proprietates naturæ suæ humanæ perfectissimus; ergo et habuit hanc scientiam. 2º. Hanc scientiam habuit Adam in ipso creationis suæ momento; ergo a fortiori Christus. *Nec dicas*, Adamo scientiam eam fuisse connaturaliter debitam, quia conditus in ætate perfecta, in qua sine hac non potuisset connaturaliter suum explere officium; nam quod Adamus erat conditus in virili ætate, jam erat Christus quoad rationem in conceptu suo, juxta Jerem. 31. *Femina circumdabit virum.* 3º. Christus ab initio infusus habuit virtutes morales omnes, etiam ordinis naturalis; ergo etiam scientias: tum a paritate rationis; tum quia inter virtutes morales est prudentia, a qua reliquæ virtutes in operando proxime regulantur; prudentia autem supponit notitiam speculativam principiorum et conclusionum. 4º. Christus ab initio uti potuit ratione non modo in actibus supernaturalibus, verum etiam in naturalibus; ergo ab initio scientiis omnibus, etiam naturalibus, instructus esse debuit. 5º. Vel hanc scientiam ergo acquisivit postea per disciplinam ab homine, ut Gnostici et Valentiniani olim fabulati sunt, vel per inventionem a rebus; primum dicit dependentiam ab homine; secundum a rebus; utrumque repugnat perfectioni Christi. 6º. Sequeretur secus, naturalem scientiam in genere in Christo fuisse imperfectam; cum non potuerit in tota vita sua Christus acquirere sibi species rerum omnium.

Ad hanc igitur scientiam naturalem infusam pertinent habitus primorum principiorum naturaliter cognoscibilium; sapientia, scientia; artes, et alia. Cumque infusa esset hæc scientia; licet per accidens, non dependebat a phantasmatis; Christus haud necesse habuit, recurrere ad phantasmata; cum illa scientia uti vellet.

388. *Dico II.* Habuit tamen etiam Christi humanitas scientiam experimentalem, nullo modo infusam, sed propriis actibus successive acquisitam: per quotidianam experientiam, acquirendo novas objectorum species. Est communis Theologorum.

*Prob.* Cum enim natura humana in Christo suis esset instructa sensibus; hi excitabantur a subjectis; a sensibus per species impressas phantasia; et ab his potentia intellectiva et cognitio. Unde non tantum habuit eorum memoriam, quæ sic noverat; sed et multa vidit, audivit, sensit; quæ nullo antea sensu erat expertus. Unde ad Hebr. 5. v. 8. ait de Christo Apostolus: *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam*; nimirum didicit experimentaliter. Differt vero hæc scientia experimentalis ab infusa per accidens, quod hæc abstrahat a tempore et experientia sensuum; experimentalis vero terminetur ad objectum ut sensatum, sensatione præterita vel præsentis: cujus sensationis speciem Christus ante non habebat, sed acquirebat de novo.

389. *Obj. I. cont. Concl. I.* 1º. Jesus proficiebat scientia, ætate, Luc. 2.; ergo carebat scientia naturali infusa. 2º. Subsistentia creata est æque naturaliter conjuncta naturæ humanæ, quam scientia naturalis; sed illa excluditur per subsistentiam divinam; ergo et hæc tum per scientiam beatam; tum infusam per se. 3º. Christus scientia per se infusa jam cognoscebat omnia, quæ cognosci possunt scientia de se acquiribili et per accidens infusa; ergo hæc superfluit. 4º. Doctor Angelicus 3. p. q. 12. a. 2. docet, habitum scientiæ naturalis auctum fuisse per abstractionem specierum, illudque probat allatis aliorum Patrum sententiis.

*Ad 1ºm.* R. ut num. 372. Proficiebat sapientia experimentalis, acquirendo per experientiam novas objectorum species *C.* infusa *subd.* Quoad majorem ostensionem externam *C.* secus *N.* Sic et proficiebat gratia, non quoad habitum, sed actum.

*Ad 2ºm.* *D. M.* Est æque connaturalis naturæ humanæ, et simul æque compossibilis cum subsistentia aliena *N.* cum hac impossibilis *C.* At scientia per accidens infusa nec repugnat scientiæ beatæ, nec infusæ per se: cum una eademque res cognosci possit multiplici luce et genere cognitionis; et quidem magis connaturaliter per scientiam naturalem cognoscuntur res ordinis naturalis; ergo et disparitas est.

*Ad 3ºm.* *R. D.* Scientia per se infusa cognoscebat omnia cognoscibilia, et omni etiam modo, quo cognosci possunt *N.* non omni tamen modo *C.* Ad perfectionem autem intellectus Christi spectat, non solum cognoscere omnia; sed etiam omni eo modo, quo sunt cognoscibilia; ergo et hoc naturali, ne alias scientia naturalis in Christo, secus ac in Adamo, defecisset, juxta prob. 6. Concl.

*Ad 4ºm.* *explico et D.* Auctum fuisse habitum scientiæ naturalis infusæ *N.* experimentalis *C.* Nam de priori contrarium tenet q. 20. de Veritate a. 2.



et in 3<sup>um</sup>. d. 15. a. 3. q. 3. cum S. BONAVENTURA, SCOTO, DURANDO, et aliis. Experimentalis vero, cum sit habitus pluribus experimentis, seu actibus circa singularia, sensibus percepta; augeri potuit: sicut et Christus secundum hanc proficere sapientia.

390. *Obj. II. cont. Concl. II. 1<sup>o</sup>.* Christus ab initio habuit infusas virtutes morales omnes; ut ipsi diximus Concl. 1<sup>a</sup>.; ergo et omnes scientias ita infusas habuit, ut nullam postea acquisierit experientia. 2<sup>o</sup>. A primo instanti erat plenus gratiæ et veritatis; ergo nullam habuit scientiam acquisitam. 3<sup>o</sup>. Si potuisset acquirere scientiam experimentalem, intellectus Christi errare potuisset; error enim intellectus oritur ex errore sensus externi et interni; at in Christo poterat esse error sensuum; sic enim a longe poterat res apparere minor, quam revera esset.

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. N. *Cons.* Licet enim exinde inferatur, Christum pariter habuisse scientiam naturalem infusam; non tamen ideo scientia experimentalis excluditur: scire enim rem experimentaliter, est specialis cognoscendi modus, homini proportionatus ac connaturalis, ac essentialiter connexus experientiæ successu temporis habendæ; unde Christus caruisset modo cognoscendi hominis proprio, si nullam scientiam acquirere potuisset; quale nihil ex antecedente sequitur.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. D. *Ant.* Veritatis illius, quam infundi exigerat unio hypostatica C. talis est utraque infusa, per se, et per accidens. Quæ connaturalis exigebat acquiri N. Talis est experimentalis; propter utramque enim scientiam infusam non debet Christus carere modo cognoscendi alio, hominis sensibus instructi proprio.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. N. *seq. et prob. min.* Tum quia virtute divina Christus poterat ita suos confortare sensus, ut non æque fallerentur, ac nostri: tum quia per excellentissimam intellectus sapientiam, ac scientiam tam beatam, quam infusam facile corrigere poterat sensum, si quando errare contingeret, et si quam errandi occasionem dare vellent phantasmata.

## SECTIO II.

### DE HUMANÆ IN CHRISTO VOLUNTATIS PERFECTIONE.

Ut certum fidei dogma, ex dictis Dissert. II. definitum contra Monotheletas et Eutychianos, supponimus hic duas in Christo voluntates, divinam et humanam. Solum hic de voluntatis humanæ perfectione sermo erit. Quam maxime extollunt; ceu duo ornamenta nobilissima, *impeccabilitas*, et *libertas*, de quibus proinde secuturis Articulis agendum est.

## ARTICULUS I.

AN CHRISTI HUMANITAS OBSTRACTA UNQUAM PECCATO FUERIT, AUT ESSE POTUERIT? ET CUR NON? TUM, AN IN EO LOCUM HABUERIT FOMES PECCATI?

391. Ex antiquioribus hæreticis fuisse, qui ita sentirent, BELLARMINUS notat, et colligi videtur ex Concilio Ephesino Act. 10. Ex recentioribus novatoribus Christianas aures blasphema voce *Calvinus* offendit in cap. 27. Matth. scribens: desperationis verba Christum edidisse in cruce. Tum L. 2. Instit. c. 16. §. 12. Christum, quando descendit ad inferos, de sua dubitasse salute; quod impium est dicere, licet, ut postea conatur emollire, motus illi anteverterint rationem: Dura etiam Durandi vox est in piis Catholicorum auribus, dum in 3<sup>um</sup>. d. 12. q. 2. non repugnare dicit, Deum peccare per assumptam naturam.

392. *Dico I.* Christus, Sanctus Sanctorum, nulli unquam peccato obstrictus fuit. Est de fide.

*Prob. I.* Ex DIVINIS SCRIPTURIS, omnem peccati umbram in Christo excludentibus. Isaias 53. 9. prædixerat de Christo: *Qui iniquitatem non fecit.* Daniel c. 9. *Sanctum Sanctorum* præntiavit. Apostolus testatur, 2. Cor. 15. 24. *Qui non noverat peccatum.* Ad Hebr. 7. 26. *Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Ibid. 4. 15. *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* Porro peccatum originale removet a Christo angelus, Luc 1. v. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* De actuali vero, imo peccato quolibet, exposulabat Christus ipse cum Judæis, Joan. 8. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

393. *Prob. II.* Auctoritate ECCLESIE et PATRUM. Concilium Ephesinum Anathem. 10. S. CYRILLI Alex. approbans ita definit (Labb. t. 3. p. 409. C.): *Si quis Christum pro seipso quoque, et non potius pro nobis solis sacrificium obtulisse affirmaverit (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccatum commiserat), anathema sit.* Concors etiam est Patrum traditio et sensus Inter hos S. DIONYSIUS Alexandrin. epist. contra Paulum Samosatenum (Labb. t. 4. p. 855. C.): *Nisi, inquit, Christus idem esset Deus Verbum, non poterat a peccato immunis esse. Nullus enim peccato est expers, nisi solus Christus; sicut et Pater Christi et Spiritus sanctus.* S. ATHANAS. orat. 1<sup>a</sup>, cont. Arian. n. 51. agens de mutabilitate hominum secundum iustitiam et peccatum: *Primo, inquit, homine mutato, et morte per peccatum in mundum introgressa; necesse omnino fuit, secundum Adam immutabilem esse, quo, si denuo serpens eum invaderet, impostura illius vim nullam et efficaciam haberet.* S. AMBROS. Lib. de Incarnat. Domin. Sacram. c. 7. n. 65. *Quomodo lubricum poterat timere peccati, qui peccatum remissurus advenerat?* Similibus sententiis pleni sunt Patrum codices. S. AUC. L. de Prædest. Sanctorum. c. 15. n. 30. L. de Nat. et Grat. c. 36., S. CYRILL. Alexandrin. Lib. 11. in Joan. (opp. t. 4. p. 985. D.), S. LEO epist. 28. ad Flavianum. cap. 2., etc.



et in 3<sup>um</sup>. d. 15. a. 3. q. 3. cum S. BONAVENTURA, SCOTO, DURANDO, et aliis. Experimentalis vero, cum sit habitus pluribus experimentis, seu actibus circa singularia, sensibus percepta; augeri potuit: sicut et Christus secundum hanc proficere sapientia.

390. *Obj. II. cont. Concl. II. 1<sup>o</sup>.* Christus ab initio habuit infusas virtutes morales omnes; ut ipsi diximus Concl. 1<sup>a</sup>.; ergo et omnes scientias ita infusas habuit, ut nullam postea acquisierit experientia. 2<sup>o</sup>. A primo instanti erat plenus gratiæ et veritatis; ergo nullam habuit scientiam acquisitam. 3<sup>o</sup>. Si potuisset acquirere scientiam experimentalem, intellectus Christi errare potuisset; error enim intellectus oritur ex errore sensus externi et interni; at in Christo poterat esse error sensuum; sic enim a longe poterat res apparere minor, quam revera esset.

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. N. *Cons.* Licet enim exinde inferatur, Christum pariter habuisse scientiam naturalem infusam; non tamen idcirco scientia experimentalis excluditur: scire enim rem experimentaliter, est specialis cognoscendi modus, homini proportionatus ac connaturalis, ac essentialiter connexus experientiæ successu temporis habendæ; unde Christus caruisset modo cognoscendi hominis proprio, si nullam scientiam acquirere potuisset; quale nihil ex antecedente sequitur.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. D. *Ant.* Veritatis illius, quam infundi exigebat unio hypostatica C. talis est utraque infusa, per se, et per accidens. Quæ connaturalis exigebat acquiri N. Talis est experimentalis; propter utramque enim scientiam infusam non debet Christus carere modo cognoscendi alio, hominis sensibus instructi proprio.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. N. *seq. et prob. min.* Tum quia virtute divina Christus poterat ita suos confortare sensus, ut non æque fallerentur, ac nostri: tum quia per excellentissimam intellectus sapientiam, ac scientiam tam beatam, quam infusam facile corrigere poterat sensum, si quando errare contingeret, et si quam errandi occasionem dare vellent phantasmata.

## SECTIO II.

### DE HUMANÆ IN CHRISTO VOLUNTATIS PERFECTIONE.

Ut certum fidei dogma, ex dictis Dissert. II. definitum contra Monotheletas et Eutychianos, supponimus hic duas in Christo voluntates, divinam et humanam. Solum hic de voluntatis humanæ perfectione sermo erit. Quam maxime extollunt; ceu duo ornamenta nobilissima, *impeccabilitas*, et *libertas*, de quibus proinde secuturis Articulis agendum est.

## ARTICULUS I.

AN CHRISTI HUMANITAS OBSTRACTA UNQUAM PECCATO FUERIT, AUT ESSE POTUERIT? ET CUR NON? TUM, AN IN EO LOCUM HABUERIT FOMES PECCATI?

391. Ex antiquioribus hæreticis fuisse, qui ita sentirent, BELLARMINUS notat, et colligi videtur ex Concilio Ephesino Act. 10. Ex recentioribus novatoribus Christianas aures blasphema voce *Calvinus* offendit in cap. 27. Matth. scribens: desperationis verba Christum edidisse in cruce. Tum L. 2. Instit. c. 16. §. 12. Christum, quando descendit ad inferos, de sua dubitasse salute; quod impium est dicere, licet, ut postea conatur emollire, motus illi anteverterint rationem: Dura etiam Durandi vox est in piis Catholicorum auribus, dum in 3<sup>um</sup>. d. 12. q. 2. non repugnare dicit, Deum peccare per assumptam naturam.

392. *Dico I.* Christus, Sanctus Sanctorum, nulli unquam peccato obstrictus fuit. Est de fide.

*Prob. I.* Ex DIVINIS SCRIPTURIS, omnem peccati umbram in Christo excludentibus. Isaias 53. 9. prædixerat de Christo: *Qui iniquitatem non fecit.* Daniel c. 9. *Sanctum Sanctorum* præntiavit. Apostolus testatur, 2. Cor. 15. 24. *Qui non noverat peccatum.* Ad Hebr. 7. 26. *Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Ibid. 4. 15. *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* Porro peccatum originale removet a Christo angelus, Luc 1. v. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* De actuali vero, imo peccato quolibet, exposulabat Christus ipse cum Judæis, Joan. 8. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

393. *Prob. II.* Auctoritate ECCLESIE et PATRUM. Concilium Ephesinum Anathem. 10. S. CYRILLI Alex. approbans ita definit (Labb. t. 3. p. 409. C.): *Si quis Christum pro seipso quoque, et non potius pro nobis solis sacrificium obtulisse affirmaverit (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccatum commiserat), anathema sit.* Concors etiam est Patrum traditio et sensus Inter hos S. DIONYSIUS Alexandrin. epist. contra Paulum Samosatenum (Labb. t. 4. p. 855. C.): *Nisi, inquit, Christus idem esset Deus Verbum, non poterat a peccato immunis esse. Nullus enim peccato est expers, nisi solus Christus; sicut et Pater Christi et Spiritus sanctus.* S. ATHANAS. orat. 1<sup>a</sup>, cont. Arian. n. 51. agens de mutabilitate hominum secundum iustitiam et peccatum: *Primo, inquit, homine mutato, et morte per peccatum in mundum introgressa; necesse omnino fuit, secundum Adam immutabilem esse, quo, si denuo serpens eum invaderet, impostura illius vim nullam et efficaciam haberet.* S. AMBROS. Lib. de Incarnat. Domin. Sacram. c. 7. n. 65. *Quomodo lubricum poterat timere peccati, qui peccatum remissurus advenerat?* Similibus sententiis pleni sunt Patrum codices. S. AUC. L. de Prædest. Sanctorum. c. 15. n. 30. L. de Nat. et Grat. c. 36., S. CYRILL. Alexandrin. Lib. 11. in Joan. (opp. t. 4. p. 985. D.), S. LEO epist. 28. ad Flavianum. cap. 2., etc.



Id ipsum cuilibet dictat recta ratio. Nam præterquam, quod deforme omnino, et indignum persona divina fuisset, adeoque repugnans, in ulla sua natura peccato contaminari; nihil etiam id conduxisset ad assequendum incarnationis finem; sed obstitisset potius, ut 3. p. q. 15. a. 1. in 6. demonstrat Doctor Angelicus.

394. *Obj. 1<sup>o</sup>. Ps. 22. David in persona Christi morientis ait: Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum;* ergo Christus delicta habuit; illa enim in persona Christi dicta fuisse constat ex Matth. 27. 45., Marc. 15. 34. et expositione Patrum 2<sup>o</sup>. Verba illa Christi: *Ut quid dereliquisti me?* dubitationem, vel desperationem, vel impatientiam certe præferunt. 3<sup>o</sup>. Christus in horto orans, Matth. 27. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste,* divinam ordinationem immutari voluit, juxta quam sibi subeundam noverat mortem crucis; sed hoc correctione in Christo eguit. Ita Calvinus.

Ad 1<sup>um</sup>. N. Cons. vel D. Habuit delicta propria N. aliena, hominum, quæ in se susceperat passione et morte expianda C. Juxta Augustin. ep. 140. ad Honoratum c. 6. n. 17. 18. et Damascen. Lib. 3. cap. 24. loquitur de peccatis membrorum suorum, quorum ipse caput est; vel quia illa juxta beneplacitum Patris libere recepit, pro illis satisfactorius, juxta illud Is. 53. *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.* Nam et communi loquendi modo appellare solemus debitum nostrum, etiam illud, quod recepimus nos esse dissoluturos, tametsi sit alienum. Atque hoc etiam modo eam Christi locutionem exposuit S. Aug. Expositione 2. in Ps. 21. n. 3. *Quomodo dicit: delictorum meorum? nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, et delicta nostra sua delicta fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret.*

Etsi vero hoc ita sit, recte tamen in Concilio Basileensi Sess. 22. damnata est illa cujusdam Augustini de Roma propositio, tanquam sapiens blasphemiam: *Christus quotidie peccat in membris suis;* non enim hic loquendi modus perinde admittit illum sensum: scilicet peccata membrorum Christi, illius esse, quoniam sunt membrorum ipsius, et recepit pro illis se satisfactorius; sed quid aliud isto loquendi modo innuitur: nempe Christo imputari peccata membrorum, seu Christum ipsum cum illis peccare, etc., quod blasphemum est.

Ad 2<sup>um</sup>. R. N. Blasphemum assertum. Sed verba erant dolorem naturalem exprimentia, quibus significabat admirationem quamdam humanam divini consilii, adeo severi in Filium. Hos vero dolores expressit ideo, inquit S. Epiphanius hæc. 69. n. 64., *ut Incarnationem non specie duntaxat adumbratam; sed reipsa, vereque administratam fuisse discamus.* Quam S. Epiphanius rationem tenent Patres alii, Origenes homil. 35. in Matth. n. 135., S. Cyrillus Alexandrin. L. 2. de fide ad Reginas (opp. t. 5. part. 2<sup>a</sup>. p. 140.).

Ad 3<sup>um</sup>. R. N. Ant. Constat ex S. Luca, qui idem distinctius refert c. 22. 42. *Pater, si vis, transfer calicem istum a me: peruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Igitur reipsa immutationem ordinationis divinæ non petiit; sed ut ea voluntate conditionata, et horrore naturali mortis ostenderet se verum hominem, ut supra diximus num. 375. nec proinde voluntas illa mala fuit, correctione egens, ut blasphemus Calvinus censuit; sed omnino

consentanea humanæ naturæ, atque adeo prorsus recta. Impletum ea petitione fuit, interprete S. Justino M. Dialogo contra Tryphonem n. 99., quod regius Vates præcinuerat Ps. 21. 3. *Clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi; ergo sapienter ita oraverat.*

395. *Dico II.* Nec potuit Christi humanitas ullo peccato obstringi. Est certa et communis Doctorum sententiâ contra Durandum et nonnullos.

*Prob. I.* CONCILIA ET PATRES non tantum peccatum qualecumque, sed ipsam peccandi potentiam e Christo penitus excludunt. Nam 1<sup>o</sup>. Synodus gen. VI. Act. 8. definitive ait (Labb. t. 6. p. 761. D.): *Humanam impeccabilem voluntatem assumpsit Dominus noster Jesus Christus humane sue naturæ.* Et Act. 10. (ibid. p. 809. B.) approbat sententiam S. Gregorii Nazianzeni, 2. serm. de Filio (al. orat. 30. n. 12.), dicentis: *Dicitur descendisse de cælo Filius, non ut faciat voluntatem suam, sed ejus qui misit eum. Sane nisi ab illo ipso qui descendit, hic sermo haberetur, dicere possemus hæc verba velut ab homine exprimi, non qui de Salvatore intelligatur (illius enim voluntas, cum tota deificata sit, Deo procul dubio non adversatur), id est, non repugnat divinæ voluntati.* 2<sup>o</sup>. Consonant SS. Patres plerique. S. Augustin. L. de corrept. et gratia c. 11. n. 30.: *Neque metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium; cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis... nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* S. Cyrillus Alexandrin. L. 10. in Joan. c. 14. (opp. t. 4. p. 854. C.): *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam... propria quippe ejus (diaboli) sunt mala, et peccati origo principem et auctorem eum agnoscit. Quod autem verum sit ille sermo Salvatoris, ex ipso potissimum ordine et serie verborum licet agnoscere. Quomodo enim peccavit qui peccatum non novit, ille natura et veritate Deus? S. Anselmus L. 2. cur Deus homo cap. 40.: Si Adam moriturus non erat, si non peccasset, multo magis iste (Christus) mortem pati non deberit, in quo peccatum esse non poterit, quia Deus erit.* S. Athanasius L. 1. contr. Apollinar. n. 7.: *Adæ lapsum in incomparabilem reparationem Christus, in similitudine carnis peccati apparens, peccatumque in carne condemnans, restituit; ita ut carne indutus in terra versaretur, et carnem peccati incapacem exhiberet: quam cum peccati expertem Adam ex prima formatione habuisset, ex prævaricatione illam peccati capacem fecit, ac in corruptionem et mortem delapsus est. Hanc Christus suscitavit natura impeccabilem... ut ipse esset impeccabilitatis specimen.* S. Hilarius L. 10. de Trinit. n. 23.: *Homo Christus Jesus et in veritate nativitatis est dum homo est, et non est in peccati proprietate dum Christus est: quia et qui homo est, non potuit non homo esse quod natus est, et qui Christus est, non potuit amisisse quod Christus est.* Plures vide apud Suarez de Incarnat. q. 15. disp. 33. sect. 2. et Petavium ibid. L. 11. c. 10.

396. *Prob. II.* RATIONE. Si humanitas Christi peccaret, peccatum redundaret in suppositum divinum secundum se, non tantum denominative (actiones enim sunt suppositorum; ergo operationes, quæ ab humanitate effective procedunt, sunt actiones illius suppositi, vel Verbi): sed etiam formaliter. Peccatum enim, utpote cum præcepto divino pugnans, adeo



malum et deforme est, ut quilibet teneatur illud a natura sua, et quacumque sui parte sibi substantialiter unita arcere, ita ut, si hoc non faciat, peccet, et delinquat eo ipso per eam sui partem, qua potuisset peccatum prohibere; nam et ideo nos etiam per rationem et vim animi superiorem tenemur omnino peccatum, et motum pravum cum lege divina pugnantem prohibere, si possumus, non solum in ipsa ratione; sed etiam in appetitu sensitivo, qui subsistit in nobis; idque nisi faciamus, ipsi quoque secundum rationem delinquimus.

Igitur, cum humana natura substantialiter unita sit supposito Verbi divini, nisi suppositum per divinam naturam suam omnino peccatum removeret, cum possit, in natura humana; eo ipso secundum divinam etiam naturam admitteret aliquid prorsus deforme, et abhorrens a sua bonitate summa, adeoque delinqueret; non quidem contra aliquod præceptum superioris, cum persona divina superiorem non habeat; sed contra naturam et conditionem bonitatis suæ, quæ ejusmodi est, ut data hypothesi, quod naturam humanam sibi substantialiter unitam teneat, debeat prorsus omne ab illa peccatum remove.

397. *Dico III.* Impeccabilitas Christi hominis oritur non ex vi solius visionis beatificæ; sed etiam unionis hypostaticæ, ita ut, seclusa etiam visione beata, Christus adhuc foret essentialiter impeccabilis.

Communis Theologorum contra Scot. et Durand. impeccabilitatem Christi ex sola visione beatifica derivantes. Equidem impeccabilem esse Christi humanitatem vi visionis beatificæ, constat: tum quia hæc necessitat ad amorem Dei, expulsivum omnis peccaminosi effectus; tum quia representat Deum sub ratione boni infiniti, ita ut nulla prorsus in ea reluceat ratio mali; unde representare nequit amorem Deo oppositum ut eligibilem. Solum hic igitur probandum superest, alterum: eandem vim exclusivam peccati omnis inesse etiam unioni hypostaticæ, seclusa licet visione beata. Quare

*Prob. Concl. 1<sup>o</sup>.* Quia relata num. præc. Concilia, sanctique Patres constanter impeccabilitatem Christi in unionem hypostaticam refundunt; ut legenti patebit. 2<sup>o</sup>. Idem ostendit prob. 2. Concl. prioris. 3<sup>o</sup>. Sanctitas ex suo conceptu, ut alibi defendimus, est impossibilis cum peccato lethali; igitur multo magis unio hypostatica ob sanctitatem multo majorem omne excludit peccatum; scilicet præterquam quod ex peccato illo humanitatis persona divina, ex natura sua infinite sancta, amabilis, etc., dici deberet peccatrix, odibilis Deo, etc., quæ prædicata repugnant; hæc insuper unio est summa communicatio omnis possibilis sanctitatis, quæ excludit omnem culpæ, vel immunditiæ umbram in eo, in quo est.

398. *Obj. I. contra Concl. 2<sup>am</sup>. et 3<sup>am</sup>.* Humanitas per unionem hypostaticam non immutata fuit, sed permansit ejusdem rationis cum naturis cæteris, quæ assumptæ non sunt; ergo mansit peccabilis, uti aliæ naturæ.

*R. D. Ant.* Non fuit immutata intrinsece quoad constitutiva naturæ C. quoad potentiam ut proxime expeditam ex positione impedimentorum N. Et D. alterum; permansit ejusdem rationis quoad constitutiva intrinseca C. quoad subsistentiam et dona naturæ superaddita N. Argumentum solum probat,

quod Christi humanitas habuerit potentiam peccandi remotam, non autem proximam et expeditam, quæ intelligitur nomine peccabilitatis simpliciter, et præter voluntatem importat concursum indifferentem Dei ad bonum et malum, tum negationem omnis impedimenti impossibilis cum peccato; sed hujusmodi impedimentum est unio, ac dona alia inde fluentia, quæ faciunt, ut potentia non sit proxime expedita ad peccandum, sed impedita.

399. *Obj. II.* Sicut non repugnat sanctitati summæ passio et mors, ut suppositum divinum denominari potuerit, patiens et moriens; sic nec peccatum. *Conf.* Imo sanctitas accidentaliter potest divinitus stare cum mortali, et naturaliter cum veniali; ergo etiam sanctitas in Christo.

*R. N. parit.* Passio, mors, in se indecentiam moralem non continent, sicut peccatum; unde mortem, aliaque mala pure physica potest Deus positive velle ob honestos fines, et inferre naturæ assumptæ; e contra peccatum, utpote malum morale, positive velle nequit.

*Ad Conf. R. Ant.* communissime Theologis falsum est. Sed et dispar est ratio; sanctitas quippe accidentaliter non est summa, quæ major non possit esse, vel concipi; nec constituit suppositum divinum: at talis est sanctitas substantialis, increata, quæ specialissimam Dei assistentiam exigit ad non peccandum; ne secus peccatum in ipsum redundet divinum suppositum.

400. *Obj. III.* Actio peccaminosa non magis posset imputari Verbo, quam Deo peccata reliquorum hominum; ad illam enim tantum ut causa universalis concurreret. *Conf.* Sic etiam, quando humanitas exercebat actus meritorios, Verbum non dicebatur mereri; ergo et, peccante humanitate, non ideo denominatio peccantis in Verbum caderet.

*R. N. Ant.* ejusque *prob.* Hoc ipso enim, quod Verbum assumpserit naturam, factum est illius suppositum, sicut natura facta est aliquid Verbi; adeoque et factum est principium, quod est causa particularis actionum omnium.

*Ad Conf. R. Disparitas* est, quia Verbum permittendo actionem inhonestam in sua natura humana, voluntate divina in illam consentiret, sicut dixi in prob. 2.; eamque produceret ut suam; ergo illi secundum se non immerito imputaretur peccatum. Sed consentire in actum meritorium, non est meruisse; quia mereri respicit superiorem et præmium, quod nondum est merentis; quæ in Verbum secundum se non cadunt; non enim potuit actiones meritorias offerre alteri tanquam superiori, a se natura et voluntate distincto, a quo præmium reciperet.

401. *Obj. IV. 1<sup>o</sup>.* Impeccabilitas humanitatis Christi nequit æquare impeccabilitatem Dei; sed solus Deus dicitur absolute et simpliciter impeccabilis. 2<sup>o</sup>. Gratia et peccatum non opponuntur quoad potentiam, sed actum; ergo nec sanctitas Christi pugnat cum potentia proxima ad peccandum. 3<sup>o</sup>. Justus potest peccando perdere gratiam; ergo et humanitas unionem.

*Ad 1<sup>um</sup>. R. D. min.* Solus Deus dicitur simpliciter impeccabilis per essentiam, adeoque et radicaliter et remote C. solus impeccabilis omni sensu N. Nam et Beati impeccabiles sunt. Creatura igitur potest esse etiam impeccabilis, licet non eo modo, quo Deus; remote tamen: quia positio impedi-



mentorum facit; ut potentia non possit unquam prodire in actum, sicque non sit potentia ut proxime expedita ad peccatum.

Ad 2<sup>um</sup>. R. N. Cons. *Disparitas est*. Gratia et peccatum humanæ voluntati sunt accidentaliter, et ejus subsunt libertati, quæ ideo potentiam requirit ad illa; sed sanctitas Christi qua talis non est accidentaliter, sed substantialiter, intrinsicè constitutiva, dignificativa, quæ excludit et potentiam et actum.

Ad 3<sup>um</sup>. R. *Disparitas est*, quia gratia non constituit suppositum; hinc non omnes actiones justæ sunt actiones gratiæ; ergo et a justis procedere potest actio gratiæ opposita, ejusque expulsiva. At Verbum essentialiter sanctum humanitatis in Christo suppositum constituit.

402. *Dico IV.* Nequidem in Christo peccati fomes fuit, sive actu primo, sive secundo; sed uterque in eo extinctus fuit. Pro quo

*Observa.* Nomine fomitis non intelligitur præcise appetitus sensitivi substantia, quia hæc etiam fuisset in statu innocentiae; sed fomes hic in actu primo, est appetitus ille ut dispositus proxime ad motus inordinatos, adversantes rationi: quibus videlicet illam prævenit, illi resistit, atque ad objecta illicita inclinat. Unde potentiæ appetitivæ superaddit carentiam subjectionis illius ad rationem, qua insignitus erat homo in statu innocentiae. In actu secundo autem, sunt actus ipsi sensualitatis, sive appetitus sensitivi actualiter motus ad bona illicita, rationem antevergentes, vel prævenientes. Præterea fomes ille in homine ligari potest; item extinguere. *Ligari* tunc dicitur, quando Deus speciali ex providentia occasiones, objectaque removet omnia, e quibus secus orirentur hujusmodi inordinati motus. *Extingui* vero, quando, præsentibus etiam objectis, appetitus sic subordinatur rationi, ut non possit, nisi ex rationis imperio, prodire in actum, nec prodire ultra, quam ratio postulet. His positis

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Ex Synodo gen. V. Collat. 8. Can. 12. (Labb. t. 5. p. 373. B.) damnante eos, qui, cum Theodoro Mopsuesteno, Christum dicebant obnoxium fuisse passionibus concupiscentiæ, in iisque domandis profecisse. Idem SS. Patres tradunt. S. LEO M. epist. 35. ad Julianum c. 3. sub finem, ubi inquit, Christum nihil carnis suæ habuisse adversum; S. AGATHO epist. ad Constantinum imperatorem, lecta in Synodo gener. VI. Act. 4. (Labb. t. 6. p. 684.); S. AUGUSTINUS L. 2. de peccator. merit. cap. 29. n. 48.; S. JOANNES DAMASCENUS L. 3. de Fide c. 20. aliique.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Quia appetitus sensitivus, ut proxime dispositus, in hominibus effectus est peccati originalis; at hoc caruisse Christum, est fide certum. Deinde etiam fomes in actu primo aliquid inordinati et imperfecti continet. Ac demum appetitus in Christo impediatur a voluntate et perpetua rationis advertentia, ne inordinate moveri posset. Minus igitur adhuc fomes in actu secundo in Christo fuit; hic enim est motus actualis appetitus sensitivi ad objectum sensibile contrarium rationi, prævertens rationem, et inclinans ad peccatum: at talis in Christo esse prorsus non potuit; tum ob peculiarem Verbi assistentiam, cujus erat tales motus impedire; tum ob sanctitatem suam summam; tum ob despoticum voluntatis imperium in appetitum: quod Christum decebat multo magis, quam in statu innocentiae Adamum, vel Beatum in gloria.

*Prob. 3<sup>a</sup>. p.* Nam sequitur hæc ex dictis; extinguere enim fomitem, est,

non posse illum prodire in actum, vel propter negationem concursus divini, vel propter perfectionem donorum gratiæ et habitus virtutum, aliasve qualitates infusas appetitum cohibentes; cum enim inclinatio illa appetitui essentialis non sit, sed accidentaliter, tolli potest, vel præpediri; sed passionibus Christi naturalibus per assistentiam Dei specialissimam, et auxilia efficacissima et plurima, quæ unio hypostatica exigebat, ita subjectæ erant rationi, ut nunquam, nisi ex ejus præscripto, se moverent.

## ARTICULUS II.

AN, ET QUAM LIBERTATEM HABUERIT VOLUNTAS CHRISTI HUMANA, ETIAM AD ACTUS INÆQUALIS PERFECTIOMIS?

403. *Liberum* in genere aliud dicitur a servitute, aliud a coactione, aliud a necessitate. *Primum* est, quod alieno dominio subjectum non est, diciturque solet *libertas liberationis*, eaque triplex est; prima est liberatio a servitute qualicumque, et simpliciter appellatur libertas a servitute; altera est liberatio a peccato, et vocari subinde a Patribus solet libertas gratiæ; tertia est liberatio ab hujus vitæ miseriis, vocaturque libertas gloriæ, aut vitæ æternæ. *Secundum*, liberum a coactione dicitur vulgo *libertas a coactione*, et consistit in immunitate a violentia, dum quis non coactus vi, spontaneè ac voluntarie operatur. Atque hoc sensu Deus se ipsum, et Beati Deum amat libere; deque hac libertate ait Aug. in Enchirid. *Voluntas aut voluntas non est, aut libera est. Tertium est libertas a necessitate, sive indifferentiæ*; estque sola proprie dicta libertas; ac definitur potestas proxime expedita operandi, vel non operandi; vel operandi aliter, aut etiam actum oppositum.

Libertatem solummodo a coactione admisit Jansenius, et ante eum nonnulli Doctores catholici, ut se difficultatibus expedirent in hac questione occurrentibus: si enim humana Christi voluntas impeccabilis; quomodo libera ad servanda præcepta? Aut si perfecte libera; quomodo impeccabilis? Ex aliis vero Doctoribus catholicis libertatem Christi ita nonnulli limitant, ut velint, Christum habuisse necessitatem saltem moralem ad optimum: ut ex actionibus bonis debuisset exercere optimam, non quidem semper optimam actionum possibilium; sed illarum, ad quas hic et nunc dispositionem habebat, ob actualem applicationem objecti, et concursum paratum.

404. *Dico I.* Humana Christi voluntas libertate privata non fuit. Est certum fidei dogma.

*Prob. Is. 53. Oblatus est, quia ipse voluit.* Joan. 10. 18. Christus ipse, *Nemo*, inquit, *tollit eam (animam) a me; sed ego pono eam a meipso: et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Sed hæc, similiaque Christi libertatem sat clare demonstrant. Hanc veritatem docent quoque Patres et Concilia, dum definiunt: fuisse in Christo proprietates naturæ humanæ omnes, inter quas libertas est potissima. Et ratio evidenter ostendit. Nam Christus, ut definit Trident. Sess. 6. cap. 7., fuit meritoria causa nostræ justificationis et salutis; ad meritum vero necessaria est libertas. Neque obstat, quod



mentorum facit; ut potentia non possit unquam prodire in actum, sicque non sit potentia ut proxime expedita ad peccatum.

Ad 2<sup>um</sup>. R. N. *Cons. Disparitas est.* Gratia et peccatum humanæ voluntati sunt accidentaliter, et ejus subsunt libertati, quæ ideo potentiam requirit ad illa; sed sanctitas Christi qua talis non est accidentaliter, sed substantialiter, intrinsicè constitutiva, dignificativa, quæ excludit et potentiam et actum.

Ad 3<sup>um</sup>. R. *Disparitas est,* quia gratia non constituit suppositum; hinc non omnes actiones justæ sunt actiones gratiæ; ergo et a justo procedere potest actio gratiæ opposita; ejusque expulsiva. At Verbum essentialiter sanctum humanitatis in Christo suppositum constituit.

402. *Dico IV.* Nequidem in Christo peccati fomes fuit, sive actu primo, sive secundo; sed uterque in eo extinctus fuit. Pro quo

*Observa.* Nomine fomitis non intelligitur præcise appetitus sensitivi substantia, quia hæc etiam fuisset in statu innocentiae; sed fomes hic in actu primo, est appetitus ille ut dispositus proxime ad motus inordinatos, adversantes rationi: quibus videlicet illam prævenit, illi resistit, atque ad objecta illicita inclinat. Unde potentiæ appetitivæ superaddit carentiam subjectionis illius ad rationem, qua insignitus erat homo in statu innocentiae. In actu secundo autem, sunt actus ipsi sensualitatis, sive appetitus sensitivi actualiter motus ad bona illicita, rationem antevergentes, vel prævenientes. Præterea fomes ille in homine ligari potest; item extinguui. *Ligari* tunc dicitur, quando Deus speciali ex providentia occasiones, objectaque removet omnia, e quibus secus orirentur hujusmodi inordinati motus. *Extingui* vero, quando, præsentibus etiam objectis, appetitus sic subordinatur rationi, ut non possit, nisi ex rationis imperio, prodire in actum, nec prodire ultra, quam ratio postulet. His positis

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Ex Synodo gen. V. Collat. 8. Can. 12. (Labb. t. 5. p. 373. B.) damnante eos, qui, cum Theodoro Mopsuesteno, Christum dicebant obnoxium fuisse passionibus concupiscentiæ, in iisque domandis profecisse. Idem SS. Patres tradunt. S. LEO M. epist. 35. ad Julianum c. 3. sub finem, ubi inquit, Christum nihil carnis suæ habuisse adversum; S. AGATHO epist. ad Constantinum imperatorem, lecta in Synodo gener. VI. Act. 4. (Labb. t. 6. p. 684.); S. AUGUSTINUS L. 2. de peccator. merit. cap. 29. n. 48.; S. JOANNES DAMASCENUS L. 3. de Fide c. 20. aliique.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Quia appetitus sensitivus, ut proxime dispositus, in hominibus effectus est peccati originalis; at hoc caruisse Christum, est fide certum. Deinde etiam fomes in actu primo aliquid inordinati et imperfecti continet. Ac demum appetitus in Christo impediatur a voluntate et perpetua rationis advertentia, ne inordinate moveri posset. Minus igitur adhuc fomes in actu secundo in Christo fuit; hic enim est motus actualis appetitus sensitivi ad objectum sensibile contrarium rationi, prævertens rationem, et inclinans ad peccatum: at talis in Christo esse prorsus non potuit; tum ob peculiarem Verbi assistentiam, cujus erat tales motus impedire; tum ob sanctitatem suam summam; tum ob despoticum voluntatis imperium in appetitum: quod Christum decebat multo magis, quam in statu innocentiae Adamum, vel Beatum in gloria.

*Prob. 3<sup>a</sup>. p.* Nam sequitur hæc ex dictis; extinguui enim fomitem, est,

non posse illum prodire in actum, vel propter negationem concursus divini, vel propter perfectionem donorum gratiæ et habitus virtutum, aliasve qualitates infusas appetitum cohibentes; cum enim inclinatio illa appetitui essentialis non sit, sed accidentaliter, tolli potest, vel præpediri; sed passionibus Christi naturalibus per assistentiam Dei specialissimam, et auxilia efficacissima et plurima, quæ unio hypostatica exigebat, ita subjectæ erant rationi, ut nunquam, nisi ex ejus præscripto, se moverent.

## ARTICULUS II.

AN, ET QUAM LIBERTATEM HABUERIT VOLUNTAS CHRISTI HUMANA, ETIAM AD ACTUS INÆQUALIS PERFECTIOMIS?

403. *Liberum* in genere aliud dicitur a servitute, aliud a coactione, aliud a necessitate. *Primum* est, quod alieno dominio subjectum non est, diciturque solet *libertas liberationis*, eaque triplex est; prima est liberatio a servitute qualicumque, et simpliciter appellatur libertas a servitute; altera est liberatio a peccato, et vocari subinde a Patribus solet libertas gratiæ; tertia est liberatio ab hujus vitæ miseriis, vocaturque libertas gloriæ, aut vitæ æternæ. *Secundum*, liberum a coactione dicitur vulgo *libertas a coactione*, et consistit in immunitate a violentia, dum quis non coactus vi, spontaneè ac voluntarie operatur. Atque hoc sensu Deus se ipsum, et Beati Deum amat libere; deque hac libertate ait Aug. in Enchirid. *Voluntas aut voluntas non est, aut libera est.* *Tertium* est *libertas a necessitate*, sive *indifferentiæ*; estque sola proprie dicta libertas; ac definitur potestas proxime expedita operandi, vel non operandi; vel operandi aliter, aut etiam actum oppositum.

Libertatem solummodo a coactione admisit Jansenius, et ante eum nonnulli Doctores catholici, ut se difficultatibus expedirent in hac questione occurrentibus: si enim humana Christi voluntas impeccabilis; quomodo libera ad servanda præcepta? Aut si perfecte libera; quomodo impeccabilis? Ex aliis vero Doctoribus catholicis libertatem Christi ita nonnulli limitant, ut velint, Christum habuisse necessitatem saltem moralem ad optimum: ut ex actionibus bonis debuisset exercere optimam, non quidem semper optimam actionum possibilium; sed illarum, ad quas hic et nunc dispositionem habebat, ob actualem applicationem objecti, et concursum paratum.

404. *Dico I.* Humana Christi voluntas libertate privata non fuit. Est certum fidei dogma.

*Prob. Is. 53. Oblatus est, quia ipse voluit.* Joan. 10. 18. Christus ipse, *Nemo*, inquit, *tollit eam (animam) a me; sed ego pono eam a meipso: et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Sed hæc, similiaque Christi libertatem sat clare demonstrant. Hanc veritatem docent quoque Patres et Concilia, dum definiunt: fuisse in Christo proprietates naturæ humanæ omnes, inter quas libertas est potissima. Et ratio evidenter ostendit. Nam Christus, ut definit Trident. Sess. 6. cap. 7., fuit meritoria causa nostræ justificationis et salutis; ad meritum vero necessaria est libertas. Neque obstat, quod



Christus peccare non potuerit; ut enim recte AUGUSTIN. I. de Prædestin. SS. cap. 15. n. 30. inquit: *Numquid... ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat?* Illa igitur Christi libertas, etsi ad peccandum actu se non extenderet obunionem hypostaticam ac divinum suppositum, non ideo in ordine ad varios actus alios in ipso exulabat, aut minus expedita fuit.

405. *Dico II.* Voluntas Christi humana non tantum a coactione, sed et a necessitate perfecte libera fuit.

*Prob. I. Auctoritate SCRIPTURÆ.* Ad Hebr. 12. 2. ait de Christo Apostolus: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta;* ubi supponit Apostolus, potuisse Christum, si voluisset, crucem non sustinere. Unde in verba illa S. CHRYS. homil. 28. n. 2. *Erat ergo ei promptum, si voluisset, non venire ad crucem;* sed hoc libertatis indifferentiæ est. Hanc porro declaravit in æ Christo, Joan. 10. ante cit.: *potestatem habeo, etc.* Nam, ut S. AUG. Tr. 119. in Joan. n. 6. explicat libertatem, qua Christus est mortuus: *Quis ita vestem ponit quando voluerit, sicut se carne exiit quando voluit? Quis ita cum voluerit abit, quomodo cum voluerit obiit?* Sed hæc perfectissima libertas fuit. Similiter Tr. 37. n. 9. in illud Joan. 8. v. 20. *nemo apprehendit eum: Quamdiu, ait, voluit, inter homines vixit; quando voluit, a carne discessit: hoc est potestatis, non necessitatis.*

406. *Prob. II.* In Christo statuenda est libertas ea, quæ necessaria est ad meritum; Christus enim juxta Trid. Sess. 6. cap. 7. justificationis nostræ est causa meritoria; at libertas necessaria ad meritum, non est tantum libertas a coactione, sed etiam a necessitate: sive libertas indifferentiæ, operandi, vel non. *Prob. min.* ex Trid. Sess. 6. cap. 5. et Can. 4. ubi libertatem ad meritum requisitam definit per potentiam indifferentem ad utrumlibet, sive per potentiam consentiendi, vel non consentiendi gratiæ excitanti. Et ex prop. 3<sup>a</sup>. *Jansenii* damnata ab INNOCENTIO XI. *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate; sed sufficit libertas a coactione.* Ex qua damnatione manifeste infertur, multo magis requiri libertatem indifferentiæ ad meritum in statu innocentiae, qui erat proprius humanitati Christi.

*Adde* rationem Concl. præc. datam: fuisse in Christo juxta Concilia et Patres naturam nostram cum omni perfectione naturali, nec impossibili cum fine incarnationis: atqui libertas a necessitate est perfectio, eaque naturæ nostræ connaturalis; cum semper detur in puro homine, ut ostenditur in Tract. de Actib. human. et insuper conducebat ad incarnationis finem; imo necessaria erat, ut Christus mereri posset; ergo.

407. *Obj. 1<sup>o</sup>.* S. TH. in 3<sup>o</sup>m. Dist. 48. q. unica a. 2. ad 5. respondet, Christum non amisisse libertatem, aut rationem laudis, sive meriti in operationibus: quia non coacte, sed sponte tendebat in bonum. 2<sup>o</sup>. Qui scit, aliquid absolute futurum, tali modo, loco, tempore, etc. non potest efficaciter velle oppositum: atqui sciebat Christus actus suos ita futuros.

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. Doctor Angelicus præmittit ibid. responsionem aliam, scilicet: *Liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundum nu-*

*merum; sed ad unum secundum genus, scilicet ad bonum; quia ad malum non potest; et hoc non excludit libertatem arbitrii: quia posse peccare, nec est libertas arbitrii; nec pars libertatis; eamque responsionem approbat q. 29. de Veritate a. 6. ad 1. et in 3. p. q. 18. a. 4. ad 3. quibus in locis eandem difficultatem solvit; cum igitur responsionis alterius, quæ objicitur, neutro loco, nec alibi meminerit; tacite eam revocasse, censendus est.*

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. D. M. Si sciat, illud ita futurum esse, independenter a sua libertate, atque ex mera determinatione aliena C. si sciat, sic futurum ex propriæ voluntatis determinatione libera N. At Christus sciebat actus suos ita futuros ex propria ac libera determinatione; igitur sciebat, possibile sibi esse oppositum suorum actuum, illudque proinde poterat velle efficaciter.

408. *Dico III.* Christus nec physice, nec moraliter necessitatus fuit ad optimum; sed libertatem habuit ad actus inæqualis perfectionis, ut potuerit, omissis perfectioribus, actus minus perfectos ponere.

*Prob. RATIONE.* 1<sup>o</sup>. *Negative.* Nullum afferri potest necessitatis hujus fundamentum; non enim eo necessitabat unio hypostatica, aut sanctitas infinita; cum nequidem hæc Deum necessitet ad optimum, ut fert communis Theologorum; ergo multo minus Christum: sicut enim actus Dei, sic et Christi non fiunt perfectiores ex majore perfectione objecti; quia jam aliunde infinite perfecti sunt. Nec visio beatifica; quia hæc non necessitabat ad actus viæ, nec statui merendi et libertati obfuit; at Christus viator erat, et comprehensor. Nec denique imperfectio aliqua ex electione actus minus boni in Christum redundans; imprimis enim electio majoris boni nusquam præcepta est; ex altera vero parte Christus actum minus perfectum eligens, non voluit minoritatem *formaliter*, vel carentiam majoris boni; sed directe duntaxat ferebatur in bonitatem objecti minus boni propriam.

2<sup>o</sup>. *Positive.* Nam 1. necessitas physica multum detrahit libertati Christi, quoad laudem et meritum; cum non sit magnopere laude dignum, ex duobus bonis æqualibus posse tantum eligere unum præ alio: at, ipsius rationis instinctu, laudem meretur; si, cum possis eligere minus perfectum, seligas, quod perfectius. 2. In electione minoris boni nulla est imperfectio moralis, sed minor duntaxat perfectio; ergo nec ulla cogebat necessitas *moralis*; imo si fuisset imperfectio, Christus non fuisset solum necessitatus moraliter, sed usque adeo physice: quia Christo impossibile fuit physice, admittere imperfectionem positivam, ac indecentiam moralem. 3. Christus erat vere liber ad moriendum pro homine, vel non; ut dictum Concl. 1<sup>a</sup>.: atqui hæc erat libertas ad actus inæqualis perfectionis; perfectior enim erat actus obedientiæ et acceptationis mortis pro salute hominis, quam actus oppositus illam renuens.

409. *Obj. I.* Christus est perfectissime amicus Dei: sed ad amicitiam talem spectat, eadem eodem modo velle et nolle; ergo Christus necessitabatur ad actus illos, qui Deo magis placebant: sed Deo magis placent actus perfectiores; ergo.

R. 1<sup>o</sup>. Quilibet Christi actus Deo infinite placebat ob dignitatem personæ operantis, conferentem operationi dignitatem et valorem infinitum; tametsi



inter actus Christi detur major, vel minor bonitas, sive ratione objecti, sive intensionis: et actus perfectior tantum ratione modi magis placeat.

R. 2<sup>o</sup>. *D. min.* Ad perfectam amicitiam spectat, eadem eodem modo velle, ac nolle, si conferant ad felicitatem, aut amici, aut propriam *C.* si non *N.* Aliud est de homine tantum viatore; hic enim eliciendo actum magis perfectum, se magis disponit ad felicitatem suam, Deumque magis laudandum in gloria.

410. *Obj. II.* Si Christus potuisset exercere actus minus perfectos; capax fuisset imperfectionis moralis; sed hoc adversatur infinitæ Christi sanctitati; ergo. *Prob. seq. M.* Imperfectio enim moralis est electio objecti minus perfecti propter se, præ magis perfecto.

R. *N. seq. M. et prob. D.* Imperfectio moralis est electio objecti minus perfecti, quando electio illa reddit subjectum minus dispositum ad finem suum ultimum *C.* si hoc non faciat *N.* At talis electio Christum non poterat ita reddere minus dispositum.

411. *Inst. 1.* Qui minus perfecte operatur, est reprehensibilis; ergo imperfectionis moralis reus.

R. *D. Ant.* Si ob minus perfectum operandi modum, redditur minus idoneus ad beatitudinem, vel hujus amittendæ se exponat periculo *C.* secus *N. Ant. et Cons.* Laudabilitas, vel reprehensibilitas; moralis perfectio, vel imperfectio considerantur juxta *D. Tr.* in ordine ad finem ultimum. Unde sicut Deus non esset reprehensione dignus, si vel mundum plane non condidisset, vel non optimum; sic nec Christus, si poneret actum non optimum, quem posset.

*Inst. 2.* Si Christus non esset dignus reprehensione, eligendo actum minus perfectum; neque foret dignus laude et præmio, eligendo actum perfectiorem; proinde per actum obedientiæ non meruisset redemptionem: sicut Deus non est dignus præmio ponendo optimum: sed sequela hæc admitti non potest; ergo.

R. *N. seq.* Non est eadem ratio de reprehensione et demerito, quæ de laude et merito. Qui ponit opus honestum, est dignus laude; quamvis per illud non promoveatur ad felicitatem, ut in Deo patet; dignus etiam præmio est, si positum opus honestum obsequiosum sit præmianti, aut superiori; unde Deus ex operibus suis solum exigere potest laudem, non præmium; contra vero ex eorum omissione non foret reprehensione dignus; quia idcirco non redderetur ad felicitatem minus dispositus. Unde patet, quomodo Christus potuerit libere non obire mortem pro homine, citra ullam imperfectionem moralem strictè factam; licet enim tunc caruisset aliquo bono indebito, scilicet titulo Redemptoris; non tamen minus fuisset dispositus ad felicitatem suæ naturæ ac meritis consonam. Ex dictis fluit sequens

**COROLLARIUM:** Humana Christi voluntas non modo fuit libera libertate contrarietatis, sed etiam contradictionis; quia non solum fuit libera in eligendo hoc, vel illo bono: quod est, esse liberum libertate contrarietatis; sed etiam in eligendo, vel non eligendo uno, eodemque bono: quod est, esse liberum libertate contradictionis. Nec refert, quod humana Christi voluntas fuerit impeccabilis; nam ad meritum non requiritur li-

bertas ad bonum et malum; sed sufficit indifferentia ad hoc, vel illud bonum; vel ad bonum, et omissionem boni, ut observavimus supra n. 404. ex S. Aug. et docet Doctor Angelicus 3. p. q. 48. a. 4. ad 3.

## ARTICULUS III.

AN CHRISTUS, ET QUALE HABUERIT PRÆCEPTUM OBEUNDI MORTEM?

412. *Nota.* Præceptum et mandatum non raro inter se differunt; in Scripturis tamen et apud Theologos passim sumuntur pro eodem; eadem enim voce græca in Scripturis præceptum innuitur, et mandatum. Differt præceptum a consilio, suasionem, adhortationem; hæc enim absque auctoritate fieri possunt, et ab inferiore, imo subdito; præceptum vero a superiore, habente auctoritatem et potestatem in eum, cui præcipit, oritur; estque voluntas superioris, qua auctoritative vult vel fieri, vel omitti aliquid a subdito.

Præceptum *rigorosum*, juxta SUAREZ Disp. 43. aliosque, dicitur, quod voluntati subditi necessitatem moralem imponit, rem præceptam faciendi. Sic enim hic dicitur necessitas moralis, sicut alias impossibile dici solet, quod inhonestum est, ac quod honeste facere non possumus. *Non rigorosum* est, quod talem necessitatem non imponit, ut stante præcepto, possit imperatum opus omitti: ita præcepti non rigorosi nomine venit simplex significatio voluntatis suæ, facta a superiore, et a subdito cognita.

Præceptum rigorosum aliud est *absolutum*, cujus vis et obligatio a voluntate subditi amoveri non potest; quod oriri potest vel ex natura præcepti, ut si est naturale; vel ex voluntate superioris, vi cujus nec relinquit subdito libertatem illud acceptandi, vel non; nec petendi dispensationem. *Conditionatum* aliud, vel, ut rectius loquar, *non absolutum omni modo* est, quando superior relinquit libertatem subdito acceptandi præceptum, vel non, dum datur; vel postea petendi, et impetrandi revocationem illius, aut dispensationem.

Quæritur nunc: *An, et quale præceptum fuerit, quod dicitur habuisse Christus, obeundi mortem?*

*Ratio* dubitandi est, quia Christus perfecta libertate mortuus est, ut omnes consentiunt; mors enim ejus meritoria fuit: sed cum etiam dicatur habuisse præceptum moriendi, videtur, cum præcepto libertas conciliari non posse; quia præceptum inducens necessitatem moralem Christus transgredi non poterat. Pro quo nodo dissolvendo scire interest, varias Doctorum sententias.

1<sup>a</sup>. Est THOMISTARUM, qui, uti prædeterminationem physicam, ita hoc præceptum, quod strictum et rigorosum dicunt, connectunt metaphysice cum actu obediendi libero; licet a Christi anima sit inimpedibile. Verum hæc sententia ex iisdem impugnatur principiis, quibus prædeterminatio physica.

2<sup>a</sup>. MOLINÆ, TANNERI, et aliorum est, qui libertatem cum rigore præcepti exponunt per principia proxima, vel auxilia indifferentia ad observationem præcepti concessa, de se repudiabilia; tamen prævisa ut efficacia. At in hoc



inter actus Christi detur major, vel minor bonitas, sive ratione objecti, sive intensionis: et actus perfectior tantum ratione modi magis placeat.

R. 2<sup>o</sup>. *D. min.* Ad perfectam amicitiam spectat, eadem eodem modo velle, ac nolle, si conferant ad felicitatem, aut amici, aut propriam *C.* si non *N.* Aliud est de homine tantum viatore; hic enim eliciendo actum magis perfectum, se magis disponit ad felicitatem suam, Deumque magis laudandum in gloria.

410. *Obj. II.* Si Christus potuisset exercere actus minus perfectos; capax fuisset imperfectionis moralis; sed hoc adversatur infinitæ Christi sanctitati; ergo. *Prob. seq. M.* Imperfectio enim moralis est electio objecti minus perfecti propter se, præ magis perfecto.

R. *N. seq. M. et prob. D.* Imperfectio moralis est electio objecti minus perfecti, quando electio illa reddit subjectum minus dispositum ad finem suum ultimum *C.* si hoc non faciat *N.* At talis electio Christum non poterat ita reddere minus dispositum.

411. *Inst. 1.* Qui minus perfecte operatur, est reprehensibilis; ergo imperfectionis moralis reus.

R. *D. Ant.* Si ob minus perfectum operandi modum, redditur minus idoneus ad beatitudinem, vel hujus amittendæ se exponat periculo *C.* secus *N. Ant. et Cons.* Laudabilitas, vel reprehensibilitas; moralis perfectio, vel imperfectio considerantur juxta *D. Tr.* in ordine ad finem ultimum. Unde sicut Deus non esset reprehensione dignus, si vel mundum plane non condidisset, vel non optimum; sic nec Christus, si poneret actum non optimum, quem posset.

*Inst. 2.* Si Christus non esset dignus reprehensione, eligendo actum minus perfectum; neque foret dignus laude et præmio, eligendo actum perfectiorem; proinde per actum obedientiæ non meruisset redemptionem: sicut Deus non est dignus præmio ponendo optimum: sed sequela hæc admitti non potest; ergo.

R. *N. seq.* Non est eadem ratio de reprehensione et demerito, quæ de laude et merito. Qui ponit opus honestum, est dignus laude; quamvis per illud non promoveatur ad felicitatem, ut in Deo patet; dignus etiam præmio est, si positum opus honestum obsequiosum sit præmianti, aut superiori; unde Deus ex operibus suis solum exigere potest laudem, non præmium; contra vero ex eorum omissione non foret reprehensione dignus; quia idcirco non redderetur ad felicitatem minus dispositus. Unde patet, quomodo Christus potuerit libere non obire mortem pro homine, citra ullam imperfectionem moralem strictè factam; licet enim tunc caruisset aliquo bono indebito, scilicet titulo Redemptoris; non tamen minus fuisset dispositus ad felicitatem suæ naturæ ac meritis consonam. Ex dictis fluit sequens

**COROLLARIUM:** Humana Christi voluntas non modo fuit libera libertate contrarietatis, sed etiam contradictionis; quia non solum fuit libera in eligendo hoc, vel illo bono: quod est, esse liberum libertate contrarietatis; sed etiam in eligendo, vel non eligendo uno, eodemque bono: quod est, esse liberum libertate contradictionis. Nec refert, quod humana Christi voluntas fuerit impeccabilis; nam ad meritum non requiritur li-

bertas ad bonum et malum; sed sufficit indifferentia ad hoc, vel illud bonum; vel ad bonum, et omissionem boni, ut observavimus supra n. 404. ex S. Aug. et docet Doctor Angelicus 3. p. q. 48. a. 4. ad 3.

## ARTICULUS III.

AN CHRISTUS, ET QUALE HABUERIT PRÆCEPTUM OBEUNDI MORTEM?

412. *Nota.* Præceptum et mandatum non raro inter se differunt; in Scripturis tamen et apud Theologos passim sumuntur pro eodem; eadem enim voce græca in Scripturis præceptum innuitur, et mandatum. Differt præceptum a consilio, suasionem, adhortationem; hæc enim absque auctoritate fieri possunt, et ab inferiore, imo subdito; præceptum vero a superiore, habente auctoritatem et potestatem in eum, cui præcipit, oritur; estque voluntas superioris, qua auctoritative vult vel fieri, vel omitti aliquid a subdito.

Præceptum *rigorosum*, juxta SUAREZ Disp. 43. aliosque, dicitur, quod voluntati subditi necessitatem moralem imponit, rem præceptam faciendi. Sic enim hic dicitur necessitas moralis, sicut alias impossibile dici solet, quod inhonestum est, ac quod honeste facere non possumus. *Non rigorosum* est, quod talem necessitatem non imponit, ut stante præcepto, possit imperatum opus omitti: ita præcepti non rigorosi nomine venit simplex significatio voluntatis suæ, facta a superiore, et a subdito cognita.

Præceptum rigorosum aliud est *absolutum*, cujus vis et obligatio a voluntate subditi amoveri non potest; quod oriri potest vel ex natura præcepti, ut si est naturale; vel ex voluntate superioris, vi cujus nec relinquit subdito libertatem illud acceptandi, vel non; nec petendi dispensationem. *Conditionatum* aliud, vel, ut rectius loquar, *non absolutum omni modo* est, quando superior relinquit libertatem subdito acceptandi præceptum, vel non, dum datur; vel postea petendi, et impetrandi revocationem illius, aut dispensationem.

Quæritur nunc: *An, et quale præceptum fuerit, quod dicitur habuisse Christus, obeundi mortem?*

*Ratio* dubitandi est, quia Christus perfecta libertate mortuus est, ut omnes consentiunt; mors enim ejus meritoria fuit: sed cum etiam dicatur habuisse præceptum moriendi, videtur, cum præcepto libertas conciliari non posse; quia præceptum inducens necessitatem moralem Christus transgredi non poterat. Pro quo nodo dissolvendo scire interest, varias Doctorum sententias.

1<sup>a</sup>. Est THOMISTARUM, qui, uti prædeterminationem physicam, ita hoc præceptum, quod strictum et rigorosum dicunt, connectunt metaphysice cum actu obediendi libero; licet a Christi anima sit inimpedibile. Verum hæc sententia ex iisdem impugnatur principiis, quibus prædeterminatio physica.

2<sup>a</sup>. MOLINÆ, TANNERI, et aliorum est, qui libertatem cum rigore præcepti exponunt per principia proxima, vel auxilia indifferentia ad observationem præcepti concessa, de se repudiabilia; tamen prævisa ut efficacia. At in hoc



systemate aut impeccabilitas Christi patitur, aut libertas. Si enim per hæc auxilia præcise habetur in Christo potestas ad moriendum, et non moriendum; ad obediendum, et non obediendum; mentiendum, non mentiendum, etc. (eodem enim modo ex auxiliis hisce loqui possumus de præceptis naturalibus et positivis), tunc non habetur impeccabilitas, sive non peccandi necessitas; quia impeccabilitas est incompatibilis cum potestate peccandi: si vero per hæc auxilia non habetur in Christo potestas ad moriendum, et non moriendum; neque vera habebitur libertas indifferentiæ. Hæc sententia a quibusdam etiam eximio SUAREZ tribuitur, sed, ut ostendit noster THYASUS GONZALEZ, immerito.

3<sup>a</sup>. P. VASQUEZ tribuitur, habuisse Christum præceptum vere rigorosum obeundi mortis; at liberum duntaxat fuisse ad illius circumstantias.

4<sup>a</sup>. Eaque multorum, contendit, datum Christo fuisse præceptum rigorosum, sed suo sensu conditionatum, ut supra descripsi; sicque, stante præcepto, libere mortuum; tum quod potuisset non acceptare præceptum; tum quod acceptato præcepto, impetrare potuerit illius revocationem. At, præterquam quod rationes Conclusionis nostræ pugnent contra utramque, prior adhuc minus cum S. Scriptura convenit, quæ Christo libertatem quoad mortem simpliciter, adeoque quoad substantiam tribuit, dum de morte Christi agit; liber vero quoad circumstantias rei, non dicitur simpliciter et absolute liber: alioquin Christus simpliciter et absolute liber dici posset quoad præcepta naturalia.

5<sup>a</sup>. Et ultima rursus multorum est, et primi ordinis Theologorum, præceptum hoc non fuisse rigorosum; sed præceptum sensu latiori: quatenus Pater, ut concipi potest, Christo homini varios ostendit modos, quibus redimi humanum genus possit, quin tamen ullum stricte præciperet; solum significans, inter eos sibi quidem magis placere, si via satisfactionis condignæ redimat, et mortem subeat; quin tamen, si nollet, propterea se displicentiam aliquam incursum sciret; sed solum consequenter caritutum speciali, accidentali gloria Redemptoris. Christum igitur, quia maxime diligit Patrem, et desiderat facere, quodcumque illi placitum intelligit, juxta illud: *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper*, se libentissime submittit; more filiorum diligentium, paternæ voluntatis placitum suum vocat mandatum; sicque propriissime et ad litteram: *Oblatus est, quia ipse voluit*. Is. 53. Ita D. ANSELM. postea cit., PETAVIUS, ALBERT., PALUD., LORCA alique apud PLATELIUM. Cum quibus

413. Dico. Christus non accepit præceptum rigorosum, obligans in conscientia et moraliter, obeundi mortem.

*Prob. I. Ex Scriptura.* Joan. 10. 17. inquit Christus: *Propterea me diligit Pater; quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam: et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* In his verbis, 1<sup>o</sup>. cum se habere dicit potestatem ponendi animam suam; ex proprietate nominis intelligi debet, utriusque amplectendi (subeundi mortis, et omissionis ejus) fuisse ei optionem liberam, non unius duntaxat. Et vero ridiculum foret, si, qui ligatus detinetur in carcere, dicat, se potestatem habere manendi in carcere. 2<sup>o</sup>. Debet intelligi respectu utrius-

que optio libera *proxime, immediate et formaliter*; hoc enim rursus vox potestas, sensu proprio et obvio sumpta, exigit; certe ligatus impedimento matrimonii, licet alias dispensabili, nulla proprietate diceret: potestatem habeo ineundi matrimonii, vel non; quia, stante adhuc et nondum sublato per dispensationem impedimento, non habet potestatem, seu libertatem moralem ineundi matrimonii, sed solum petendæ dispensationis; idem est de eo, qui voto constrictus est; ergo Christus hic loquitur de libertate indifferentiæ proxime expedita, ita ut fuerit liber circa mortem ipsam immediate, proxime, et formaliter; non mediate tantum, media scilicet impetratione revocationis, aut dispensationis præcepti. Ac proinde illa addita: *Hoc mandatum accepi*, non possunt indicare præceptum rigorosum, sed in sensu latiori, quo etiam sæpe in Scriptura sumitur. Plura ex solutione objectionum, quantum ad Scripturam, colliges.

444. *Prob. II. Ex Patribus* strictum in Christo præceptum expresse negantibus. Inter quos S. CYRILLUS ALEXANDRIN. L. 10. in Joan. (opp. t. 4. p. 882. C.) tam hoc de morte perferenda, quam alia, quæ præcepta nominantur, proprie fuisse præcepta negat; sed quæ in mente, arcanoque consilio Patris esse sciret, tanquam mandata sibi forent, sponte sua executum fuisse: *Quandoquidem, ait, ista sustinuit; Deus ipsum superexaltavit. Igitur habes in voluntaria subjectione paternorum consiliorum executionem, quæ et mandatorum loco apud se esse, in ea, quam ad illum habuit, oratione Filii asserit. Nam cum, utpote Verbum, consilia Patris intelligeret, et genitoris sui profunda scrutaretur, quod huic visum est, reipsa præstat, et loco præcepti habet.*

S. CHRYSOST. constanter præceptum negat. Homil. 60. in Joan. n. 2. (opp. t. 8. p. 354. D.), quod mandatum moriendi a Patre Christus accepisse dicitur, interpretatur sic, ut sit, *placere illi, quod ego facio, etc.* subinde n. 3. (ibid. p. 355. A.) negat absolute præceptum fuisse: *Nam si, inquit, præcepto fuisset opus; quid attinebat illum dicere, a me ipso pono? Quippe, qui a se ipso ponit, nihil habet opus præcepto.* Hom. 59. n. 3. porro et 75. n. 4. rursus negat præceptum obligans, et dicit vocari præceptum humano more.

S. AMBROSIVS de Fide L. 4. c. 10. n. 121. *Sicut potestatis suæ esse significat ponere animam et liberæ voluntatis: ita etiam quod secundum mandatum deposuit Patris, suæ ac paternæ voluntatis significat unitatem.*

EUTHYMIUS in Joan. 10. 18. *Nihil aliud ostendit Patris præceptum, quam solam conformitatem (ὁμόνοια) ad Patrem: hujusmodi siquidem dispensatoria sunt propter auditorum imbecillitatem.*

DIDYMUS Alexandrinus de Trinit. L. 3. c. 21. p. 397. *Mortem eo modo quo ipse novit et voluit, gustavit in carne... alioquin aliqua etiam Patri impotentia tribueretur ob ea verba, si possibile est; et timor, qui reipsa nullus est, Filii arguetur propter illud, transeat; et involuntaria videbitur ejus in crucem ascensio, quæ ex illius benignitate in homines, liberaque ipsiusmet voluntate profecta est... et mendax invenietur... Dominus qui ait: Ego pono animam meam, etc.*

S. AUGUSTINUS serm. 5. n. 3. *Quid enim illi (Christo) opus erat tanta pati, cui licebat et non pati? Et de Trinit. L. 4. c. 13. n. 16. Demonstravit spi-*



ritus Mediatoris, quam nulla pena peccati usque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit invitus; sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit.

S. ANSELMUS medit. 4<sup>o</sup>. de Redempt. gener. humani. Non illi homini Pater ut moreretur cogendo præcepit, sed ille, quod Patri placitum et hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Et infra. Sic itaque Patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc, quod Patri placitum scivit, sponte facere voluit. Denique quoniam Pater illi hanc voluntatem bonam dedit, quamvis liberam; non immerito dicitur, quia eam velut præceptum Patris accepit. At L. 1. Cur Deus homo. c. 9. rem a capite exponit, illud: Non sicut ego volo, sed sicut tu, ita interpretans: Quia humanum genus restaurari volebat Pater, nisi faceret homo tam magnum aliquid, sicut erat mors illa... ideo dicit Filius, illum velle suam mortem; quam ipse maluit pati, quam ut genus humanum non salvaretur... Sic ergo voluit Deus Pater mortem Filii, quia non aliter voluit mundum salvare, nisi homo tam magnum aliquid faceret, ut jam dixi. Quod Filio volenti salutem hominum tantumdem valuit, quantum, si illi mori præciperet. Unde ille, sicut mandatum dedit illi Pater, in sensu declarato, sic fecit: et calicem, quem dedit ei Pater, bibit obediens usque ad mortem. En quomodo S. ANSELM. explicet mandatum, scilicet, diligenti Patrem et nos Filio, solius paternæ voluntatis placitum fuisse, quasi præcepisset. Sic cum ANSELMO fere Christi charitati redemptionem nostram tribuit Doctor Angelicus L. 4. contra Gent. cap. 33. ad 13. et 16. et in Joan. c. 14. lect. 8. aliique apud PETAVIUM L. 9. c. 8. et R. P. Nicolaum Raye S. J. in Thesibus Theolog. contra rigorosum Christi præceptum de morte subeunda, Th. 3<sup>a</sup>. et seqq. (Zaccar. Thesaur. Theolog. t. 9. p. 704.).

415. Prob. III. RATIONE. 1<sup>o</sup>. Non est asserendum in Christo præceptum positivum rigorosum sine firmo et claro fundamento; tale autem non afferitur, ut patebit solutione objectionum. 2<sup>o</sup>. Magis consonum erat amori Patris erga Christum filium naturalem, et scientiæ de ejus promptitudine ad exequendum omne Patris placitum: item dignitati Filii, Patris sui diligentissimi, quod divinum beneplacitum ei insinuaretur solummodo, citra præceptum rigorosum obligans in conscientia. Cui enim bono aut fini Pater imponeret Filio præceptum strictum, illum in conscientia obligans, qui omnis culpæ erat incapax, et ad exequendam Patris voluntatem, alio incitamento non egebat, quam illam nosse? An ut Filium in obedientia exerce-ret, ut propterea sibi meritum compararet? sed qui exerceret, cum Filius, etiam ante præceptum, implendæ voluntatis paternæ esset studiosissimus? aut num minus obediens dicitur filius moriger, qui sponte sua voluntatem implet patris: ac propterea minus laude et præmio dignus, quam qui præcepto ad hoc compellitur?

416. Obj. I. Christum de subeunda morte præceptum habuisse, passim Scriptura refert. Joan. 13. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut et ego Patris mei præcepta servavi. Et 10. 17. Hoc mandatum accepi a Patre. Ibid. 14. 31. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; ergo. Conf. 1. Si Christus non habuisset de morte subeunda præceptum rigorosum, non fuisset vere obediens: sed hoc videtur adversarium S. Scripturæ, ad Philipp. 2. 8. Humiliavit semetipsum, factus obediens

usque ad mortem; mortem autem crucis. Ad Hebr. 5. Didicit ex his quæ passus est obedientiam. Tum Patribus qui passim Christi obedientiam commendant. Conf. 2. Ad Rom. 5. obedientia Christi opponitur inobedientiæ Adami: Sicut per obedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per unius obediendum justi constituuntur multi; ergo sicut Adam habuit præceptum rigorosum, ita et Christus.

R. D. Ant. Scriptura refert Christum habuisse præceptum strictum, obligans in conscientia N. præceptum in sensu latiori, ut supra explicatum C. Sic enim hic sumere præceptum, nos monet Scriptura ipsa et Patres citt. in prob. Concl. Quæ inde confirmantur, quod, phrasi Scripturæ, nomine præcepti et mandati, non semper veniat præceptum rigorosum. Exempla sunt plurima. Sic Matth. 19. Moyses dicitur præcepisse libellum repudii; at certum est, hic non intelligi præceptum obligans. Matth. 15. Christus præcepit turbæ, ut discumberent. Marc. 7. 36. Præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant. Sed in neutro præcepto strictum fuit. Sic 3. Reg. 17. 9. ait Deus ad Eliam: Surge, et vade in Sareptha Sidoniorum, et manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te. Ubi non intelligendum est præceptum obligans; sed inspiratio divina, quam libere sequeretur mulier. Præterea Christus mandatum sibi a Patre datum extendit ad plurima, aut etiam omnia sua dicta et facta, Joan. 12. 49. et Joan. 14. cit. locutio illa Christi generalis est; nec tamen omnia ista Christo mandata fuerunt præcepto rigoroso, ut fatentur ipsi adversarii; sed vocat illa mandatum, quia videbat placere Patri: Ego, quæ placita sunt ei, facio semper. Denique Joan. 14. cit. dicens: Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; satis indicat, quod ita faciat, quia diligit Patrem; nec proin præceptum rigorosum se habere. Non est igitur, quod vocem præceptum, mandatum adeo urgeant adversarii.

Ad Conf. 1<sup>am</sup>. R. N. seq. Nam Doctor Angelicus 2. 2. q. 104. a. 2. de obedientia, ut est virtus specialis, docet: Tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate superioris intellecta. Deinde hanc obedientiam, dum homo obedit non obligatus, perfectam pronuntiat: Sic ergo, inquit, potest triplex obedientia distingui: una sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit in his ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis; et alia indiscreta, quæ etiam in illicitis. Et paulo ante illam obedientiam, dum quis non obligatur, vocat cumulum perfectionis. Unde et hanc perfectionem obedientiæ voluit S. IGNATIUS, fundator Societatis, esse ædificii spiritualis fundamentum; e contra obedientiam, quæ non nisi præcepto movetur, vix dignam obedientiæ nomine censet. Et ratio a priori est; quia ad obedientiam plus non requiritur, quam quod, cognita superioris voluntate, ponatur opus, quia illi gratum est; nam specialis honestas obedientiæ consistit in reverentia exhibita voluntati superioris: quæ eo major est, quo minus est coacta præcepto. Igitur Christus non tantum vere, sed et perfecte obediens fuit subeundo mortem, citra expressum hujus præceptum. Hinc

Ad Conf. 2<sup>am</sup>. R. 1<sup>o</sup>. N. Cons. Præterquam enim quod comparisonem illam ab Apostolo institutam, aliunde constet, non quoad omnia perfectam esse, et adæquatam; potest, ex dictis, opponi obedientia Christi inobedien-



liæ Adami, etsi præceptum obligans Christus non habuerit. Imo sic magis opponitur; nam quanto major erat inobedientia Adami, quod, habito præcepto riguroso, sub tam gravi comminatione mortis non obedierit; tanto perfectior contra erat Christi obedientia, qui usque adeo, quin positivum præceptum exspectaret, cognito solo paternæ voluntatis placito, se illi et morti subiecit. Et vero si adversarii contendere velint comparationem Apostoli esse, quoad præceptum utriusque datum, perfectam,

R. 2<sup>o</sup>. *et retorq.* Ergo et sicut Adamus habuit præceptum obligans sub gravi culpa, et comminatione odii divini, etc., etiam tale habuit Christus: sed hoc nolunt patienter ferre adversarii; neque etiam possunt. Item: ergo sicut præceptum Adamo datum non dependebat ab hujus acceptatione libera, et petenda dispensatione, si vellet; ita nec præceptum Christi dependisset; ac proinde necessario, non libere, ullo modo mortuus est.

417. *Obj. II.* Christus homo est capax præcepti rigurosi; ergo nihil vetat asserere, ipsum tale habuisse. *Prob. Ant. 1<sup>o</sup>.* Angeli et Beati, licet ob visionem beatificam impeccabiles sint, talis præcepti capaces sunt; ergo etiam Christus. 2<sup>o</sup>. Christus, qua homo, erat Dei servus: sed servus potest obligari a Domino præcepto riguroso. 3<sup>o</sup>. Voluntas humana Christi non erat essentialiter beata; nec proin recta, sive ipsa relictudo; ergo dirigi poterat tali præcepto, tanquam regula.

R. 1<sup>o</sup>. *T. Ant. N. Cons.* Licet enim permittatur, absolute fuisse capacem talis præcepti; de facto tamen tale non habuit juxta rationes Concl. Sed

R. 2<sup>o</sup>. *D. Ant.* Erat capax præcepti obligantis in conscientia, sub culpa, comminatione odii divini, etc. *N. obligantis instar præceptorum naturalium C.* Obligari Christum præceptis naturalibus, nihil aliud est, quam eum ex necessitate metaphysica teneri ad servanda ea, non secus ac Deus tenetur ad amandum se ipsum, et sicut Beati amanti necessario Deum, et divina servant mandata. Sed hinc fit, quod Christus observando præcepta naturalia nihil potuerat mereri quoad substantiam operis præcepti; sed solum quoad circumstantias non præceptas; quia, etsi circa præcepta naturalia, quoad substantiam eorum servanda, necessitatem haberet; libertatem tamen relinquit circa implenda illa quoad certas circumstantias. At respectu mortis perfectam libertatem habuit quoad substantiam, et meritis est morte ipsa, quoad hujus substantiam; ergo circa illam non habuit præceptum obligans ad instar præceptorum naturalium.

Alterius vero præcepti, quo obligaretur in conscientia, sub culpa, et comminatione, incapax fuit; quia ob impeccabilitatem nullius erat culpæ capax; ergo frustra illi tale præceptum daretur. Hoc præceptum haberet hunc tendendi modum: si per impossibile præceptum violaverit, culpæ reus erit per impossibile; sed præceptum hujusmodi, utpote prorsus otiosum, Deo inconveniens est.

*Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. *N. Ant.* Si intelligas præceptum importans obligationem in conscientia, et sub comminatione. Sed angeli, utpote impeccabiles, dirigi tantum a divina voluntate possunt ad aliquid necessario præstandum; sicut diriguntur a præceptis naturalibus ad præstanda alia.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. 1<sup>o</sup>. *D. Ant.* Est servus servitute strictè dicta *N.* latius sumpta *C.* Servus in toto suo rigore acceptus importat 1. quod non sit sui

juris, sed alterius; 2. dicit inferioritatem personæ respectu personæ alterius, cujus est servus; 3. quod non communicet in bonis et honore cum domino, nec habeat ad hæreditatem jus: at Christus semper est persona æqualis Deo, et Christus qua homo communicat in bonis cum Deo; habet jus ad hæreditatem; ergo non est servus strictè dictus, ac merito titulum *servi*, scilicet strictè dicti, damnarunt in *Felice et Elipando* Patres Francofordienses cum *Adriano* Papa. Potest tamen dici servus latiori sensu a servitute naturali, qua omnis creatura subjecta est Deo; Christus enim secundum humanitatem creatura est, sicque solum servus Dei, sive subjectus, et obediens Deo. At hoc permisso,

R. 2<sup>o</sup>. *T. A. N. Cons.* Ad rationem enim servi sufficit; quod Dominus possit ab eo, quod libuerit, consequi: vel obligando illum in conscientia, si sit peccabilis, vel necessitando metaphysice, si, ut in casu nostro, sit impeccabilis.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>.* R. *C. A. D. Cons.* Ergo potest ita dirigi, ut præcisa ab unione cum Verbo *C.* ut jam Verbo unita *N.* Cum enim, supposita unione cum Verbo, ab hoc dirigatur, ut dictum toto Articulo 2., sitque absolute impeccabilis; ad quid imponetur præceptum, obligans in conscientia, ut ab eo dirigatur ceu regula?

## ARTICULUS IV.

DE SANCTITATE HUMANITATIS CHRISTI; GRATIA, ALIISQUE SUPERNATURALIBUS DONIS.

418. *Nota I.* Primarium Christi hominis decus et ornamentum in sanctitate et gratia consistit. Sanctitas una est imperfecta, quæ convenit rebus etiam inanimis; ut templis, vasis, vestibus, cæterisque rebus divino cultui dicatis, juxta illud *Levit. 12. Omne sanctum* (h. e. Deo dicatum) non tanget. Et *Ps. 94. Domum tuam decet sanctitudo*: consistitque in extrinseca tantum denominatione a voluntate dicantis et ordinantis rem ad cultum divinum: et derivat in rem consecratam, passivam quamdam exigentiam honoris et venerationis.

Altera est perfecta et vera, soliusque naturæ intellectualis propria, interna et supernaturalis. Hæc, a priori spectata, est perfectio morum in actu et habitu: excludens peccatum, reddensque subjectum recte dispositum ad omne, quod rectum et honestum est, operandum. Duo enim hæc sunt de primo et explicito sanctitatis conceptu: primum, ut sit forma ipsa spiritualis munditiei, a sorde peccati; ut inquit *Dionys. de Divin. Nominib. c. 12. Sanctitas est omni scelere libera, perfecta que, et penitus incoinquinata munditia.* Secundum, ut sit honeste operativa; est enim sanctitas quædam animi sanitas; proinde sicut perfecta corporis sanitas corpus non tantum formaliter constituit in certa humorum temperie, sed et expeditum reddit ad exercenda munia animanti salubria; ita proportionaliter primo et per se sanctitas animi hunc mundum constituit a peccati labe, simulque expeditum reddit ad honeste, et conformiter legi æternæ, operandum. Geminum hoc sanctitatis munus expressit *S. Joan. ep. 1. c. 3. Omnis, qui natus est ex Deo* (vel sanctitate increata, vel creata per gratiam habitualement, quæ est forma rege-



liæ Adami, etsi præceptum obligans Christus non habuerit. Imo sic magis opponitur; nam quanto major erat inobedientia Adami, quod, habito præcepto riguroso, sub tam gravi comminatione mortis non obedierit; tanto perfectior contra erat Christi obedientia, qui usque adeo, quin positivum præceptum exspectaret, cognito solo paternæ voluntatis placito, se illi et morti subiecit. Et vero si adversarii contendere velint comparationem Apostoli esse, quoad præceptum utriusque datum, perfectam,

R. 2<sup>o</sup>. *et retorq.* Ergo et sicut Adamus habuit præceptum obligans sub gravi culpa, et comminatione odii divini, etc., etiam tale habuit Christus: sed hoc nolunt patienter ferre adversarii; neque etiam possunt. Item: ergo sicut præceptum Adamo datum non dependebat ab hujus acceptatione libera, et petenda dispensatione, si vellet; ita nec præceptum Christi dependisset; ac proinde necessario, non libere, ullo modo mortuus est.

417. *Obj. II.* Christus homo est capax præcepti rigurosi; ergo nihil vetat asserere, ipsum tale habuisse. *Prob. Ant. 1<sup>o</sup>.* Angeli et Beati, licet ob visionem beatificam impeccabiles sint, talis præcepti capaces sunt; ergo etiam Christus. 2<sup>o</sup>. Christus, qua homo, erat Dei servus: sed servus potest obligari a Domino præcepto riguroso. 3<sup>o</sup>. Voluntas humana Christi non erat essentialiter beata; nec proin recta, sive ipsa reclusio; ergo dirigi poterat tali præcepto, tanquam regula.

R. 1<sup>o</sup>. *T. Ant. N. Cons.* Licet enim permittatur, absolute fuisse capacem talis præcepti; de facto tamen tale non habuit juxta rationes Concl. Sed

R. 2<sup>o</sup>. *D. Ant.* Erat capax præcepti obligantis in conscientia, sub culpa, comminatione odii divini, etc. *N. obligantis instar præceptorum naturalium C.* Obligari Christum præceptis naturalibus, nihil aliud est, quam eum ex necessitate metaphysica teneri ad servanda ea, non secus ac Deus tenetur ad amandum se ipsum, et sicut Beati amanti necessario Deum, et divina servant mandata. Sed hinc fit, quod Christus observando præcepta naturalia nihil potuerat mereri quoad substantiam operis præcepti; sed solum quoad circumstantias non præceptas; quia, etsi circa præcepta naturalia, quoad substantiam eorum servanda, necessitatem haberet; libertatem tamen relinquit circa implenda illa quoad certas circumstantias. At respectu mortis perfectam libertatem habuit quoad substantiam, et meritis est morte ipsa, quoad hujus substantiam; ergo circa illam non habuit præceptum obligans ad instar præceptorum naturalium.

Alterius vero præcepti, quo obligaretur in conscientia, sub culpa, et comminatione, incapax fuit; quia ob impeccabilitatem nullius erat culpæ capax; ergo frustra illi tale præceptum daretur. Hoc præceptum haberet hunc tendendi modum: si per impossibile præceptum violaverit, culpæ reus erit per impossibile; sed præceptum hujusmodi, utpote prorsus otiosum, Deo inconueniens est.

*Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. *N. Ant.* Si intelligas præceptum importans obligationem in conscientia, et sub comminatione. Sed angeli, utpote impeccabiles, dirigi tantum a divina voluntate possunt ad aliquid necessario præstandum; sicut diriguntur a præceptis naturalibus ad præstanda alia.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. 1<sup>o</sup>. *D. Ant.* Est servus servitute strictè dicta *N.* latius sumpta *C.* Servus in toto suo rigore acceptus importat 1. quod non sit sui

juris, sed alterius; 2. dicit inferioritatem personæ respectu personæ alterius, cujus est servus; 3. quod non communicet in bonis et honore cum domino, nec habeat ad hæreditatem jus: at Christus semper est persona æqualis Deo, et Christus qua homo communicat in bonis cum Deo; habet jus ad hæreditatem; ergo non est servus strictè dictus, ac merito titulum *servi*, scilicet strictè dicti, damnarunt in *Felice et Elipando* Patres Francofordienses cum *Adriano* Papa. Potest tamen dici servus latiori sensu a servitute naturali, qua omnis creatura subjecta est Deo; Christus enim secundum humanitatem creatura est, sicque solum servus Dei, sive subjectus, et obediens Deo. At hoc permisso,

R. 2<sup>o</sup>. *T. A. N. Cons.* Ad rationem enim servi sufficit; quod Dominus possit ab eo, quod libuerit, consequi: vel obligando illum in conscientia, si sit peccabilis, vel necessitando metaphysice, si, ut in casu nostro, sit impeccabilis.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>.* R. *C. A. D. Cons.* Ergo potest ita dirigi, ut præcisa ab unione cum Verbo *C.* ut jam Verbo unita *N.* Cum enim, supposita unione cum Verbo, ab hoc dirigatur, ut dictum toto Articulo 2., sitque absolute impeccabilis; ad quid imponetur præceptum, obligans in conscientia, ut ab eo dirigatur ceu regula?

## ARTICULUS IV.

DE SANCTITATE HUMANITATIS CHRISTI; GRATIA, ALIISQUE SUPERNATURALIBUS DONIS.

418. *Nota I.* Primarium Christi hominis decus et ornamentum in sanctitate et gratia consistit. Sanctitas una est imperfecta, quæ convenit rebus etiam inanimis; ut templis, vasis, vestibus, cæterisque rebus divino cultui dicatis, juxta illud *Levit. 12. Omne sanctum* (h. e. Deo dicatum) non tanget. Et *Ps. 94. Domum tuam decet sanctitudo*: consistitque in extrinseca tantum denominatione a voluntate dicantis et ordinantis rem ad cultum divinum: et derivat in rem consecratam, passivam quamdam exigentiam honoris et venerationis.

Altera est perfecta et vera, soliusque naturæ intellectualis propria, interna et supernaturalis. Hæc, a priori spectata, est perfectio morum in actu et habitu: excludens peccatum, reddensque subjectum recte dispositum ad omne, quod rectum et honestum est, operandum. Duo enim hæc sunt de primo et explicito sanctitatis conceptu: primum, ut sit forma ipsa spiritualis munditiei, a sorde peccati; ut inquit *Dionys. de Divin. Nominib. c. 12. Sanctitas est omni scelere libera, perfecta que, et penitus incoinquinata munditia.* Secundum, ut sit honeste operativa; est enim sanctitas quædam animi sanitas; proinde sicut perfecta corporis sanitas corpus non tantum formaliter constituit in certa humorum temperie, sed et expeditum reddit ad exercenda munia animanti salubria; ita proportionaliter primo et per se sanctitas animi hunc mundum constituit a peccati labe, simulque expeditum reddit ad honeste, et conformiter legi æternæ, operandum. Geminum hoc sanctitatis munus expressit *S. Joan. ep. 1. c. 3. Omnis, qui natus est ex Deo* (vel sanctitate increata, vel creata per gratiam habitualement, quæ est forma rege-



neraliva novæ creaturæ in Christo), *peccatum non facit*; en facultas recte operandi: *quoniam semen ipsius in eo manet*; en formalis animi mundities, quam simul præstat sanctitas, vel gratia, cum potentia honeste operandi; ex eo, quod sit semen, et participatio increatæ sanctitatis.

Ex primario hoc sanctitatis conceptu, alii per se connexi consequuntur. Primus, quod reddat subjectum dignum, imo actu dilectum speciali amore amicitie Deo; cum nequeat Deus speciali amore amicitie non diligere, quem videt similem sibi, et, ob participationem sanctitatis, suæ consortem naturæ. Secundus, quod faciat dignum beatitudine, et ad hæc conferat jus; hoc ipso enim, quod faciat dignum et dilectum amore amicitie Deo, etiam dignum facit beatitudine; cum amor amicitie importet communicationem honorum, maxime supernaturalium, ac beatitudinis. Propter hos effectus sanctitas a posteriori dici solet paucis: *perfectio, vel forma, aut quasi forma, reddens subjectum amabile Deo, et dignum hæreditate æterna*. Si vero forma tam hos, quam priores effectus tribuens, sit accidens; subjectum accidentaliter tantum sanctificari dicitur: qua ratione de facto sanctificantur iusti per celebre illud accidens supernaturale, quod *gratiam habitualement et sanctificantem* vocamus. Si forma illa, vel quasi forma sit substantia; per eam substantialiter sanctificatur id, quod illi unitur physice. Hæc sanctitas substantialis alias *gratia incarnata*, item *gratia unionis* compellatur.

*Nota II.* Certum est 1º. Christum, ut hominem, a primo conceptu sui momento sanctum esse; ita enim fides docet, Joan. 10. 36. *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum*. Luc. 1. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Certum est 2º. Christum, prout significat totum compositum Theandricum, ex Verbo et humanitate, esse sanctum substantialiter; sic enim ob inclusam deitatem ipsa est substantialis sanctitas. Quæritur igitur, an Christus, qua homo, sive Christi humanitas, sit sancta sanctitate substantiali? deinde: An, si ita sancta fuerit, præterea etiam gratiam habitualement simul acceperit?

419. *Dico I.* Humanitas Christi sancta est substantialiter sanctitate increata Verbi. Est communissima Theologorum cum Doctore Angelico contra Marsil. et Durand.

*Prob.* Humanitatem Christi esse sanctam substantialiter, nihil est aliud, quam eam habere in se quid substantiale, vi cuius reddatur immunis a peccato, recte disposita ad honeste operandum, conformiter regulæ morum, filius Dei, amabilis amore amicitie, digna hæreditate cœlesti, atque jus acquirat ad visionem beatificam: sed hæc omnia habet humanitas ex unione cum Verbo; Verbum enim ab ea omne peccatum excludit: quin illam reddit impeccabilem, facit dispositam et expeditam ad operandum supernaturaliter circa omne, quod rectæ rationi conforme est. Proinde si gratia habitualis et creata creaturam rationalem sanctificat; multo magis sanctificat humanitatem ipsa sanctitas increata Verbi: hæc enim non tantum est imperfecta similitudo naturæ divinæ, ut gratia creata habitualis, sed est ipse Deus; nec tantum facit filium Dei adoptivum, sed naturalem; nec confert jus ad beatitudinem quaecumque, destructibile, et amissibile, sed indestructibile, æternum.

420. *Neque dicas.* 1º. Sanctitas Verbi est a se, imparticipata; hæc vero nequit denominare sanctum ab alio. 2º. Humanitas non est beata beatitudine substantiali Verbi; ergo nec ita sancta. 3º. Non est formaliter æterna, immensa, omnipotens: æternitate, immensitate, omnipotentia Verbi; ergo neque, etc. Nam

*Ad 1ºm.* R. *D. min.* Hæc sanctitas a se nequit denominare sanctum ab alio quidditative, et identice *C.* participative *N.*

*Ad 2ºm.* R. *Disparitas* est, quod hæc beatitudo aliunde repugnet; consistit enim in operatione vitali increata; omnis vero operatio vitalis creaturæ debet immanenter produci, adeoque quid creatum est.

*Ad 3ºm.* R. 1º. Idem argumentum valet contra subsistentiam, adeoque retorqueri potest.

R. 2º. *N. Cons.* In assignanda disparitate Auctores variant. Nobis hæc præplacet; quia scilicet illorum effectuum, ac denominationum æternæ, etc., humanitas capax non est; redditur autem sancta per deitatem Verbi, quia effectus hujus formalis: *sancti*, sicut alterius: *subsistentis* subsistentia Verbi, capax est.

*Si quæras ulterius:* Cur dicatur capax effectuum posteriorum, non priorum?

R. 1º. *Retorq.* Anima Christi et cujuslibet hominis iusti per gratiam habitualement, accidentalem, supernaturalem in ea existentem redditur, ac denominatur sancta et grata; non vero redditur, ac denominatur ab ea supernaturalis, accidens, existens, etc.; cur? nisi quia horum effectuum ac denominationum capax non est; est autem capax priorum, sancti, et grati. Cur autem istud? quia, ut quid dicatur accidens, debet existere in alio tanquam subjecto inhæsionis; ut dicatur supernaturale, debet excedere vires et exigentiam naturæ, etc.; quæ, ut patet, animæ convenire non possunt; ad hoc autem, ut anima dicatur sancta, grata Deo, sufficit, quod habeat sibi unitam gratiam sanctificantem, quæ præstat effectus sanctitatis supra relatos.

R. 2º. Conformiter dictis contra Ubiquistas: ideo illorum effectuum non est capax humanitas, quia, ut quis dicatur omnipotens, debet *vi propria* posse omnia; ut dicatur immensus, debet esse *per se* ubique; ut æternus, debet esse *sine initio et fine essendi*; hæc enim esse propria et formalia harum vocum significata, communis usus docet. At vero, ut natura humana dicatur sancta, plus non requiritur, quam ut habeat unitum sibi ens divinum, a quo reddatur immunis a peccato, expedita ad supernaturaliter et honeste operandum, amabilis Deo, etc.; quod si præstare subjecto potest gratia accidentalis; multo magis ipsa Verbi uniti increata sanctitas.

Cæterum cum omnis denominatio intrinseca oriatur a forma aliqua subjecto unita, et in presenti composito Theandrico, in quo est humanitas substantialiter sancta, duplex forma, vel quasi forma reperitur, unde trahi possit illa sanctitas, scilicet deitas, et personalitas Verbi; quæri alias solet: quænam ex his sit ratio formalis humanitatem substantialiter sanctam denominans? Certum est ex Concl. data, eam sanctificari ab utraque realiter spectata; quia sic sunt ipsum Verbum divinum, humanitatem eveniens ad esse divinum: reddens eam non tantum peccato immunem, sed etiam impeccabilem: objectum divinæ complacentiæ. Num vero, ut ope-



rose contendunt alii, deitas, ut contradistincta a personalitate Verbi, sit forma humanitatem sanctificans; et similiter personalitas, ut contradistincta a deitate? lis est mere scholastica, a qua consulto præscindimus.

421. *Dico II.* Præter gratiam unionis, sive sanctitatem substantialem, habuit quoque humanitas Christi gratiæ habitualis plenitudinem; unde in illam promanabat sanctitas accidentalis excellentissima.

Est constans omnium Theologorum sententia; non tamen de fide, ut merito observat Vasquez, Disp. 41. c. 1. quod Scriptura et Patres quando loquuntur de Christi gratia, non ita clare expriment gratiam habitualement, ut explicari nequeant de substantiali; nec extet alia hujus veritatis canonica definitio. Ratio vero asserendi Christo hanc gratiam, non est sanctificatio humanitatis; nec jus ad gloriam, nec operum valor et dignitas, aut similia: hæc enim omnia ratione sanctitatis substantialis sic conveniunt Christo, ut aliunde augeri non possint. Sed ratio est 1<sup>o</sup>. quia maxime debebat, Christi humanitatem ea quoque gratia ornari: etsi enim absolute necessaria non fuerit; cum sine ea Christi humanitas esset substantialiter sancta, amabilis, grata, exigens divinum concursum ad naturalia et supernaturalia; addebat tamen ornamentum novum et alterius speciei, et sanctitatem naturæ humanæ quasi propriam. 2<sup>o</sup>. Quia oportebat Christum habere dona illa, quæ ceu caput, in nos, tanquam membra, volebat derivare; ut TRIN. Sess. 6. cap. 16. ait: *Tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit*; caput enim membrum esse conforme decet secundum omnia, quæ non repugnant perfectioni capitis; hinc generaliter perfectio quælibet, quæ respectu Christi imperfectionem non involvit, illi tribuenda est. 3<sup>o</sup>. Ut humanitas Christi *connaturalius* eliceret supernaturales actus.

Finis igitur hujus gratiæ in Christo est: ut humanitas hoc speciali ornamento non careret: ut esset radix connaturalis habituum supernaturalium, quorum actus exercebat Christus, et a quibus, tanquam proprietatibus, ipsa quasi natura pro priori supponebatur: ut esset fons gratiarum in nos derivandarum: ut caput esset simillimum membrum. Hinc fit, gratiam hanc in Christo non fuisse frustraneam. Ac licet sanctitas substantialis perfectissime sanctificaret humanitatem Christi; id faciebat solum in linea sanctitatis substantialis formaliter; in alia vero linea sanctitatis accidentalitatis tantum eminenter. Unde et sanctitas accidentalitatis, etsi non auget intensivè sanctitatem præsuppositam; augebat tamen sanctitatem Christi extensivè, quatenus perficiebat humanitatem in alio genere sanctitatis: sic etiam meritum Christi non potest augeri intensivè, quoad valorem personalem, utpote infinitum; potest tamen augeri extensivè, quoad valorem moralem objectivum.

422. Porro æque certum est Theologis, gratiam hanc habitualement habuisse Christum a primo conceptionis momento; tunc enim illa poterat infundi, et debebatur ratione unionis hypostaticæ, qua posterior est ordine naturæ tantum; nec erat, cur differretur; cum non opponeretur muneri Redemptoris, ut gloria corporis; sed magis illi congrueret. Estque hæc ratio, quod a Patribus subinde gratia hæc dicatur Christo naturalis; uti enim

nobis ab origine inest culpa originalis, et juxta Apost. ad Ephes. 7. *natura sumus filii iræ*; sic a conceptione Christo gratia hæc connaturaliter debita inextitit.

423. *Dico III.* Gratia tamen illa accidentalitatis in Christo non est infinita physice; sed solum moraliter: sive tanta, quanta esse potuit spectato fine redemptionis. Communis rursus assertio est.

*Ratio prioris* est, quia cum capacitas subjecti sit physice limitata et finita, physice infinitudinis incapax est.

*Ratio posterioris* est, quia hæc infinitudo moralis consistit in eo, quod gratia habitualis in Christo, ratione unionis, fiat principium proximum actuum infinite meritoriorum; utque effective sanctificare posset infinitas, si darentur, creaturas, in has influendo gratias habituales; talem vero gratiam exigebat in Christo unio hypostatica, dignitas capitis angelorum et hominum, officium Redemptoris, et finis a Deo intentus: scilicet ut ex plenitudine ejus nos omnes accipere possemus tanquam ex fonte, juxta illud Joan. 1. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*; ita tamen, ut nunquam ab omnibus justis esset exhaustiunda, vel ab illis, etiam collective sumptis; adæquanda; quod rursus ratio personæ, et capitis moralis exigebat. Quod vero de gratia habituali hoc loco dictum, idem pariformiter dicendum de habitibus supernaturalibus aliis, qui Christo, eodem instanti, eadem perfectione infusi sunt.

424. QUÆRES: *quænam in Christo sit, et dicatur gratia Capitis?*

R. Illa nec est sola gratia unionis, nec sola gratia habitualis; sed involvit utramque; gratia enim capitis in Christo illa est, per quam constituitur aliorum Redemptor et sanctificator; quia gratia capitis idem significat, quod gratia, qua Christus fit principium meritorium; vel potens, ut possit in alios transfundere gratiam, sive justificationem et sanctitatem: sed per utramque gratiam Christus principium hujusmodi meritorium constituitur; nam actiones ejus meritorie accipiunt efficaciam merendi aliis per unionem ad Verbum; proxime vero eliciuntur illæ per habitus supernaturales, quorum connaturalis et immediata radix est gratia; igitur gratia capitis ex duplici illa gratia constat: quarum una, scilicet unionis, est principium magis remotum, quia dat valorem operibus, quæ moraliter dignificant; altera est principium proximum, quia operationes illas elicit per habitus supernaturales.

425. *Dico IV.* Humanitas Christi cum gratia infusa pariter accepit virtutes omnes, quæ, respectu Christi, indecentiam, vel imperfectionem non important. Rursus communis.

*Prob. per partes.* 1<sup>o</sup>. Virtutes naturales per accidens infusæ sunt Christo in primo instanti ejus conceptionis: quia licet hæc virtutes ignobiliore sint, minusque perfectæ, quam supernaturales; cum tamen inter maxima naturæ humanæ ornamenta numerentur, non videntur abnegandæ Christo, qui est totius naturæ gloria; cum in eo posuerit Deus, quidquid ante plantaverat in Adamo, ut ait S. JOANNES DAMASCEN.; huic vero cum omnes a primo ortu infusæ sint, dicendum est, easdem statim Christo inextitisse,



et quidem in statu ita excellenti, ut moraliter augeri non potuerint; hoc enim exigebat, et personæ dignitas, et officium capitis.

2<sup>o</sup>. In Christo fuerunt omnes virtutes morales per se infusæ: nimirum habitus supernaturales prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, earumque partes potentialès, vel subjectivæ: religio, pietas, obedientia, etc. Quia gratia habitualis est in Christo cum suis ornamentis omnibus; ergo etiam cum his virtutibus infusis.

*Neque dicas*: Fortitudinis et temperantiæ officium est, coercere passiones, ne repugnent rationi; in Christo vero non repugnabant; ergo. Deinde actus primarius continentiæ est reprimere actus concupiscentiæ, qui in Christo non habebant locum. Nam

*Ad 1<sup>um</sup>*. R. Est hoc earum officium necessario N. quando in subjecto illa rebellio reperitur C. Tunc solum id præstant, tolluntque difficultates rectæ operationis, si quam difficultatem patitur subjectum. De reliquo proprius earum actus est, inclinare facile ad operandum honeste circa passiones, sive hæ a ratione exerrare possint, sive non. Unde et earum habitus fuisset in statu innocentie, ubi nunquam appetitus rationem prævertere potuisset. Quod vero actus virtutum non produxerint habitum; id non tam ab iis in sua activitate impeditis, quam a subjecti incapacitate provenit, cui totum datum erat, quod naturaliter dari poterat.

*Ad 2<sup>um</sup>*. R. T. totum; tantum enim virtutes illas admisimus, quæ in subjecto suo, Christo, non indecentiam, vel imperfectionem moralem important; unde nec omnes virtutes theologicæ in Christo fuerunt, ut patebit modo.

3<sup>o</sup>. In Christo fuit *charitas theologica*: tam quæ circa Deum est, quam quæ circa homines propter Deum, ut admittunt omnes; et plena hujus testimoniis sunt Evangelia, ut probatione alia non egeat. *Fides* tamen in eo non fuit; hujus enim obscuritatem non compatiebatur visionis claritas, sicut neque in Beatis. De *spe* controversia est. Sed nihil vetat dicere, hanc virtutem in Christo fuisse quoad gloriam et immortalitatem sui corporis, quæ in vita mortali nondum habebat; sed passio et morte debebat adhuc consequi. Deinde, etsi quoad beatitudinem essentialem, qua Christus adhuc mortalis præsentem fruebatur, non posset in eo esse actus desiderii; cum tamen ad virtutem spei in tota latitudine sumptam non tantum pertineant actus desiderii circa beatitudinem absentem; sed etiam actus complacentiæ circa præsentem, saltem tanquam actus secundarii (propter quos etiam in Beatis manere hanc virtutem ad illos connaturalius exercendos habitu intrinsicæ et inhærente, plurimi docent); potest idem quoque de Christo asserti.

426. *Dico V.* Existerunt in Christi anima omnia dona Spiritus sancti, ac demum gratias omnes gratis datas in excellentissimo gradu ejus humanitas habuit.

*Quoad 1<sup>um</sup>*. testatur Isaias c. 11. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ et intellectus; spiritus consilii et fortitudinis; spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini*; totam vero hujus capituli prophetiam de Christo esse, testis est HIERON. in hunc locum cum communi Patrum: *Omnis, inquit, hæc prophetia de Christo est.* Et ratio

est, quia dona illa sunt perfectiones, quæ dant facile moveri a Spiritu sancto ad actus heroicos; sed Christus facillime ad actus ejusmodi movebatur.

*Quoad 2<sup>um</sup>*. ratio est, quia gratiæ illæ omnes eo tendunt, ut doctorem fidei habilem reddant ad explicandas et persuadendas veritates fidei et res æternas; ergo vel maxime Christo conveniebant; ac fuerunt in eo etiam permanentes ut habitus, ut, quoties vellet, iis uti posset ad audientium utilitatem, quibus loquebatur *tanquam potestatem habens*.

Unde nec *prophetia* excluditur; imo de Christo intelligi debet illud Moysis vaticinium, Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Et vero licet prophetia communiter conjugatur cum obscuritate aliqua; hæc tamen non necessario in ejus conceptu involvitur; sed ad eam sufficit, esse viatorem, et perfectissime futura cognoscere? Quod vero Christus dictus sit: *plus quam Propheta*; solum arguit, ab eo res arcanas et futuras fuisse perfectiori modo cognitæ, quam a prophetis cæteris; vel fuisse illum simul prophetarum Dominum.





## DISSERTATIO V.

### DE PROPRIETATIBUS ET PERFECTIONIBUS IPSIUS COMPOSITI THEANDRICI.

His demum cætera complectimur, quæ ad Christum, sive totum Theandricum compositum, pertinent; suntque 1º. *Tituli Christi*. 2º. *Operationes*, satisfactio et meritum. 3º. *Adoratio*; quo demum 4º. *Cultum Sanctorum*, ac SS. *Imaginum*, in gratiam Protestantium, reducimus; quæ sequentium Sectionum materiam dabunt et ordinem.

#### SECTIO I.

##### DE TITULIS CHRISTI.

Multiplures tituli Christi in divinis Scripturis deteguntur; inter quos cum dignitate primus sit, quod sit Filius Dei naturalis; ab eo duces ordinem, reliquos deinde brevius, cum longius in iis hæerere non exigat materia et scribendi ratio, exposituri.

##### ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS HOMO, SIT VERUS AC NATURALIS DEI FILIUS?

427. *Nota I.* Filius vel est naturalis, vel adoptivus. *Naturalis*, ut adoptivo oppositus, est, cui jure nativitatis et sanguinis paterna debetur hæreditas. *Adoptivus*, qui ab alio genitus, sed ab alio electus et assumptus, gratis ad hæreditatem vocatur; unde adoptio definitur a Jurisconsultis: *Gratuita et liberalis personæ extraneæ ad hæreditatem assumptio*.

*Nota II.* Fide catholica certum est, Christum, in quantum Deus est, jure generationis æternæ, esse Filium naturalem Dei: cui repugnat adoptio, quæ ex essentia sua requirit personam extraneam ab adoptante, inque sola fundatur adoptantis gratia, nullumque supponit ante adoptionem in adoptando jus ad bona adoptantis; ideo nec Christus simpliciter pronunciatum est Filius Dei adoptivus; quia importat suppositum divinum, ratione cujus est Filius Dei naturalis, habens ad bona æternæ Patris naturale jus. Hinc tantum con-



roversia est; an Christus, *in quantum homo*, sit verus ac naturalis Dei Filius?

*Nota III.* Circa finem seculi VIII. *Felix* et *Elipandus* Hispani, hic *Toletanus*, ille *Urgelitanus* episcopus, Christum esse Filium Dei adoptivum docuerunt; uti enim *Eginhardus* ad annum 791. refert, cum *Elipandus* *Felicem* consuleret, quid de Christi humanitate sentiret? an Christus, secundum quod homo est, naturalis et proprius Dei Filius, an adoptivus dici debeat? *Adoptivum* dici debere, respondit *Felix*, idque scriptis ad eundem libris defendere conatus fuit; et cum *Felice* postea idem prædicavit *Elipandus*.

In variis continuo Synodis hoc dogma proscriptum fuit. 1°. In *Forojuliensi* sub *Paulino* *Aquileiensi* anno 791. In *Ratisbonensi* et ab *Adriano I.* anno 792. In *Francfordiensi* an. 794. sub *Adriano I.* et *Carolo M.*, præsentibus *Theophylacto* et *Stephano* episcopis. Continet vero Conc. hoc Canones 56. et *Tractatus* quatuor. Primus est epistola *Adriani*, alter est liber dictus *Sacro-syllabus*, auctoribus, ut putatur, *Paulino* *Aquileiensi*, et aliis *Italiae* episcopis. Tertius constat epistola synodica, data a Concilio ad *Hispanos* præsules. Quartus epistola est *Caroli M.* ad *Elipandum*, qua ipsi damnationem ejus in Synodo significat.

*Nota IV.* Error vero ille: *Christus in quantum*, vel *quatenus homo*, est *filius Dei adoptivus*, tripliciter potest defendi; 1°. Ut particula *in quantum*, vel *quatenus* reduplicet ipsum suppositum; hincque error tum *Arii* fuit, ut aliunde constat; tum *Nestorii*, præter suppositum divinum in Christo, asserentis alterum creatum humanum, ratione cujus sit filius adoptivus. 2°. Ut reduplicet solam humanitatem, vel naturam humanam, quæ fuerat sententia *Gabrielis*, *Almaini*, *Majoris*, docentium, Christi humanitatem, posse dici adoptatam, non tamen esse, filiam. 3°. Ut reduplicet utrumque, et suppositum Christi, et humanitatem; quæ *Durandi* et *Scotti* opinio fuit.

*Felicem* et *Elipandum* non docuisse errorem illum in sensu *Arii*, satis convenit: nunquam enim hoc ipsis exprobratum est. In sensu *Nestorii* eos illum intellexisse, negat *Vasquez*; sed momenta sunt gravissima, quæ *Nestoriani* erroris illos reos agunt. Nam 1°. in epistola synodica aiunt *Patres Francfordienses*, eorum hæresin jam in *Nestorio* damnatam esse, illosque idem nomine *adoptionis* intelligere, quod *Nestorius* nomine *copulationis*; ambosque reprehendunt, quod *Nestorio* dicere anathema noluerint. Tum ibid. notant, juxta *Felicem* et *Elipandum*, Christum hominem ex servo adoptatum fuisse in filium; sed quid hoc aliud erat, quam cum *Nestorio* dicere: prius hominem purum creatum fuisse, ac deinde evectum ad dignitatem Filii? 2°. *Sacro-syllabus* eos *novos hostes*; at *veternosa face* (*Nestorii*) *pollutos* dicit. 3°. Eos cum erroris sui parente *Nestorio* sensisse, diserte refert *Jonas Aurelianens.* Lib. 1. de Cult. Imag. *Ærnerius Auxumensis* episcopus, et *Beatus* in *Asturia* presbyter L. 1. cont. *Elipandum*. 4°. *Agobardo* teste, Lib. cont. *Felicem*; hic scripto, quod mortuus reliquerat, legitque *Agobardus*, clare expresserat, Dei Patris Filium nullatenus dici debere passum, sed hominem ab eo assumptum; quæ ipsa fuerat *Nestorii* hæresis. His, quæ necessaria erant ad quæstionis intelligentiam, præmissis,

428. Dico. Christus, *in quantum homo*, est verus ac naturalis Dei Filius; et sub nulla ratione adoptivus.

*Prob. I.* Auctoritate S. SCRIPTURÆ. Et quidem, omissis textibus aliis, ad Rom. v. 32. inquit Apostolus: *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quo in loco, observante *Adriano I. S. P.* epist. ad episcopos *Hispaniæ*, Christus vocatur *Filius proprius* secundum naturam illam ipsam, in qua traditus fuit, sive secundum humanitatem; ergo nequidem sub restrictione humanitatis (sive Christus, quatenus homo), dici potest filius adoptivus; vel secus admitti debent filii duo; alter naturalis, adoptivus alter; quod esset sentire cum *Nestorio*.

429. *Prob. II.* Auctoritate PATRUM qui ante Concilium *Francfordiense* floruerunt, e quibus S. *Hilar.* L. 3. de *Trinit.* n. 11. *Dominus*, inquit, dixerat: *Clarifica Filium tuum* (*Joan.* 17. 1.). *Non solum nomine contestatus est esse se Filium, sed et proprietate, qua dicitur tuum; multi enim nos filii Dei, sed non talis hic Filius. Hic enim et verus et proprius est Filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione.* S. *Athanasius* L. 1. contr. *Apollin.* n. 12. *Errant qui dicunt, alium esse qui passus est Filius, et alium qui passus non est. Non enim alius est quam ipsum Verbum, quod passionem et mortem susceperit.* Et n. 13. *In illo ipso nomine, quod unicum est, res utraque significatur, divinitas nempe et humanitas. Ideoque homo dicitur Christus, Deus quoque dicitur Christus, ac Deus et homo est Christus, et unus est Christus.* S. *Augustin.* Tr. 82. in *Joan.* n. 4. *Nos, inquit, filii gratia, non natura; Unigenitus autem natura, non gratia; tum subdit: An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? respondet: ita sane.* Et in *Enchirid.* n. 35. *Unus Dei Filius, idemque hominis filius, unus hominis filius, idemque Dei Filius: non duo Filii Deus et homo, sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus. Præ-sules Africani in libello emendationis Leporii presbyteri, in hoc, aiunt concordēs, maxime fides nostra consistit, ut credamus unicum Filium Dei, non adoptivum, sed proprium.* Plura apud *Petavium* L. 7. c. 2.

430. *Prob. III.* Auctoritate *FRANCFORDIENSIS* Concilii propositionem illam: *in quantum homo, est Filius Dei adoptivus*, damnantis, non tantum in sensu *Nestorii*, sed absolute, in quocumque sensu; etiam sub expressa restrictione humanæ nostræ naturæ, servata licet unitate personæ. Nam 1°. in epist. synodica ad *Hispanos* ait de Christo (*Labb.* t. 7. p. 1044. C.): *Quid est aliud dicere eandem Virginem adoptivum vel servum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse? Si Deus generatus est, nequaquam adoptivus (h. e. nulla ratione), sed Filius. 2°. In ead. (Labb. ibid.): Alia persona est proprii Filii, alia adoptivi filii servi: et scimus unam esse personam in Christo Deo, Dei et hominis; ergo nec ut homo patitur dici adoptivum. 3°. In cit. ep. (Labb. ibid. p. 1043. D.) rationem dat: *Adoptivus siquidem non habet aliam significationem, nisi ut Jesus Christus non sit proprius Filius Dei: atqui hoc falsum esset; nam haberet significationem aliam, si Christus ut homo esset filius adoptivus, et componi posset cum filiatione naturali filiatione adoptativa, servata unitate personæ. Unde 4°. *Adrianus* S. P. in ep. ad episc. *Hisp.* (Labb. ibid. p. 1044. D.) rejicit *adoptionem* *Jesu Christi Filii***



*Dei secundum carnem* (humanitatem) tanquam *perfidiam*: quia *hoc sancta Dei Ecclesia nunquam credidit*: et in Sacrosyllabo dicitur (Lab. ibid. p. 1023. E.): *De beata Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem*. Ac rursus in epist. synod. (Lab. ibid. p. 1033. D.): *Hoc, quod Joannes dixit: vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre... contra adoptionem carnis facit*. En, nequidem patitur Concilium dici humanitatem adoptatam; hæc enim per carnem intelligitur, sicut Joan. 1. *Verbum caro factum est*.

431. *Prob. IV. RATIONE. 1º.* Christus et homo sunt nomina concreta, quæ personam connotant; sed persona Christi est Filius naturalis, non adoptivus; ergo Christus *ut homo*, nihil aliud sonat, quam Verbum subsistens in natura humana: sed hoc est vere et substantialiter Filius Dei naturalis; ergo. 2º. Adoptio cadit in personam extraneam, quæ ex mero adoptantis favore et gratia, non ex origine et natura, vocatur ad hæreditatem; definitur enim: *gratuita et liberalis personæ extraneæ ad hæreditatem assumptio*; quæ definitio colligitur ex *Inst. et ff. de Adoptionib.*; atque ita adoptionem intelligunt non tam Jurisconsulti, quam Theologi ac homines passim; et ita sumpserunt Patres Francofordienses. Unde essentialiter duo requirit: primum, ut, qui adoptatur, sit persona respectu adoptantis extranea. Alterum, ut nullum habeat jus ad hæreditatem: atqui nulla est in Christo persona extranea, etiam *quatenus homo est*; sed unica eaque divina, et Christus qua homo habet jus ad hæreditatem Dei, quæ est visio beatifica; ergo.

Hinc patet etiam, cur nec humanitas dici possit adoptata; quia non est persona, in quam solam cadit denominatio adoptionis; ac ratione unionis hypostaticæ habet jus ad hæreditatem intrinsecum.

432. *Obj. I. E.* veteribus varii Patres, cum de Christo agunt, adoptionis nomen adhibent; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1º. S. IRENEUS L. 3. cont. Hær. c. 49. n. 4. *Qui Filius Dei est, inquit, Filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei*. 2º. S. HILARIUS L. 2. de Trinitat. n. 27. *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. 3º. S. CYRILLUS Alexandrin. de Trinit. Dial. 3. (opp. t. 5. part. 1ª. p. 486. A.); *Adoptatus nobiscum*. 4º. S. AUGUST. L. de Prædest. Sanct. c. 15. n. 30. dicit Christum *gratia talem ac tantum esse*. 5º. S. ILDEPHONSUS et alii Toletani præsules Christum esse Filium Dei adoptivum credebant; ut constat ex ipsa epist. Conc. Francofordiense (Lab. t. 7. p. 1033. B.): *Etsi Ildephonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, etc.*; ergo.

R. *Generaliter D. Ant.* Adhibuerunt adoptionis nomen, quod crederent Christum esse filium adoptivum: vocem *adoptionis* in rigore sumendo *N.* per adoptionem intelligendo assumptionem naturæ humanæ gratis, sine ullis antecedentibus meritis, ad unionem cum Verbo *C.* Hæc vero assumptio latiori sensu dicitur adoptio, et longe diverso ab eo, de quo hic quæstio est. Sicque explicari debent S. IRENEUS, HILAR., CYRILL., AUGUST.

Et quidem, quod S. HILARIUM attinet, habes ejus verba supra recitata. Quod vero HINC MARUS in Præf. L. cont. Gottschalcum, item ALQUINUS velint in Hilario pro *adoptatur* legendum esse *adoratur*, et a Felice corruptum

fuisse S. HILARIUM; fides sit penes asserentes. Negat PETAVIUS hic, contendens verbum *adoratur* minus coherere cum antecedentibus, quam *adoptatur*; quia eo loco antithesin facit HILARIUS, qua cum deitatis insignibus, ea, quæ sunt naturæ humanæ vilia, comparantur. Similiter de S. AUG. mente constat ex ejus verbis supra, de S. CYRILLO vero ex ejus contra Nestorium gestis, contra quem unam solam in Christo personam propugnavit, scilicet divinam Verbi.

*Ad 3ºm. et ult. N.* hoc de ILDEPHONSO et aliis Toletanis episcopis. Ita quidem objecerat Elipandus; sed quod ipsa ILDEPHONSI scripta non adessent, ex quibus dicti veritas detegi potuisset; respondebant PP. non asserendo, sic credidisse ILDEPHONSUM; sed quasi permittendo: *etsi Ildephonsus vester, etc. noster Gregorius Pontifex Romanæ fidei semper eum unigenitum nominare non dubitavit*. Cæterum falso hoc Elipandum jactasse, ex ipso ILDEPHONSO constat L. de partu virginis (Biblioth. magn. PP. t. 9. p. 123. B.): *Ergo non illum, ut cæteros adoptio Filios, Dei fecit Filium; sed divinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltavit*. Et L. de Virginit. perpetua S. Mariæ c. 41. (ibid. p. 120. A.): *Propter duarum naturarum proprietatem in unitate personæ Dei conneçam, Dei et hominis unius Christi hæc sola homo mater est virgo. Ita in utraque natura unum generans filium, ut idem sit Filius Dei, qui Filius hominis; nec alter sit Filius hominis, quam qui Filius Dei*.

433. *Obj. II.* Christus ut homo non est Deus; ergo neque Filius naturalis Dei.

R. *D. Ant.* Non est Deus formaliter *C.* non est Deus hypostatice *N.* Sed hoc jam sufficit, ut sit et dicatur Filius naturalis Dei; cum enim homo nomen concretum sit, simul cum natura personam importat: sed persona Christi ut hominis est Filius naturalis Dei; est enim persona Verbi.

434. *Inst. 1.* Potest Christus, qua homo, dici servus late dictus, ratione naturæ humanæ; non obstante, quod Christus et servus nomina concreta sint; ergo etiam sic Filius adoptivus dici potest.

R. *N. Cons.* Nam *disparitas* est, quia servitus late dicta, quæ in hac quæstione nihil aliud est, quam subjectio ad Deum et essentialis dependentia a Deo, non tam suppositum afficit, quam naturam, ac proin ratione hujus supposito convenire potest, et solam potest afficere naturam; utpote quæ, abstrahendo etiam a persona, est quid subjectum Deo, essentialiter dependens a Deo; ergo serva late dici potest. Sed *filiatio* est proprietas præcise personalis, et supposito ratione sui convenit. Hinc reduplicatio: *Christus, quatenus homo*, nequaquam cadere debet supra formam, seu naturam; sed homo *specificative* sumi debet, ut dicens naturam suppositam. *Disparitas* hæc est D. THOMÆ hic ad 3. *Dicendum, quod esse creaturam, et etiam servitus, vel subjectio ad Deum non solum respicit personam, sed etiam naturam; quod non potest dici de filiatione*.

*Cujus ratio* ulterior est, quod ad relationem filii requiratur generatio passiva, perfecta, ac completa; filiatio enim ens completum in specie generantis respicit, proinde et suppositum: sicut enim paternitas, quia generationem sequitur, non convenit naturæ; sic nec filiatio, cum generationem



passivam sequatur. Inde in divinis non permittuntur hæ propositiones : *Natura divina generat : Natura divina est genita*. E contra orthodoxæ sunt : *Pater generat : Filius generatur* ; ergo relatio filiationis ultimum generationis terminum, sive suppositum, non naturam respicit et denominat. Unde rursus Doctor Angelicus hic in 3. D. 8. q. 1. a. 5. ad 1. ait : *Subjectum filiationis non potest esse natura ; cum sit ejus, quod habet complementum speciei*. Ideoque ibid. a. 1. ad 5. dixerat : *Ad filiationem requiritur plus, quam ad nativitatem, vel ortum ; scilicet, ut quod exit per generationem a generante, sit completum in specie generantis ; et ideo fructus arborum, ova avium, et capilli, et alia hujusmodi non habent rationem filiationis, licet dicantur nasci*.

435. *Inst. 2.* Christus quod sit Filius naturalis Dei, non habet ab humanitate ; ergo Christus quatenus homo non est filius naturalis Dei ; ergo adoptivus est.

R. C. A. D. *Cons.* Si  $\tau\delta$  quatenus homo sumatur reduplicative, quasi humanitas esset ratio formalis, ob quam Christus sit Filius naturalis Dei, sic quatenus homo non est Filius naturalis Dei C. Falsum enim est, humanitatem esse rationem formalem filiationis Christi, juxta dicta. Si sumatur specificative, ut sumi debere diximus N.

436. *Inst. 3.* Ratio filiationis naturalis est vera et naturalis generatio : sed Christus quatenus homo a Deo per veram et naturalem generationem non procedit ; ergo.

R. D. *Ant.* Ratio sola et unica filiationis naturalis est naturalis generatio N. etiam unio hypostatica, qua naturæ communicatur persona illa, quæ est genita, est ratio filiationis naturalis C. Unde causa remota filiationis naturalis Christi est generatio divina passiva personæ Verbi ; causa proxima et formalis est ipsa persona Verbi substantialiter conjuncta humanitati per unionem hypostaticam. Ex quo fit, quod, licet tota Trinitas sit causa effectiva unionis, Christus tamen dici non possit filius totius Trinitatis ; quia filio Christi remote et ultimato fundatur in generatione divina passiva.

437. *Inst. 4.* Christus ut homo non potest dici Verbum, aut imago Patris. Item, si Pater assumeret naturam humanam, non foret Pater ut homo ; quia ut homo non generaret ; ergo nec Christus ut homo dici debet naturalis Dei Filius.

R. N. *Ant.* quoad utrumque ; sed eodem sensu Christus ut homo potest dici Verbum, imago Patris, quo Filius Dei naturalis dicitur ; quanquam modo specialiori Filius dicatur ; quia filio est proprietas personalis, soli personæ conveniens. Similiter eodem sensu, in altera hypothesis, prima persona ut homo esset Pater æterni Verbi : uti modo Christus illius Filius naturalis est.

438. *Obj. III.* 1°. Gratia habitualis effectus est filio adoptiva : sed hæc fuit in Christo, et quidem ejusdem speciei cum nostra, et in excellentissimo gradu ; ergo. 2°. Licet Verbum sit de se suppositum extraneum

naturæ humanæ ; potest tamen facere natura humana, cui unitur, ut sit filius naturalis B. M. Virginis, sicque fiat huic intraneum ratione naturæ ipsi intraneæ ; ergo etiam potest natura extranea facere, ut suppositum de se intraneum fiat extraneum, et subjectum capax filiationis adoptivæ per gratiam. 3°. Si Christus nequeat dici adoptivus ; ergo Theologi illi, qui ita senserunt, adhuc post Conc. Francofordiense essent hæretici ; ut Scotus, DURANDUS : sed nemo illos ut hæreticos habet. 4°. Qui est Filius Dei per naturam, potest esse Filius Dei per prædestinationem ; nam de Christo Filio Dei dicitur ab Apost. ad Rom. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* ; ergo etiam poterit dici, Filius Dei per adoptionem.

Ad 1<sup>am</sup>. R. D. M. Est hic effectus gratiæ habitualis in subjecto capaci filiationis adoptivæ, quale sunt cæteri puri homines C. si subjectum incapax sit illius filiationis N. Sed Christus, cum non sit persona extranea Deo, filiationis adoptivæ capax non est.

Ad 2<sup>am</sup>. N. *Cons.* Disparitas est, quia, ut suppositum, quod est intraneum, fiat extraneum, debet amittere prædicata positiva sibi propria et naturalia, per quæ erat secundum se intraneum : scilicet naturam habitam primo per se per generationem : sed Verbum hæc amittere non potest, estque talis mutationis essentialiter incapax. At nihil amittit Verbum, dum, ratione naturæ assumptæ, fit suppositum matri intraneum, quasi domesticum ad terminandam generationem, adeoque filiationem, generationis terminum ; non enim ideo desiit esse intraneum Patri. Unde de eo Ecclesia : *Mirabili mysterio, id quod fuit permansit : et quod non erat assumpsit*.

Ad 3<sup>am</sup>. R. N. *seq.* Quia acta Concilii Francofordiense din, ut putatur, hæreticorum astutia, latuerunt incognita, dum demum a SURIO, qui anno 1578. obiit, detegerentur. Unde Theologi illi, qui tum Christum adoptivum, sensu supra exposito, asserebant ; quia acta Concilii illos latebant, accusari hæresis nullatenus possunt.

Ad 4<sup>am</sup>. N. *Cons.* Alia est ratio adoptionis, alia prædestinationis ; nam adoptio essentialiter requirit personam, quæ sit respectu adoptantis extranea ; at prædestinatio respicit personam non solum secundum id, quod est ei naturale ; sed etiam secundum id, quod potest personæ convenire aliunde, ideoque Christus dicitur prædestinatus Filius Dei, non secundum quod subsistit in natura divina ; sic enim est Filius Dei naturaliter ; sed secundum quod subsistit in natura humana. Et vera est enunciatio hæc : *Christus ut homo prædestinatus est filius Dei naturalis* ; vel adoptionem Dei naturalem.

Ratio ulterior est, quia prædestinatio proprie accepta est Dei præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam facturus est in tempore ; et ad prædestinationem sufficit, quod subjectum potuerit non habere hunc terminum ; atqui hoc suppositum Christus, ratione naturæ humanæ, potuit non habere filiationem Dei : et Christo ut homini convenit in tempore, per gratiam unionis, esse Filium naturalem Dei ; licet enim personæ Christi ut subsistenti in natura divina naturale sit esse Filium Dei naturalem ; non tamen ei naturale id est secundum naturam humanam. Quam rationem in terminis S. THOM. hic a. 1. ad 2. ubi. *Quamvis enim, inquit, sit naturale illi personæ secundum se consideratæ, quod sit Filius Dei in virtute ; non tamen*



est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis. In quo secutus est S. Aug. quem refert L. de Prædest. Sanctor. c. 13.

## ARTICULUS II.

## EXPENDUNTUR RELIQUI TITULI CHRISTI.

Ex cæteris Christi titulis alii sunt honoris et potestatis; alii amoris; alii officii: ex quibus hic præcipuos delibamus.

439. Dico I. Tituli honoris et potestatis sunt sequentes: et quidem est

1. *Rex et Dominus omnium*; non tantum qua Deus est, ut per se patet; sed et qua homo, juxta illud ad Hebr. 1. *Novissime nobis locutus est in Filio, quem constituit hæredem universorum.* Ac Dan. 7. *Dedit ei potestatem, et honorem et regnum.* Uti enim Christus, qua Deus, hæc omnia habet ex natura; ita et qua homo, ex dono Patris ac libera constitutione eadem communicata accepit.

Hoc tamen regnum Christi, qua hominis, in mundo potissimum spirituale fuit; cum politicum aliud agnoscere nollet, ac Pilato diserte responderet, Joan. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum; ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Ad quæ verba S. Aug. Tr. 113. in Joan. n. 2. *Audite ergo, inquit, Judæi et Gentes, audi, circumcisio; audi, præputium; audite, omnia regna terrena: non impediō dominationem vestram in hoc mundo... Regnum meum non est de hoc mundo. Quid vultis amplius? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo; venite credendo, et nolite servare metuendo.* Hac etiam potestate regia spirituali sola usus est, condendo Ecclesiam, eique leges dando; instituendo sacramenta; ordinando Apostolos, et mittendo ad prædicandum, etc. Ut proinde, qua homo, vel executionem regni potestatis politicæ non acceperit; vel huic renuntiaverit. Unde et allatos supra textus ad Hebr. 1., Dan. 7., de regno potius spirituali intellige.

440. II. *Sacerdos verus et novæ Legis Pontifex*, juxta illud ad Hebr. 4. 14. *Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit celos, Jesum Filium Dei* Et prob. ratione: Sacerdotis enim officium est, agere mediatorem Deum inter et homines, offerre pro populo preces et sacrificia, juxta illud ad Hebr. 5. 1. *Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Sed hoc præstitit Christus; nam est semper vivens ad interpellandum pro nobis, ad Hebr. 7. 25. Item ad Hebr. 9. 14. *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram.* En, se ipsum obtulit; scilicet simul sacerdos et victima.

Sacerdos tamen fuit qua homo, sive secundum naturam humanam; sacerdotium enim et sacrificium dicunt submissionem in offerente et re oblata; sed submitio Christo tantum qua homini convenit, non qua Deo.

Porro sacerdos est in æternum, et secundum ordinem Melchisedech, juxta illud Ps. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Quæ repetit Apostolus ad Hebr. 5. et Christo applicat. Ac 1º. quidem est sacerdos æternus; quia caret successore, et semper ipse est offerens, et sacerdotes reliqui ejus ministri sunt. Ratione vero sacrificii cruenti in cruce oblato, habet etiam sacerdotium æternum, sed quoad effectum, et representationem pretii semel oblato; de hoc enim ait Apost. ad Hebr. 10. 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

2º. Est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Hoc quidem late ostendit Apostolus ad Hebr. c. 6. et 7. Quinque nimirum figuris illa Christi in Melchisedech præfiguratio constat. 1. Quia nomen ipsum Melchisedech idem sonat, ac rex justitiæ; at Christus verus rex justitiæ est. 2. Melchisedech fuit rex Salem, id est, pacis; sed Christus idem est pacem Deum inter et hominem restituens. 3. Melchisedech dicitur sine patre, sine matre; Christus secundum humanitatem sine patre; secundum divinitatem sine matre est. 4. Melchisedech dicitur, neque initium dierum, neque finem vitæ habens; Christus qua Deus initium non habet; qua sacerdos non finem. 5. Sacrificium Melchisedechi in pane et vino constituit, Gen. 14. 18.; sed et Christus sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem suum obtulit; offertque adhuc per ministros sacerdotes. Unde S. CYPRIAN. ep. 63. ad Cæcilian. n. 4. *Quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus; qui sacrificium Deo Patri obtulit, et hoc idem, quod Melchisedech: id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem.*

Quin ideo proprie dicitur sacerdos æternus, quod adhuc sacrificet per ministros; nam sacerdos non potest dici, qui non habeat sacrificium aliquod, quod offerat; hoc vero sacrificium non potest esse sacrificium cruentum crucis, utpote quod transiit et repeti non potest, quia Christus jam non moritur, ut ait Apostolus; ergo debet esse aliud: sed aliud assignari nequit, quam quod offertur in Ecclesia sub speciebus panis et vini, ipsum Christi corpus et sanguis; a quo et alterum sequitur, quod sit secundum ordinem Melchisedech æternus; hæc enim characteristicæ nota est sacerdotii Melchisedechi et specifica, quod in pane et vino obtulerit. Unde et Gen. 14. cit. cum dicitur obtulisse panem et vinum, ratio datur: *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* Inde sacrificium Missæ probant Theologi, et late Tract. de Sacram. Euchar., quo pertinet, probatum jam habes.

441. III. *Caput hominum et angelorum*, juxta illud ad Ephes. 1. 20. *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum...* Et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius: ubi in priore parte textus etiam angeli comprehenduntur. Inde etiam conficitur, ipsum esse caput Ecclesiæ secundum naturam humanam. Nam secundum eam naturam Apostolus testatur Christum constitutum esse caput totius Ecclesiæ, secundum quam fuit suscitatus a mortuis; sed fuit suscitatus a mortuis secundum naturam humanam, non divinam; ergo.

Dicitur porro caput Ecclesiæ tripliciter: 1º. Ratione ordinis; sicut enim caput est principalis pars hominis: ita Christus Ecclesiæ ob summam propinquitatem ad Deum. 2º. Ratione perfectionis; sicut enim in capite vigent omnes sensus, cum in reliquis membris solus vigeat tactus: ita in Christo plenitudo est omnium gratiarum, ut ait AUGUSTIN. ep. 187. ad Dardan. n. 40.



est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis. In quo secutus est S. Aug. quem refert L. de Prædest. Sanctor. c. 13.

## ARTICULUS II.

## EXPENDUNTUR RELIQUI TITULI CHRISTI.

Ex cæteris Christi titulis alii sunt honoris et potestatis; alii amoris; alii officii: ex quibus hic præcipuos delibamus.

439. Dico I. Tituli honoris et potestatis sunt sequentes: et quidem est

1. *Rex et Dominus omnium*; non tantum qua Deus est, ut per se patet; sed et qua homo, juxta illud ad Hebr. 1. *Novissime nobis locutus est in Filio, quem constituit hæredem universorum.* Ac Dan. 7. *Dedit ei potestatem, et honorem et regnum.* Uti enim Christus, qua Deus, hæc omnia habet ex natura; ita et qua homo, ex dono Patris ac libera constitutione eadem communicata accepit.

Hoc tamen regnum Christi, qua hominis, in mundo potissimum spirituale fuit; cum politicum aliud agnoscere nollet, ac Pilato diserte responderet, Joan. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum; ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Ad quæ verba S. Aug. Tr. 113. in Joan. n. 2. *Audite ergo, inquit, Judæi et Gentes, audi, circumcisio; audi, præputium; audite, omnia regna terrena: non impediō dominationem vestram in hoc mundo... Regnum meum non est de hoc mundo. Quid vultis amplius? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo; venite credendo, et nolite servare metuendo.* Hac etiam potestate regia spirituali sola usus est, condendo Ecclesiam, eique leges dando; instituendo sacramenta; ordinando Apostolos, et mittendo ad prædicandum, etc. Ut proinde, qua homo, vel executionem regni potestatis politicæ non acceperit; vel huic renuntiaverit. Unde et allatos supra textus ad Hebr. 1., Dan. 7., de regno potius spirituali intellige.

440. II. *Sacerdos verus et novæ Legis Pontifex*, juxta illud ad Hebr. 4. 14. *Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit celos, Jesum Filium Dei* Et prob. ratione: Sacerdotis enim officium est, agere mediatorem Deum inter et homines, offerre pro populo preces et sacrificia, juxta illud ad Hebr. 5. 1. *Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Sed hoc præstitit Christus; nam est semper vivens ad interpellandum pro nobis, ad Hebr. 7. 25. Item ad Hebr. 9. 14. *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram.* En, se ipsum obtulit; scilicet simul sacerdos et victima.

Sacerdos tamen fuit qua homo, sive secundum naturam humanam; sacerdotium enim et sacrificium dicunt submissionem in offerente et re oblata; sed submitio Christo tantum qua homini convenit, non qua Deo.

Porro sacerdos est in æternum, et secundum ordinem Melchisedech, juxta illud Ps. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Quæ repetit Apostolus ad Hebr. 5. et Christo applicat. Ac 1º. quidem est sacerdos æternus; quia caret successore, et semper ipse est offerens, et sacerdotes reliqui ejus ministri sunt. Ratione vero sacrificii cruenti in cruce oblato, habet etiam sacerdotium æternum, sed quoad effectum, et representationem pretii semel oblato; de hoc enim ait Apost. ad Hebr. 10. 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

2º. Est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Hoc quidem late ostendit Apostolus ad Hebr. c. 6. et 7. Quinque nimirum figuris illa Christi in Melchisedech præfiguratio constat. 1. Quia nomen ipsum Melchisedech idem sonat, ac rex justitiæ; at Christus verus rex justitiæ est. 2. Melchisedech fuit rex Salem, id est, pacis; sed Christus idem est pacem Deum inter et hominem restituens. 3. Melchisedech dicitur sine patre, sine matre; Christus secundum humanitatem sine patre; secundum divinitatem sine matre est. 4. Melchisedech dicitur, neque initium dierum, neque finem vitæ habens; Christus qua Deus initium non habet; qua sacerdos non finem. 5. Sacrificium Melchisedechi in pane et vino constituit, Gen. 14. 18.; sed et Christus sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem suum obtulit; offertque adhuc per ministros sacerdotes. Unde S. CYPRIAN. ep. 63. ad Cæcilian. n. 4. *Quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus; qui sacrificium Deo Patri obtulit, et hoc idem, quod Melchisedech: id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem.*

Quin ideo proprie dicitur sacerdos æternus, quod adhuc sacrificet per ministros; nam sacerdos non potest dici, qui non habeat sacrificium aliquod, quod offerat; hoc vero sacrificium non potest esse sacrificium cruentum crucis, utpote quod transiit et repeti non potest, quia Christus jam non moritur, ut ait Apostolus; ergo debet esse aliud: sed aliud assignari nequit, quam quod offertur in Ecclesia sub speciebus panis et vini, ipsum Christi corpus et sanguis; a quo et alterum sequitur, quod sit secundum ordinem Melchisedech æternus; hæc enim characteristicæ nota est sacerdotii Melchisedechi et specifica, quod in pane et vino obtulerit. Unde et Gen. 14. cit. cum dicitur obtulisse panem et vinum, ratio datur: *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* Inde sacrificium Missæ probant Theologi, et late Tract. de Sacram. Euchar., quo pertinet, probatum jam habes.

441. III. *Caput hominum et angelorum*, juxta illud ad Ephes. 1. 20. *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum...* Et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius: ubi in priore parte textus etiam angeli comprehenduntur. Inde etiam conficitur, ipsum esse caput Ecclesiæ secundum naturam humanam. Nam secundum eam naturam Apostolus testatur Christum constitutum esse caput totius Ecclesiæ, secundum quam fuit suscitatus a mortuis; sed fuit suscitatus a mortuis secundum naturam humanam, non divinam; ergo.

Dicitur porro caput Ecclesiæ tripliciter: 1º. Ratione ordinis; sicut enim caput est principalis pars hominis: ita Christus Ecclesiæ ob summam propinquitatem ad Deum. 2º. Ratione perfectionis; sicut enim in capite vigent omnes sensus, cum in reliquis membris solus vigeat tactus: ita in Christo plenitudo est omnium gratiarum, ut ait AUGUSTIN. ep. 187. ad Dardan. n. 40.



3<sup>o</sup>. Ratione *virtutis*; sicut enim omnia membra a capite hauriunt vim et motum: sic omnia membra mystica Ecclesie motum gratia a Christo, qua se moveant ad opera vite eterne.

Angelorum vero caput est 1<sup>o</sup>. Ratione *ordinis et preeminentia*, ad Coloss. 2. et Ephes. 1. 2<sup>o</sup>. Ratione *auctoritatis et potestatis*, ad Philipp. 2. 10. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium.* Et 1. Pet. 3. 22. *Profectus in caelum, subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.* 3<sup>o</sup>. Ratione *gratie*, non quidem essentialis primae, quam in creatione sua acceperunt; haec enim ex mera Dei liberalitate, independenter a Christi meritis, ipsa concessa fuit, ut suo loco ostendimus de causa finali incarnationis; sed accidentalis, quam etiam in angelos influit: quaeque consistit in variorum mysteriorum revelatione, praesertim incarnationis; tum in gaudio quodam accidentali, quo fruuntur ex salute nostra per Christum facta, et similibus.

442. IV. *Judex vivorum et mortuorum.* Aet. 10. 42. *Ipsa constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* Joan. 5. 22. *Neque Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio.* Haec porro judicis dignitas Christo etiam homini competit.

443. Dico II. Tituli officii sunt, quod sit Propheta, Doctor, Mediator, Redemptor. Est igitur

I. *Propheta.* Juxta illud Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies; quae de Christo dicta sunt.* Porro character Prophetae in Christo elucet ex ejus futurae scientia, tum secretorum et occultorum; ex reprehensione vitiorum; reductione populi ad cultum Dei verum; mysteriorum et Scripturarum interpretatione: unde passim a populo *Propheta magnus* dicebatur.

444. II. *Doctor.* Is. 55. 4. *Testem populis dedi cum, ducem ac praeceptorem gentibus.* Joan. 13. 13. *Vocatis me Magister, et Domine: et bene dicitis; sum etenim.* Officium hoc implevit manifestando veritates nobis ignotas; docendo; efficacia sermonis convincendo; doctrinam suam confirmando operibus et miraculis.

445. III. *Mediator.* Specialis hic titulus Christi est; isque illi tribuitur ob officium singulariter proprium, 1. Tim. 2. 5. *Unus Deus, unus et Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ad Hebr. 9. 15. *Novi Testamenti mediator est; ut morte intercedente, in redemptionem earum praevocationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant.... hereditatis.* Mediatoris enim est reconciliare; hoc praestitit Christus *mundum reconcilians Deo.* Quin etiamnum exercet, exercebitque usque ad finem hoc mediatoris officium; ad Hebr. 7. 25. *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum; semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Et 1. Joan. 2. 1. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.*

Quaeres: Juxta quam naturam Christo competat mediatio? Quidam ex

Lutheranis ratione solius humanitatis Christum mediatorem asserunt; Calvinus cum Lutheranis reliquis ratione solius divinitatis. Sed utrumque male. Nam

R. 1<sup>o</sup>. Christus non fuit mediator secundum solam naturam humanam; hujus enim mediatio non fuisset sufficiens ad reconciliationem perfectam; quia, cum non fuisset persona infinite dignitatis, neque pretium fuisset condignum, et valoris infiniti.

R. 2<sup>o</sup>. Nec mediator dici potest ratione solius divinitatis, 1<sup>o</sup>. quia natura divina non potuit esse principium elicivum operationum, per quas facta est mediatio; nec secundum hanc Christus pati, mori, etc. potuit, cum impassibilis, immortalis sit. 2<sup>o</sup>. Ipsi naturae divinae pretium persolvi debuit; ergo ipsa mediare non poterat et reconciliare; mediator enim, ut vox ipsa denotat, diversus esse debet in lite et causa a partibus. 3<sup>o</sup>. Quia alias tota Trinitas exercuisset officium mediationis et redemptionis; quia operationes ad extra SS. Trinitatis communes et indivisae sunt. Unde

R. 3<sup>o</sup>. Christus, ut homo Deus, sive ut homo subsistens persona Verbi, mediator est; 1<sup>o</sup>. enim utrumque Scriptura innuit 1. Cor. 2. 8. *Dominus gloriae crucifixus est*, ubi per *Dominum gloriae* persona Christi, per *crucifixus* natura humana exprimitur; natura enim divina crucifigi non potuit. 2<sup>o</sup>. *Ratio* est, quia sic principium elicivum operationum, quibus facta mediatio est, Christus qua homo, sive secundum naturam humanam, fuit; dignificativum vero fuit Verbum, a quo valorem infinitum, ac pretium illa mediatio traxit. Unde S. Aug. L. 10. Conf. c. 42. *Mediator, ait, inter Deum et homines oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus; ne in utroque hominibus similis, longe esset a Deo; aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset.*

446. Obj. 1<sup>o</sup>. SS. Patres mediationem saepe divinitati tribuunt; ergo. 2<sup>o</sup>. Mediatoris est, ut inquit S. Aug. Enchirid. c. 33., renovare corda, dare Spiritum sanctum; atqui haec Christo tantum qua Deo convenire possunt. 3<sup>o</sup>. Mediator nihil debet habere commune partibus reconciliandis, sed distare habet ab extremis; at Christus Deus homo de utraque parte participat.

Ad 1<sup>um</sup>. R. D. Mediationem substantialem sive incarnationem, qua conjuncta est natura divina et humana, et quae sufficiens est ad perfectam reconciliationem hominis cum Deo C. mediationem, quae per operationes habetur *Subd.* Tribuunt divinitati ut principio dignificativo C. elicivum N. Unum autem sine altero non sufficit.

Ad 2<sup>um</sup>. R. D. Officium mediatoris est renovare corda, dare Spiritum sanctum, ut causa meritoria et ministerialis C. ut causa effectiva ac principalis N. Secundum divinitatem tantum dat gratiam et similia effective solum, non moraliter et meritorie: in mediatione vero vel maxime respicitur meritum, quo Deo offenso reconciliamur; sed ad hoc sola natura divina ex dictis non sufficit.

Ad 3<sup>um</sup>. R. D. Nihil debet habere commune quoad litem, vel delictum C. quoad entitatem physicam N. Constat ex S. Aug. supra. Sic et homo inter duos litigantes, aut offensos ab invicem homines, verus esse mediator potest, licet naturam cum utraque parte communem habeat; modo in causa, vel delicto non participet.



447. IV. *Redemptor*. Debetur hic titulus Christo, quod, ex solo erga nos amore, vindicaverit nos a servitute peccati; captivitate dæmonis per satisfactionem infinitam, ac superabundantem: *redimere* enim idem sonat, quod liberare a servitute, captivitate, similive modo. Unde de Christo ait Apostolus 1. ad Tim. 2. 6. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Et ad Gal. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Sed cum satisfactio illa Christi, quam pro nobis obtulit, pateat paulo latius, cam speciali Sectione, quæ sequitur, pertractare, necesse duximus.

## SECTIO II.

### DE CHRISTI REDEMPTORIS SATISFACTIONE ET MERITO.

Titulum redemptoris primus Christo adimere conatus est *Pelagius*, qui, quod negaret peccatum originale, ac gratiæ necessitatem, negabat consequenter Christi redemptionem; eumque ideo solum advenisse dicebat, ut doctrina præluceret et exemplo. Eidem non parum detrahunt, inde *Sociniani*, negantes, Christum vere satisfecisse pro nobis; hinc *Calvinus* et *Jansenius*, Christum pro prædestinatis duntaxat mortuum affirmantes, eo solo discrimine, quod *Jansenius* admittat, Christum reprobis promeruisse quidem gratias quasdam, sed temporarias. Alium insuper errorem *Calvinus* addit, ex una parte satisfactionem Christi ita perfectam asserens, ut private satisfactioni nostræ nullus amplius supersit locus; superabundantem tamen negans ex parte altera; ut sic catholici dogmatis de indulgentiis præcipuum fundamentum convelleret. Unde totam de operationibus Christi, tum satisfactoriis, tum meritoriis controversiam ad has quæstiones reducimur: 1°. An satisfactio Christi *necessaria* fuerit? 2°. *An vere* pro nobis satisfecerit? 3°. *An condigna et superabundans*, ac quanti valoris fuerit Christi satisfactio? 4°. *An, et quo sensu mortuus* pro omnibus?

### ARTICULUS I.

#### AN SATISFACTIO CHRISTI FUERIT NECESSARIA.

448. *Nota I.* Differunt inter se restitutio et satisfactio. *Restitutio* est rei alienæ redditio, vel damni illati compensatio. Nimirum est actus justitiæ strictæ, quo redditur id, quod alteri ablatum, aut illatum damnum compensatur; unde respicit injuriam, quam tollit ponendo æqualitatem rerum, et faciendo, ut læsus tantum habeat in bonis suis, quantum habuerat ante lesionem. *Satisfactio* vero respicit offensam, sive inhonorationem personæ factam per hoc, quod aliquid sive cum injuria stricta, sive sine hac scienter et libere factum sit cum ejusdem personæ contemptu. Unde defi-

nitur: *Exhibitio actionis, vel obsequii honorifici, quo vel ad æqualitatem, vel saltem aliquo modo, compensatur illa inhonoriatio, et tollitur causa justa ac rationabilis aversionis*. Hinc alia est *condigna*, cujus valor adæquat gravitatem offensæ: alia *congrua* tantum, cujus valor gravitatem offensæ non adæquat.

*Nota II.* Certum est 1°. neque satisfactionem Christi, neque incarnationem, fuisse absolute necessariam, etiam supposito lapsu humani generis; tum quia poterat punire peccatorem hominem, sicut perduelles angelos; tum quia Deus, ex se infinitus undequaque, nullius rei extra se egens est; et aliunde universim opera Dei ad extra ipsi liberrima sunt. 2°. Nec satisfactionem, nec incarnationem ipsam necessariam fuisse ex hypothesi, quod hominem lapsum salvare vellet; poterat enim Deus viis aliis lapsum erigere, exigendo qualemcumque satisfactionem imperfectam, vel gratis condonando offensam; cum enim summus sit Dominus, cur nequeat cedere juri suo, quod habet ad odio habendum, ac puniendum peccatorem?

*Solum queritur*: an fuerit necessaria ex hypothesi, quod Deus voluerit sibi *condigne* satisfieri pro peccatis? Ubi tamen iterum advertendum est, quod, licet Deus, ob alios fines, noluerit alio modo redimi humanum genus, quam quo de facto redemptio contigit; eum tamen non fuisse necessarium, ut Deo condigne satisfaceret; sed potuisse præstari condignam satisfactionem, si persona aliqua divina naturam intellectualem aliam, puta angelicam, sibi univisset, in ea exercuisset satisfactoria opera; aut si in assumpta natura humana, ommissa passione et morte, quemvis alium actum submissionis obtulisset; quia utrobique actus, ob personæ divinæ dignitatem infinitam, fuisset condigna satisfactio.

449. *Dico.* Necessaria fuit Christi satisfactio ex hypothesi, quod perfecte et condigne sibi satisfieri vellet.

*Prob.* Nulla pura creatura potest condigne satisfacere pro peccato mortali, sive suo, sive alieno; neque id poterat purus Deus; ergo necessarium erat, ut persona divina naturam intellectualem assumeret, ex qua assumptione existeret is, qui secundum naturam assumptam esset creatura, adeoque, cum illa submissionis capax sit, exercere posset satisfactoria opera (idem est de meritoriis) et secundum alteram esset Deus, adeoque operibus dare posset valorem æqualem offensæ. *Consequens* patet, nec probatione eget: etiam *Antec. pars 2.* clara est; tum quia nemo satisfacit sibi ipsi; tum quia Deus purus submissionis, quam importat satisfactio, incapax est. Igitur *Antec. quoad 1<sup>am</sup>. p.*

*Prob. I.* Ex SS. PATRIBUS, qui ex hoc inferunt, Christum fuisse verum Deum, quod humanum genus redimere, et Deo pro peccatis nostris condigne satisfacere potuerit. Sic LEO M. serm. 1. de Nativ. c. 2. *Nisi esset Deus, non afferret remedium*. S. BASIL. in Ps. 48. n. 4. ita scribit: *Non igitur fratrem quæras, qui redimat; sed eum, qui naturam tuam superet; neque merum hominem; sed hominem Deum Jesum Christum, qui et solus potest dare propitiationem Deo pro omnibus nobis*. S. AUG. Enchir. c. 108. *Neque, ait, per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, nisi esset et Deus*. S. CYRIL. Alexandr. epist. ad Valerian. (opp. t. 3.



447. IV. *Redemptor*. Debetur hic titulus Christo, quod, ex solo erga nos amore, vindicaverit nos a servitute peccati; captivitate dæmonis per satisfactionem infinitam, ac superabundantem: *redimere* enim idem sonat, quod liberare a servitute, captivitate, similive modo. Unde de Christo ait Apostolus 1. ad Tim. 2. 6. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Et ad Gal. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Sed cum satisfactio illa Christi, quam pro nobis obtulit, pateat paulo latius, cam speciali Sectione, quæ sequitur, pertractare, necesse duximus.

## SECTIO II.

### DE CHRISTI REDEMPTORIS SATISFACTIONE ET MERITO.

Titulum redemptoris primus Christo adimere conatus est *Pelagius*, qui, quod negaret peccatum originale, ac gratiæ necessitatem, negabat consequenter Christi redemptionem; eumque ideo solum advenisse dicebat, ut doctrina præluceret et exemplo. Eidem non parum detrahunt, inde *Sociniani*, negantes, Christum vere satisfecisse pro nobis; hinc *Calvinus* et *Jansenius*, Christum pro prædestinatis duntaxat mortuum affirmantes, eo solo discrimine, quod *Jansenius* admittat, Christum reprobis promeruisse quidem gratias quasdam, sed temporarias. Alium insuper errorem *Calvinus* addit, ex una parte satisfactionem Christi ita perfectam asserens, ut private satisfactioni nostræ nullus amplius supersit locus; superabundantem tamen negans ex parte altera; ut sic catholici dogmatis de indulgentiis præcipuum fundamentum convelleret. Unde totam de operationibus Christi, tum satisfactoriis, tum meritoriis controversiam ad has quæstiones reducimus: 1°. An satisfactio Christi *necessaria* fuerit? 2°. *An vere* pro nobis satisfecerit? 3°. *An condigna et superabundans*, ac quanti valoris fuerit Christi satisfactio? 4°. *An, et quo sensu mortuus* pro omnibus?

### ARTICULUS I.

#### AN SATISFACTIO CHRISTI FUERIT NECESSARIA.

448. *Nota I.* Differunt inter se restitutio et satisfactio. *Restitutio* est rei alienæ redditio, vel damni illati compensatio. Nimirum est actus justitiæ strictæ, quo redditur id, quod alteri ablatum, aut illatum damnum compensatur; unde respicit injuriam, quam tollit ponendo æqualitatem rerum, et faciendo, ut læsus tantum habeat in bonis suis, quantum habuerat ante lesionem. *Satisfactio* vero respicit offensam, sive inhonorationem personæ factam per hoc, quod aliquid sive cum injuria stricta, sive sine hac scienter et libere factum sit cum ejusdem personæ contemptu. Unde defi-

nitur: *Exhibitio actionis, vel obsequii honorifici, quo vel ad æqualitatem, vel saltem aliquo modo, compensatur illa inhonoriatio, et tollitur causa justa ac rationabilis aversionis*. Hinc alia est *condigna*, cujus valor adæquat gravitatem offensæ: alia *congrua* tantum, cujus valor gravitatem offensæ non adæquat.

*Nota II.* Certum est 1°. neque satisfactionem Christi, neque incarnationem, fuisse absolute necessariam, etiam supposito lapsu humani generis; tum quia poterat punire peccatorem hominem, sicut perduelles angelos; tum quia Deus, ex se infinitus undequaque, nullius rei extra se egens est; et aliunde universim opera Dei ad extra ipsi liberrima sunt. 2°. Nec satisfactionem, nec incarnationem ipsam necessariam fuisse ex hypothesi, quod hominem lapsum salvare vellet; poterat enim Deus viis aliis lapsum erigere, exigendo qualemcumque satisfactionem imperfectam, vel gratis condonando offensam; cum enim summus sit Dominus, cur nequeat cedere juri suo, quod habet ad odio habendum, ac puniendum peccatorem?

*Solum queritur*: an fuerit necessaria ex hypothesi, quod Deus voluerit sibi *condigne* satisfieri pro peccatis? Ubi tamen iterum advertendum est, quod, licet Deus, ob alios fines, noluerit alio modo redimi humanum genus, quam quo de facto redemptio contigit; eum tamen non fuisse necessarium, ut Deo condigne satisfaceret; sed potuisse præstari condignam satisfactionem, si persona aliqua divina naturam intellectualem aliam, puta angelicam, sibi univisset, in ea exercuisset satisfactoria opera; aut si in assumpta natura humana, ommissa passione et morte, quemvis alium actum submissionis obtulisset; quia utrobique actus, ob personæ divinæ dignitatem infinitam, fuisset condigna satisfactio.

449. *Dico.* Necessaria fuit Christi satisfactio ex hypothesi, quod perfecte et condigne sibi satisfieri vellet.

*Prob.* Nulla pura creatura potest condigne satisfacere pro peccato mortali, sive suo, sive alieno; neque id poterat purus Deus; ergo necessarium erat, ut persona divina naturam intellectualem assumeret, ex qua assumptione existeret is, qui secundum naturam assumptam esset creatura, adeoque, cum illa submissionis capax sit, exercere posset satisfactoria opera (idem est de meritoriis) et secundum alteram esset Deus, adeoque operibus dare posset valorem æqualem offensæ. *Consequens* patet, nec probatione eget: etiam *Antec. pars 2.* clara est; tum quia nemo satisfacit sibi ipsi; tum quia Deus purus submissionis, quam importat satisfactio, incapax est. Igitur *Antec. quoad 1<sup>am</sup>. p.*

*Prob. I.* Ex SS. PATRIBUS, qui ex hoc inferunt, Christum fuisse verum Deum, quod humanum genus redimere, et Deo pro peccatis nostris condigne satisfacere potuerit. Sic LEO M. serm. 1. de Nativ. c. 2. *Nisi esset Deus, non afferret remedium*. S. BASIL. in Ps. 48. n. 4. ita scribit: *Non igitur fratrem quæras, qui redimat; sed eum, qui naturam tuam superet; neque merum hominem; sed hominem Deum Jesum Christum, qui et solus potest dare propitiationem Deo pro omnibus nobis*. S. AUG. Enchir. c. 108. *Neque, ait, per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, nisi esset et Deus*. S. CYRIL. Alexandr. epist. ad Valerian. (opp. t. 3.



part. 2<sup>a</sup>. sect. 2<sup>a</sup>. p. 163. D.): Quo pacto etiam unus pro omnibus pretium exsolveret, si illa passio puri cujuscumque hominis fuisse putatur? S. PROCLUS Constantinopolitanus, homil. Quod Deipara sit B. Virgo Maria (Labb. t. 3. p. 14. D.): Duorum, inquit, alterum oportebat fieri: vel omnes sententiae mortis subjici, eo quod omnes peccaverunt; vel ejusmodi pretium rependi, quod ad illam rescindendam damnationem pleno jure valeret. Jam vero salutem homo conferre non poterat: quippe qui peccati et ipse debitum contraxerat. Sed nec angelus humanum genus poterat redimere. Nam talis pretii inops erat. Restabat igitur ut pro iis qui peccaverant, impeccabilem mori oporteret Deum. Id enim supererat unicuique malo remedium. Cf. PETAVIUM. L. 2. c. 12.

450. *Prob. II. RATIONE.* Quia ut satisfactio aliqua sit condigna, h. e. æqualis offensæ; necesse est, ut persona satisfaciens sit dignitatis æqualis cum persona offensa; vel certe, ut non sit inter illas distantia infinita, quæ nulla operum excellentia exæquari possit: atqui inter Deum et creaturam est distantia infinita; ergo. *Maj. prob.* Sicut enim offensa crescit in ratione offensæ ex dignitate personæ, quæ offenditur, comparatæ ad personam offendentem; ita satisfactio crescit e contra ex dignitate personæ satisfaciens, comparatæ ad personam offensam; adeoque sicut offensa desumit ordinem a persona, quæ offenditur; sic satisfactio suum sumit ordinem a persona satisfaciens; ergo ut satisfactio condigna sit, persona satisfaciens debet æqualis esse dignitate personæ offensæ. Hinc jam fit, quod pura creatura, cum nunquam adæquare possit dignitatem personæ offensæ, nunquam possit pro mortali condigne satisfacere; sed inde ejus decrescat satisfactio, scilicet a satisfaciens vilitate respectu Dei: unde crescit offensa, scilicet a dignitate personæ offensæ.

Hæc ex communi hominum sensu elucet; omnes enim longe majorem offensam ducunt, si subditus regem, quam si rex subditum percutiat, et majori proin satisfactione expiandum esse hoc peccatum a subdito; unde lumine naturali ita doctus ait PHILOSOPHUS L. 3. Ethic. c. 3. *Si is, qui magistratum gerit, alium inferiorem percutiat, non est repercutiendus; si vero quis inferior magistratum percusserit, non tantum repercutiendus, sed etiam supplicio afficiendus est.*

Tota igitur ratio impotentiae, ex parte creaturæ satisfaciendi condigne pro mortali nascitur tum ex supremitate ordinis, in quo est offensa (licet enim mortale peccatum non dicatur esse simpliciter infinitum in ratione malitiae et offensæ; est tamen infiniti ordinis excedens omnes offensas alias); tum ex inferioritate ordinis, in quo est satisfactio creata; quia ob hanc diversitatem ordinis offensa crescit per dignitatem Dei, et satisfactio decrescit per vilitatem creaturæ; ergo nunquam accedunt ad æqualitatem.

451. *Obj. I.* Malitia peccati in se quid finitum est; ergo finitis obsequiis præstantioribus et præstantioribus a pura creatura æquari potest; finitum enim a finito æquari potest.

R. N. *Cons. Ad prob. R. 1<sup>o</sup>. N.* universaliter sumptam. Sic homo est finitus in perfectione sua, nec tamen adæquari potest a muscis in infinitum multiplicatis. Unde

R. 2<sup>o</sup>. D. Si unum non decrescat ex iisdem principiis, ex quibus crescit alterum; vel si sit ejusdem ordinis et rationis, aut eadem mensura uniformiter mensurabile C. si diversi ordinis et rationis, nec habeat cum altero proportionem N. Satisfactio autem puræ creaturæ inde decrescit, unde crescit offensa Dei. Dein offensa Dei est in *supremo ordine* offensæ; satisfactio autem creaturæ puræ in infimo ordine obsequii. Demum mensura offensæ, non quidem arithmetica ad æqualitatem, sed geometrica vel proportionalis, est Deus comparative ad creaturam; satisfactionis, creatura comparative ad Deum.

452. *Inst. 1.* Licet actus charitatis sit in superiore ordine, quam sint actus virtutum moralium, ut misericordiæ; si tamen hujus actus multiplicentur, non tantum æquare, sed et superare possunt vim meritoriam actus charitatis: item sic argentum multiplicatum exæquat pretium auri; ergo potest aliquid, licet inferioris ordinis, multiplicatum, æquare alterum, quod est ordinis superioris.

R. D. A. Actus charitatis est ordinis tantum secundum quid superioris, quam actus virtutum moralium C. superioris simpliciter, et absolute, in omni linea N. Et D. *etiam Cons.* Ergo potest aliquid inferioris ordinis tantum secundum quid, et in ea ratione, in qua non est inferioris ordinis, æquare et superare valorem alterius, quod ordinis superioris est C. potest aliquid ordinis inferioris simpliciter et absolute, et in ea ratione, in qua est ordinis inferioris, æquare alterum N. Sic actus charitatis in ratione ultimo disponentis ad justificationem, vel hominem perfecte convertentis ad Deum, ab actibus virtutum moralium, ut multiplicatis, æquari non potest; sed tantum in ratione meriti, in qua cum illis non est diversi ordinis. Sic aurum in perfectione et specie physica, juxta quam altioris est ordinis, quam argentum, ab hoc æquari nequit; potest tamen in ratione pretii rerum emendarum, quia in hac sunt paris ordinis.

453. *Inst. 2.* Si offensa Dei est ordinis simpliciter infiniti, quia est offensa personæ infinite; ergo etiam amor Dei est ordinis simpliciter infiniti, quia pro objecto formali respicit bonitatem Dei non minus infinitam; ergo poterit per hujusmodi actum condigne satisfieri pro mortali.

R. N. *Cons.* Ideo offensa Dei est ordinis simpliciter infiniti, quia est offensa personæ infinite, et insuper gravitas offensæ desumit ordinem a dignitate personæ offensæ; at vero amor, et quisquis alius actus satisfactorius creaturæ, non desumit ordinem a persona amata, juxta dicta in Conclus.; sed ab amante et satisfaciens, ex communi et innato hominum sensu; numquid omnes majoris facimus: amari a rege subditum, quam regem a subdito?

454. *Obj. II.* Charitas, contritio perfecta, est deletiva peccati: actus impossibilis cum offensa Dei. Item: tantum per eam ponitur, quantum sufficit ad placandum Deum; ergo nihil ei deest ad rationem condignæ satisfactionis.

R. D. A. Est deletiva peccati, impossibilis, etc.; ex magnitudine suæ bonitatis et æstimabilitatis intrinsecæ N. ex gratuita, liberali promissione et



acceptatione Dei C. Longe plus est summum Deum a vilissima creatura poni creaturis vilissimis, quam iterum ab eadem illis preferri.

435. *Inst. 1.* Ut peccatum meretur poenam aeternam; sic contritio aeternum praemium; ergo in aestimabilitate morali pares sunt.

R. 1<sup>o</sup>. Contritio elicitā ab homine peccatore non est de condigno meritoria vitae aeternae; si vero sit de homine justo, argumentum probat nimium: quia sequitur, quemvis actum supernaturalem hominis justī esse tantae bonitatis, quanta malitiae est peccatum.

R. 2<sup>o</sup>. *D. Cons.* Ergo pares sunt quoad rationem meriti et demeriti, quando nullum peccatum expellendum est T. in ratione satisfactionis, et quando remittendum est peccatum N. Quod de facto, posita contritione, Deus remittat peccatum, ex gratiosa ejus promissione et misericordia fit; non ex natura contritionis ejusve bonitate intrinseca.

436. *Inst. 2.* Qui potest mereri, quod est plus, potest quoque mereri, quod minus est: atqui potest homo mereri gloriam aeternam, quae plus est, quam remissio peccati; ergo et hanc mereri potest; ergo saltem per viam meriti de condigno potest creatura pura se vel aliam liberare a peccato.

R. *N. min.* Majus enim quid est peccati mortalis remissio, quam gratiae, vel gloriae augmentum; cum, communi sensu, majus quid sit, inimicum recipere in gratiam; quam amico bene merenti augere gratiam et jus ad gloriam. *N. etiam simpliciter Cons. alteram.* Quia licet ad meritum non requiratur, ut persona merens ejusdem sit dignitatis, cujus praemians; requiritur tamen, ut meritum habeat proportionem cum praemio; unde per actum naturalem nemo mereri potest gratiam supernaturalem; aut per actus a gratia accidentali dignificatos gratiam substantialem, vel unionem hypostaticam: atqui nullum opus meritorium purae creaturae habet proportionem cum remissione peccati mortalis; sicut enim hoc in ratione offensae est supremi ordinis; ita ejusdem remissio. Verbo: nullum opus purae creaturae tantum placere potest Deo offenso ratione praestantiae suae, quantum offensa displicuit.

437. *Obj. III.* Satisfactio Christi fuit major ipsa offensa: fuit enim infinita valore; ergo haec non erat necessaria ad condigne satisfaciendum Deo; ergo sufficiebat satisfactio creaturae purae.

R. *D. 1<sup>um</sup>. Cons.* Ergo haec non erat necessaria formaliter et directe C. indirecte et consequenter N. Directe requirebatur satisfactio ejusdem ordinis; et ex hoc ordine requirebatur infinita indirecte, cum in ordine alio non inveniatur condignitas satisfactionis; omnis enim satisfactio vel est a persona creata, vel divina naturae creatae hypostatice unita: si primum, est insufficientis: si alterum, ob dignitatem personae erit satisfactio excedens, ut Art. III. patebit.

*Si ais:* potuisse Deum creare hominem gratia infinita praeditum, eumque constituere caput morale reliquorum ad satisfaciendum pro omnibus; velut Adamum constituit caput morale posterorum in ordine ad merendum vel demerendum illis justitiam originalem: insuper potuisse Deum promittere, se ob illius merita et satisfactiones collaturum aliis gratiam et remissionem peccatorum; ergo sic fuisset condignitas satisfactionis.

R. 1<sup>o</sup>. Implicat gratia infinite intensa, sicut infinitum.

R. 2<sup>o</sup>. *N. Cons.* Satisfactio enim talis hominis, infinite adhuc distantis a dignitate offensi Dei, nec ex se haberet aequalitatem cum aliorum peccatis in ratione offensae consideratis; nec condignitatem illam, vel aequalitatem consequi posset ex promissione divina; cum haec operi condignitatem non tribuat, si ex se illam non habeat.

Ex quibus colligi licet, esse omnino probabile, quod creatura pura nec pro veniali possit satisfacere condigne, saltem *directe*; quia est vera divinae legis transgressio, adeoque et vera offensa Dei; ergo satisfactio purae creaturae semper erit inferioris ordinis. Interim etsi veniale non sit per satisfactionem directam reparabile, h. e. per obsequium aequale offensae; est reparabile tamen per satisfactionem aliquam indirectam, id est, per actum aliquem condigne meritorium alicujus, cui de congruo annexa est venialis peccati condonatio, quod est gratia et gloria: dum enim justus per actum amoris e. g. meretur gratiam et gloriam; congruum est, ut Deus remittat simul veniale, eo quod cum statu amici et possessione gloriae non stet, saltem convenienter, offensa venialis.

## ARTICULUS II.

## AN CHRISTUS VERE PRO NOBIS SATISFECERIT?

Negant, ut monuimus, *Sociniani* volentes, Christum improprie solummodo ae metaphorice pro nobis satisfacisse: eatenus scilicet, quod impletis iis, quae in mandatis habebat, ut faceret, Deus gratis peccata condonet. Non negant equidem, Christum esse mortuum pro nobis, hoc est, commodo nostro, sed haec: *pro nobis*, eo duntaxat sensu sumentes, quatenus ejus mors nos ad poenitentiam permoveat, nosque certos faciat, Deum gratuito nobis peccata remissurum; et ut ejus exemplo mortem, spe vitae melioris, alacrius appetamus; non vero hoc sensu, ut, *pro nobis*, idem sit, ac loco nostro; poenas peccatis nostris debitas in se suscipiendo et luendo; sicque exhibitione pretii aequivalentis extinguendo omne debitum, quod erat per peccatum et illatam injuriam apud Deum contractum; hoc enim proprie satisfacere est. Unde *Sociniani* omnes Scripturae textus, quibus illa Christi satisfactio extollitur, detorquent ad metaphoricum sensum.

438. *Dico.* Christus vere ac proprie pro nobis satisfacit. Est de fide, et constans inter Christianos doctrina, ut Tridentini Patres nova definitione non duxerint stabiliendam; sed tanquam indubitata supposuerint Sess. 22. cap. 1. 2. Can. 3. 4.

*Prob. I.* Ex SS. Scripturis. Juxta constantem et uniformem S. Scripturae assertionem Christus nos redemit pretio soluto, nimirum fuso sanguine et perpeffione mortis: sed hoc fuit vere satisfacere; ergo. *Min.* patet ex paulo ante dictis, neque hanc *Sociniani* negant; unde *Socinus* ipse Lib. 2. de Salvatore c. 1. veram et propriam redemptionem fatetur, quae fit persoluto pretio: *Redimere aliquem*, ait ibid., *nihil aliud proprie significat, quam captivum manibus illius, qui illum detinet, dato pretio liberare.* Igitur



acceptatione Dei C. Longe plus est summum Deum a vilissima creatura poni creaturis vilissimis, quam iterum ab eadem illis preferri.

435. *Inst. 1.* Ut peccatum meretur poenam æternam; sic contritio æternum præmium; ergo in æstimabilitate morali pares sunt.

R. 1º. Contritio elicitæ ab homine peccatore non est de condigno meritoria vitæ æternæ; si vero sit de homine justo, argumentum probat nimium: quia sequitur, quemvis actum supernaturalem hominis justis esse tantæ bonitatis, quantæ malitiæ est peccatum.

R. 2º. *D. Cons.* Ergo pares sunt quoad rationem meriti et demeriti, quando nullum peccatum expellendum est T. in ratione satisfactionis, et quando remittendum est peccatum N. Quod de facto, posita contritione, Deus remittat peccatum, ex gratiosa ejus promissione et misericordia fit; non ex natura contritionis ejusve bonitate intrinseca.

436. *Inst. 2.* Qui potest mereri, quod est plus, potest quoque mereri, quod minus est: atqui potest homo mereri gloriam æternam, quæ plus est, quam remissio peccati; ergo et hanc mereri potest; ergo saltem per viam meriti de condigno potest creatura pura se vel aliam liberare a peccato.

R. *N. min.* Majus enim quid est peccati mortalis remissio, quam gratiæ, vel gloriæ augmentum; cum, communi sensu, majus quid sit, inimicum recipere in gratiam; quam amico bene merenti augere gratiam et jus ad gloriam. *N. etiam simpliciter Cons. alteram.* Quia licet ad meritum non requiratur, ut persona merens ejusdem sit dignitatis, cujus præmians; requiritur tamen, ut meritum habeat proportionem cum præmio; unde per actum naturalem nemo mereri potest gratiam supernaturalem; aut per actus a gratia accidentali dignificatos gratiam substantialem, vel unionem hypostaticam: atqui nullum opus meritorium puræ creaturæ habet proportionem cum remissione peccati mortalis; sicut enim hoc in ratione offensæ est supremi ordinis; ita ejusdem remissio. Verbo: nullum opus puræ creaturæ tantum placere potest Deo offenso ratione præstantiæ suæ, quantum offensa displicuit.

437. *Obj. III.* Satisfactio Christi fuit major ipsa offensa: fuit enim infinita valore; ergo hæc non erat necessaria ad condigne satisfaciendum Deo; ergo sufficiebat satisfactio creaturæ puræ.

R. *D. 1º. Cons.* Ergo hæc non erat necessaria formaliter et directe C. indirecte et consequenter N. Directe requirebatur satisfactio ejusdem ordinis; et ex hoc ordine requirebatur infinita indirecte, cum in ordine alio non inveniatur condignitas satisfactionis; omnis enim satisfactio vel est a persona creata, vel divina naturæ creatæ hypostaticè unita: si primum, est insufficientis: si alterum, ob dignitatem personæ erit satisfactio excedens, ut Art. III. patebit.

*Si ais:* potuisse Deum creare hominem gratia infinita præditum, eumque constituere caput morale reliquorum ad satisfaciendum pro omnibus; velut Adamum constituit caput morale posteriorum in ordine ad merendum vel demerendum illis justitiam originalem: insuper potuisse Deum promittere, se ob illius merita et satisfactiones collaturum aliis gratiam et remissionem peccatorum; ergo sic fuisset condignitas satisfactionis.

R. 1º. Implicat gratia infinite intensa, sicut infinitum.

R. 2º. *N. Cons.* Satisfactio enim talis hominis, infinite adhuc distantis a dignitate offensi Dei, nec ex se haberet æqualitatem cum aliorum peccatis in ratione offensæ consideratis; nec condignitatem illam, vel æqualitatem consequi posset ex promissione divina; cum hæc operi condignitatem non tribuat, si ex se illam non habeat.

Ex quibus colligi licet, esse omnino probabile, quod creatura pura nec pro veniali possit satisfacere condigne, saltem *directe*; quia est vera divinæ legis transgressio, adeoque et vera offensa Dei; ergo satisfactio puræ creaturæ semper erit inferioris ordinis. Interim etsi veniale non sit per satisfactionem directam reparabile, h. e. per obsequium æquale offensæ; est reparabile tamen per satisfactionem aliquam indirectam, id est, per actum aliquem condigne meritorium alicujus, cui de congruo annexa est venialis peccati condonatio, quod est gratia et gloria: dum enim justus per actum amoris e. g. meretur gratiam et gloriam; congruum est, ut Deus remittat simul veniale, eo quod cum statu amici et possessione gloriæ non stet, saltem convenienter, offensa venialis.

## ARTICULUS II.

## AN CHRISTUS VERE PRO NOBIS SATISFECERIT?

Negant, ut monuimus, *Sociniani* volentes, Christum improprie solummodo ac metaphorice pro nobis satisfacisse: eatenus scilicet, quod impletis iis, quæ in mandatis habebat, ut faceret, Deus gratis peccata condonet. Non negant equidem, Christum esse mortuum pro nobis, hoc est, commodo nostro, sed hæc: *pro nobis*, eo duntaxat sensu sumentes, quatenus ejus mors nos ad poenitentiam permoveat, nosque certos faciat, Deum gratuito nobis peccata remissurum; et ut ejus exemplo mortem, spe vitæ melioris, alacrius appetamus; non vero hoc sensu, ut, *pro nobis*, idem sit, ac loco nostro; poenas peccatis nostris debitas in se suscipiendo et luendo; sicque exhibitione pretii æquivalentis extinguendo omne debitum, quod erat per peccatum et illatam injuriam apud Deum contractum; hoc enim proprie satisfacere est. Unde *Sociniani* omnes Scripturæ textus, quibus illa Christi satisfactio extollitur, detorquent ad metaphoricum sensum.

438. *Dico.* Christus vere ac proprie pro nobis satisfecit. Est de fide, et constans inter Christianos doctrina, ut Tridentini Patres nova definitione non duxerint stabiliendam; sed tanquam indubitatam supposuerint Sess. 22. cap. 1. 2. Can. 3. 4.

*Prob. I.* Ex SS. Scripturis. Juxta constantem et uniformem S. Scripturæ assertionem Christus nos redemit pretio soluto, nimirum fuso sanguine et perpeffione mortis: sed hoc fuit vere satisfacere; ergo. *Min.* patet ex paulo ante dictis, neque hanc *Sociniani* negant; unde *Socinus* ipse Lib. 2. de Salvatore c. 1. veram et propriam redemptionem fatetur, quæ fit persoluto pretio: *Redimere aliquem*, ait ibid., *nihil aliud proprie significat, quam captivum manibus illius, qui illum detinet, dato pretio liberare.* Igitur



*Prob. Maj.* Ex 1. Cor. 6. 20. *Empti estis pretio magno.* 1. Pet. 1. 18. *Scientes, quod non corruptilibus, auro, vel argento, redempti estis... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.* Ad Gal. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* 1. Tim. 2. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, græce pro redemptione ponitur pretium.* Ad Hebr. 7. 22. *Christus dicitur melioris testamenti sponsor factus.* Sicque constanter Scriptura loquitur, uti et ad Tit. 2., Matth. 20. ad Hebr. 9. ergo.

439. *Respondent Sociniani* 1º. redemptionem non sumi in rigore suo; sed improprie ac metaphorice, vel latius, pro simplici liberatione, quæ quandoque fit gratis, nullo interveniente pretio, sicut etiam Act. 7. 35. Moyses dicitur missus a Deo *redemptor*; Exod. 13. 13. dicitur Deus *ex misericordia redemisse* ex captivitate Ægyptiorum. 2º. Etiam *pretium* in allatis textibus sumi improprie, in quantum, positus a Christo illis actionibus, ad earum præsentiam liberamur a Deo gratis. Sed

*Contra* 1º. est, quod, licet vox redemptio sumatur aliquando improprie, non ideo sequatur, eam semper in Scriptura debere intelligi improprie; sicut, etsi vox *Leo* sumatur metaphorice, dum Christus dicitur *Leo de tribu Juda*; non ideo sequitur ita semper debere accipi in omnibus locis. Sed quando vox aliqua debeat sumi proprie, vel non; ex subjecta materia, et circumstantiis colligi debet: atqui materia, circumstantiæ, et omnia cogunt *redemptionem* hic sumi proprie; agitur enim hic de redemptione non qualicumque, sed *facta pretio*, quæ proin propria redemptio est, fatente ipso Socino cit. Et vero quæ erit alias vera redemptio, si illa non sit? Hinc etiam habetur disparitas aperta quoad Moysen Act. 7., et Deum Exod. 13., in quibus locis non dicitur facta pretio.

*Contra* 2º. est 1º. quod hoc nihil aliud sit, quam fingere sine fundamento, et miserrime contorquere Scripturas; eoque semel permissio, nihil remaneat amplius in Scripturis, quod non a vero sensu ad improprium detorqueri possit. 2º. Quod 1. Pet. 1. 18. pretium hoc comparetur, imo præferatur argento et auro: quod vero est verum et proprium pretium, quo redimuntur captivi; ergo multo magis sanguis Christi habebit rationem veri pretii; eo quod illum S. Petrus in ratione pretii præferat tum argento, tum auro.

460. *Prob. II.* Ex iis Scripturæ locis, in quibus Christus *pro nobis*, h. e. loco nostro, per veram substitutionem passus dicitur, portasse pœnas peccatis nostris debitas, et placasse Deum. Is. 53. v. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit... Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum; et livore ejus sanati sumus... Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum... Propter scelus populi mei percussit eum... Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Ex quibus tale conficitur argumentum: Christus innocens, loco nostro substitutus, peccata nostra tulit, hoc est, suscipiendo in se pœnam peccatis nostris debitam, quam ipse luit; sicque exlinxit contractum nostrum debitum; nam *disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus*; ergo vere satisfecit.

*Respondent Sociniani*, verba hæc: *ferre, portare peccata*, significare

idem, quod *auferre* peccata; ita enim Exod. 34. 7. de Deo dicitur: *Qui auferens iniquitatem, et scelera, atque peccata.* Confirmant inde, quod S. Matthæus c. 8. v. 16. illum Isaiaæ textum impletum testetur in Christo fuisse, cum ægros, et varios morbos sanaret; *Ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit; ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiaam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit.* At

*Contra* est, quod Christus dicatur, portasse peccata nostra non quomodocumque; sed attritione sui, vulneratione; conjiciendo in illum iniquitates nostras; nam, teste Propheta, sic portavit, ut fuerit *vulneratus, attritus, animam suam posuerit.* Et quidem, ut ait S. Petrus alludens ad Isaiaæ textum: *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, 1. Pet. 2. 24; quæ dici non possent, nisi peccatorum pœnas in se luendas suscepisset; unde est disparitas quoad Deum Exod. 34. cit. Neque his obstat, quod ex S. Matthæo afferitur; quia Isaiaæ utrumque conjunxit, et quod peccatorum pœnas tulerit, et quod abstulerit; ac quia peccati pœnæ aliæ corporis sunt, aliæ animi; utrasque Christus abstulit, sive meritis est auferri, cum expedierit. Unde juxta S. Matthæum, cum Christus sanaret morbos, in eo Isaiaæ vaticinium partialiter impletum fuit, ex parte ablationis pœnarum corporis; non vero adæquate.

461. *Prob. III.* Ex Sacerdotio Christi, quod adeo epist. ad Hebr. urget Apostolus, ut nemo non putet, eum ex professo impietatem Socinianam revellendam suscepisse. En argumentum: Christus non tantum bono nostro, in sensu scilicet Socinianorum, sed vere ac proprie in locum nostrum substitutus, perfecte expiando peccata nostra, vere pro nobis satisfecit; si fuerit verus novæ legis sacerdos, et vera victima, quæ semetipsum Deo Patri pro nostrorum expiatione peccatorum obtulerit in sacrificium: atqui Christus novæ legis verus sacerdos fuit, vera victima; qui se ipsum pro expiatione peccatorum nostrorum Deo Patri obtulit in sacrificium; ergo *Maj.* est certa, nec a Socinianis negatur, nec negari potest. Igitur

*Prob. min. per partes.* 1º. Fuit verus novæ legis sacerdos; talem enim ex professo probat Apostolus in ep. ad Hebr., in eoque versatur maxime, ut commonstret, sacerdotium Christi Aaronico præcellere, vocatque pontificem et sacerdotem ad Hebr. 7. et 9. Unde sequitur, Christum debuisse verum offerre sacrificium; ejusque sacerdotii munus non tantum constituisse intercessionem, exemplo vitæ, confirmationem doctrinæ, prædicationem, ut somniat Socinus; sed in mactatione et immolatione victimæ; hanc enim esse essentiam sacerdotii, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, Deumque propter illa iratum reconciliet, diserte docet Apostolus: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Ad Hebr. 5. 1. Iterum c. 8. 3. *Omnis pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur; unde necesse est, et hunc habere aliquid, quod offerat.*

2º. Fuit vera piacularis victima, in quam semetipsum obtulit pro peccatis; docente iterum Apostolo ad Hebr. 7. 26. *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, immaculatus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus; qui non habet necessitatem, quemadmodum sacer-*



dotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel se ipsum offerendo; scilicet pro delictis, non suis, cum ipse nulla haberet, sed populi. Idem repetit tum alibi; tum ad Ephes. 3. 2. *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo.* Eundem in finem *Christus Agnus occisus* vocatur Apoc. 5.

Respondent Sociniani, Christum, adhuc in terra constitutum, non fuisse sacerdotem, sed talem esse in cœlo tantum; proin mortem ejus non fuisse sacrificium vere, sed tantum præparatorie, quatenus postea in cœlo mortem offerret in sacrificium, interpellans pro nobis; 1<sup>o</sup>. quia ad Hebr. 8. 4. ait Apostolus: *Si (Christus) esset super terram, nec esset sacerdos; cum essent, qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium;* ergo. 2<sup>o</sup>. Juxta Apost. *Christus nunc in cœlo se offert pro nobis, ad Hebr. 7.;* sed hoc foret superfluum et inutile, si se jam obtulisset in terra. Sed

Contra est, quod Socinianum assertum directe repugnet Scripturis, Christum in terra sacerdotem fuisse tam clare asserentibus; cum sacerdotium Christi probet Apostolus ex hostia, non offerenda in cœlis primum: sed actu in terris oblata; ut constat ex ejus verbis supra: *Hoc enim fecit semel. Item: Tradidit se hostiam.* Sic ad Hebr. 9. 12. *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta (h. e. cœlum).* Ibid. v. 26. *Nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.* Hæc de sola Christi oblatione in cruce intelligi possunt: si autem veram tunc hostiam obtulerit; etiam necesse est, jam tum verus sacerdos fuerit.

Ad 1<sup>um</sup>. R. N. Cons. Solum enim vult Apostolus, si Christus mansisset post mortem in terris, non esse sacerdotem: eo quod non haberet amplius victimam, quam offerret; non victimam sui corporis, quia hanc jam obtulerat; non aliarum rerum terrestrium, peccatum, etc.; imo 1<sup>o</sup>. quia hæc offerre, sacerdotum de tribu Levi erat, de qua Christus non fuit. 2<sup>o</sup>. Quia hoc sacerdotii Aaronici erat; at Christus sacerdos erat, non secundum ordinem Aaronis, sed Melchisedech. Hic, non alius sensus erui potest ex verbis Apostoli.

Ad 2<sup>um</sup>. R. N. min. Christus in cœlo se offert, ut jam ante mactatum: ut exhibitione peracti sacrificii, ejus nobis fructus applicentur; sicque pro nobis semper interpellat. Nimirum uti pontifex in lege veteri primo mactabat hostiam; deinde ingrediebatur sanctuarium, ut offerret ejus sanguinem; sic Christus post hostiam sui corporis immolatam ingressus est cœlum, ibique pro nobis interpellat, offerens effusum sanguinem suum.

Eadem unanimis et concors est SS. PATRUM omni ævo sententia et fides, quos tamen hic referre omittimus; quod, etsi fateantur Sociniani, plerosque Patres dogma catholicum esse tuitos, eorum tamen moveri auctoritate absolute nolint, ceu hominum, ut ipsi aiunt, errantium hic a vero Scripturæ sensu; proinde hujus solius judicio velint dirimi controversiam.

462. Obj. I. Ex S. Scriptura. Hæc variis in locis negat veram illam ac propriam satisfactionem; ergo. Prob. Ant. Nam 1<sup>o</sup>. Scriptura reconciliationem nostram tribuit magis vite, sive resurrectioni Christi, quam ejus morti, ad Rom. 3. 10. *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus*

per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius: sed vita, sive resurrectio Christi, non fuit redemptionis nostræ pretium; ergo neque mors.

2<sup>o</sup>. Reconciliationem tribuit prædicationi et ministerio verbi, 2. ad Cor. 5. 19. *Posuit in nobis verbum reconciliationis; pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos:* atqui reconciliatio, quæ fit præcise prædicatione, non fit stricta satisfactione; quia pretium non requirit.

3<sup>o</sup>. Deus, Scriptura teste, Matth. 18. 23., ad Ephes. 4. 31., gratis peccata condonat; unde et ad Rom. 3. dicimur justificati gratis: sed quæ gratis sit condonatio, non obtinetur satisfactione, vel pretio soluto; ergo.

R. N. Ant. Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. N. Ass. Neque hoc probatur ex cit. textu; nam salutem quidem Apostolus ibi vitæ vel resurrectioni Christi attribuit; reconciliationem tamen morti, ut verba ipsa declarant; igitur mors Christi pretium reconciliationis fuit. Nimirum Apostolus opponit invicem inimicos et reconciliatos, mortem ac vitam Christi; argumentum ducens a majori ad minus: si, cum essemus adhuc inimici, h. e. peccatores, reconciliati simus per Christi mortem; quanto magis jam reconciliatis et amicis ipse vivens dabit vitam et salutem? In vita salvi, ait Aug. L. 13. de Trin. c. 16., *qui per mortem reconciliati. Quid enim dubitet daturum amicis vitam suam, pro quibus inimicis dedit mortem suam?*

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. N. Ass. Apostolus solum dicit, datum Apostolis esse officium prædicandi ministerium reconciliationis; reconciliationem vero ipsam, non in prædicationem, sed in Christum clare refert; nam dixerat ante: *Deus, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis.*

Ab prob. 3<sup>am</sup>. R. D. Deus gratis condonat peccata homini, sive peccatori se convertenti C. respective ad Christum, sponsorem hominis N. Gratis justificati dicimur: quia Deus, nullis nostris præcedentibus meritis, confert gratis justificationis gratiam: item manendo in subjecta controversia, quia gratis redemptorem Christum nobis dedit, quia hujus satisfactionem acceptavit gratis; at non gratis respective ad Christum. En verba apostoli ad Rom. 3. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Vides, quomodo justificatio respective ad nos sit gratuita, justificati gratis; sed non respective ad sponsorem nostrum Christum, quem scilicet Deus proposuit propitiationem ad ostensionem justitiæ. At contra hoc ultimum

463. Inst. 1. Si Christus, sponsor pro nobis factus, plane satisfecerit pro nobis, nulla proprietate, ac nullo sensu verum erit dicere, quod gratis facta sit a Deo condonatio; ergo. Prob. Ant. Quomodo enim creditor dici potest debitori remittere gratis debitum; si ab ejus sponsore usque ad quadrantem novissimum exigit debitum?

R. N. Ant. Ad prob. R. Equidem in debitis realibus non censetur creditor remittere gratis debitum, si a debitoris sponsore exigit omne debitum; at aliud est in debitis personalibus, ortis ex læsione honoris, et injuria personæ illata, velut in nostro casu accidit; nam disparitas est, quod in restitutione debiti realis spectetur æqualitas rei ad rem, ut dictum n. 449. Hinc, quis-



cumque æqualitatem illam ponat, debitum extinguetur; quia sic læsus habebit tantum in bonis suis, quantum habuerat ante læsionem; quod præcise spectat iustitia stricta, cujus actus est restitutio proprie talis, unde creditor, si debitoris amicus oblata pecunia compensare damnum velit, acquiescere debet; ut illi dici possit: *tolle, quod tuum est, et vade in pace*. At in debitis personalibus, quæ satisfactionem exigunt (satisfactio enim personam læsam et inhonoratam respicit ex n. 449.), persona læsa non tenetur satisfactionem acceptare, oblatam ab alio; sed jus habet exigendi, ut ille ipse satisfaciat, sive luat, qui læsit. Si ergo mediatorem admittat qui pro lædente pœnas solvat, et satisfaciat; lædenti gratificari dicitur. Sic se res habet in Deo peccatis nostris inhonorato et offenso, et gratis acceptante mediationem Christi quam acceptare non tenebatur.

464. *Obj. II.* Injustum est, ut innocens puniatur pro reo; unde et Deut. 24. 16. legem tulit Deus: *Non occidentur patres pro filiis; nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur*. Et Ezech. 18. 4. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*; ergo.

R. *D. Ant.* Injustum id est, si innocens se non offerat voluntarie in sponsorem pro reo *T.* si se offerat *subd.* injustum, id est, respectu iudicis non habentis dominium directum in vitam innocentis, qualis iudex humanus est *C.* si hoc dominium habeat, ut Deus *N.* Purus homo nec esse sponsor potest alterius in causa capitali; nec, si se sponsorem offerat, iudex humanus illum acceptare pro reo ac plectere potest, quia nec iudex humanus in vitam innocentis, nec innocens ipse in vitam suam dominium directum habet. At cum Christus se sponsorem exhibuit, id auctoritate divina fecit, cui in vitam humanam dominium competit. Porro dixi: *Transseat*, quia Deus huic legi se adstrinxisse non videtur; ut ex plurimis aliis Scripturæ locis deducitur. Nam Exod. 20. et 34. dicitur Deus *visitans iniquitatem patrum in tertiam et quartam generationem*. Et Thren. 5. 7. lamentatur JEREMIAS: *Patres nostri peccaverunt... et nos iniquitates eorum portavimus*. Ac 2. Reg. 21. ob peccata Saulis filii ejus et nepotes suspensi sunt: ob factum Davidis perierunt septuaginta hominum millia. Ibid. 24.

465. *Obj. III.* 1°. Christus non potuit plene satisfacere pro pœnis, quas peccando incurrimus; ergo. *Prob. Ant.* Mortis enim æternæ reatum contraxeramus, quam tamen Christus nec solvit, nec solvere potuit. 2°. Si Christus adeo plene pro nobis satisfecit; ergo plus ipsi debebimus, quam Patri, qui pro nobis non satisfecit: sed hoc dicere absurdum est.

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. *N. Ant.* *Ad prob. D.* Quam Christus non solvit quoad durationem ejus, scilicet pœnæ *C.* quoad æquivalens pretium et valorem *N.* Pœnæ damnatorum equidem æternæ sunt; et pœnæ Christi fuerunt temporanæ: verum hæc, quia a persona divina valorem habebant, ut dicitur Artic. seq., infinitum; abundanter compensabant pœnas duratione æternas.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. *N. Seq.* Quantum enim debemus Christo, qui se pro nobis obtulit, tantum debemus Patri, qui nobis Filium suum dedit; utrumque enim infinite charitatis fuit. Imo æqualiter toti SS. Trinitati debemus; licet enim incarnatio sit terminative solius Filii; efficienter tamen totius Trinitatis est.

## ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTI SATISFACTIO CONDIGNA FUERIT AC SUPERABUNDANS; IMO VALORIS INFINITI, ET UNDE ISTUD?

466. *Nota I.* Valor alicujus operis sive actus, est æstimabilitas ejusdem. Potest vero actus habere æstimabilitatem 1°. ratione suæ entitatis præcise, et eorum, quæ ipsi sunt intrinseca; ut, quod sit tendentia in tale objectum, procedens a tali principio proximo, sit hujus vel illius virtutis, etc. 2°. Ratione personæ, cujus actus est. Inde duplex valor in eodem actu distingui potest; *physicus*, fundatus in physica entitate actus per ordinem ad objectum, quod respicit, et ad principium, a quo physice et immediate procedit: *moralis*, qui in actum a persona, cujus ille actus est, refunditur.

467. *Nota II.* Satisfactionem et meritum differre quidem formaliter et secundum obliquum, non tamen necessario realiter; cum actus idem opusque moraliter bonum possit habere simul valorem et satisfactorium et meritorium; meritorium, in quantum ordinatur ad præmium obtinendum; satisfactorium, in quantum ad placandum offensum, ac delendam offensam refertur; quod Christi operibus maxime convenit, quibus et gratiam ac gloriam simul est meritis, et simul pro peccatis nostris satisfecit. Differentia vero satisfactionis a merito inde facile perspicitur, quod hoc respiciat præmium consequendum a præmiante; proinde bonum merentis, vel alterius, cui meremur: illa vero alterius honorem læsum resarciendum, ac delendam offensam respiciat; proin offensi bonum, non satisfaciens.

Cæterum condignitatem, superabundantiam, infinitatem satisfactioni Christi tribuunt Catholici omnes; in eo solum differentes, quod quidam dignitatem haberi in satisfactione Christi pure ab extrinseco velint, nimirum acceptatione Dei; alii vero ab intrinseco: primum Scotistæ, alterum Theologi cæteri omnes tuerentur. Quod vero posthac de valore satisfactionis Christi dicemus, idem de valore ejus meriti, cum sit par ratio, intelligi volumus.

468. *Dico I.* Satisfactio Christi fuit condigna et superabundans; et quidem ex se et in actu primo, independenter ab acceptatione divina. De fide quoad 1<sup>am</sup> partem.

*Prob. 1<sup>a</sup> pars.* Ex SCRIPTURA. Ad Hebr. 10. 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Ad Rom. 5. 20. *Ubi abundavit delictum; superabundavit et gratia*. Unde CYRILL. Hieros. catech. 13. n. 33. *Non tantum peccavimus, quantum ille justitia excelluit*. Idemque sentiunt Patres alii. Et patebit ratione Concl. seq.

*Prob. 2<sup>a</sup> pars. 1°.* Ex S. SCRIPTURA. Ad Hebr. 10. docet Apostolus, fuisse impossibile sanguine taurorum, hircorum, id est, sacrificiis legis veteris auferri peccata: exinde inferens necessitatem satisfactionis Christi; sed nulla esset hæc argumentatio, si satisfactio Christi haberet condignitatem et superabundantiam suam præcise a liberali acceptatione divina; cum sic



cumque æqualitatem illam ponat, debitum extinguetur; quia sic læsus habebit tantum in bonis suis, quantum habuerat ante læsionem; quod præcise spectat iustitia stricta, cujus actus est restitutio proprie talis, unde creditor, si debitoris amicus oblata pecunia compensare damnum velit, acquiescere debet; ut illi dici possit: *tolle, quod tuum est, et vade in pace*. At in debitis personalibus, quæ satisfactionem exigunt (satisfactio enim personam læsam et inhonoratam respicit ex n. 449.), persona læsa non tenetur satisfactionem acceptare, oblatam ab alio; sed jus habet exigendi, ut ille ipse satisfaciatur, sive luat, qui læsit. Si ergo mediatorem admittat qui pro lædente pœnas solvat, et satisfaciatur; lædenti gratificari dicitur. Sic se res habet in Deo peccatis nostris inhonorato et offenso, et gratis acceptante mediationem Christi quam acceptare non tenebatur.

464. *Obj. II.* Injustum est, ut innocens puniatur pro reo; unde et Deut. 24. 16. legem tulit Deus: *Non occidentur patres pro filiis; nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur*. Et Ezech. 18. 4. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; ergo.*

R. *D. Ant.* Injustum id est, si innocens se non offerat voluntarie in sponsorem pro reo *T.* si se offerat *subd.* injustum, id est, respectu iudicis non habentis dominium directum in vitam innocentis, qualis iudex humanus est *C.* si hoc dominium habeat, ut Deus *N.* Purus homo nec esse sponsor potest alterius in causa capitali; nec, si se sponsorem offerat, iudex humanus illum acceptare pro reo ac plectere potest, quia nec iudex humanus in vitam innocentis, nec innocens ipse in vitam suam dominium directum habet. At cum Christus se sponsorem exhibuit, id auctoritate divina fecit, cui in vitam humanam dominium competit. Porro dixi: *Transseat*, quia Deus huic legi se adstrinxisse non videtur; ut ex plurimis aliis Scripturæ locis deducitur. Nam Exod. 20. et 34. dicitur Deus *visitans iniquitatem patrum in tertiam et quartam generationem*. Et Thren. 5. 7. lamentatur JEREMIAS: *Patres nostri peccaverunt... et nos iniquitates eorum portavimus*. Ac 2. Reg. 21. ob peccata Saulis filii ejus et nepotes suspensi sunt: ob factum Davidis perierunt septuaginta hominum millia. Ibid. 24.

465. *Obj. III.* 1°. Christus non potuit plene satisfacere pro pœnis, quas peccando incurrimus; ergo. *Prob. Ant.* Mortis enim æternæ reatum contraxeramus, quam tamen Christus nec solvit, nec solvere potuit. 2°. Si Christus adeo plene pro nobis satisfecit; ergo plus ipsi debebimus, quam Patri, qui pro nobis non satisfecit: sed hoc dicere absurdum est.

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. *N. Ant.* *Ad prob. D.* Quam Christus non solvit quoad durationem ejus, scilicet pœnæ *C.* quoad æquivalens pretium et valorem *N.* Pœnæ damnatorum equidem æternæ sunt; et pœnæ Christi fuerunt temporanæ: verum hæc, quia a persona divina valorem habebant, ut dicitur Artic. seq., infinitum; abundanter compensabant pœnas duratione æternas.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. *N. Seq.* Quantum enim debemus Christo, qui se pro nobis obtulit, tantum debemus Patri, qui nobis Filium suum dedit; utrumque enim infinite charitatis fuit. Imo æqualiter toti SS. Trinitati debemus; licet enim incarnatio sit terminative solius Filii; efficienter tamen totius Trinitatis est.

## ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTI SATISFACTIO CONDIGNA FUERIT AC SUPERABUNDANS; IMO VALORIS INFINITI, ET UNDE ISTUD?

466. *Nota I.* Valor alicujus operis sive actus, est æstimabilitas ejusdem. Potest vero actus habere æstimabilitatem 1°. ratione suæ entitatis præcise, et eorum, quæ ipsi sunt intrinseca; ut, quod sit tendentia in tale objectum, procedens a tali principio proximo, sit hujus vel illius virtutis, etc. 2°. Ratione personæ, cujus actus est. Inde duplex valor in eodem actu distingui potest; *physicus*, fundatus in physica entitate actus per ordinem ad objectum, quod respicit, et ad principium, a quo physice et immediate procedit: *moralis*, qui in actum a persona, cujus ille actus est, refunditur.

467. *Nota II.* Satisfactionem et meritum differre quidem formaliter et secundum obliquum, non tamen necessario realiter; cum actus idem opusque moraliter bonum possit habere simul valorem et satisfactorium et meritorium; meritorium, in quantum ordinatur ad præmium obtinendum; satisfactorium, in quantum ad placandum offensum, ac delendam offensam refertur; quod Christi operibus maxime convenit, quibus et gratiam ac gloriam simul est meritis, et simul pro peccatis nostris satisfecit. Differentia vero satisfactionis a merito inde facile perspicitur, quod hoc respiciat præmium consequendum a præmiante; proinde bonum merentis, vel alterius, cui meretur: illa vero alterius honorem læsum resarciendum, ac delendam offensam respiciat; proin offensi bonum, non satisfaciens.

Cæterum condignitatem, superabundantiam, infinitatem satisfactioni Christi tribuunt Catholici omnes; in eo solum differentes, quod quidam dignitatem haberi in satisfactione Christi pure ab extrinseco velint, nimirum acceptatione Dei; alii vero ab intrinseco: primum Scotistæ, alterum Theologi cæteri omnes tuerentur. Quod vero posthac de valore satisfactionis Christi dicemus, idem de valore ejus meriti, cum sit par ratio, intelligi volumus.

468. *Dico I.* Satisfactio Christi fuit condigna et superabundans; et quidem ex se et in actu primo, independenter ab acceptatione divina. De fide quoad 1<sup>am</sup> partem.

*Prob. 1<sup>a</sup> pars.* Ex SCRIPTURA. Ad Hebr. 10. 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Ad Rom. 5. 20. *Ubi abundavit delictum; superabundavit et gratia*. Unde CYRILL. Hieros. catech. 13. n. 33. *Non tantum peccavimus, quantum ille justitia excelluit*. Idemque sentiunt Patres alii. Et patebit ratione Concl. seq.

*Prob. 2<sup>a</sup> pars. 1°.* Ex S. SCRIPTURA. Ad Hebr. 10. docet Apostolus, fuisse impossibile sanguine taurorum, hircorum, id est, sacrificiis legis veteris auferri peccata: exinde inferens necessitatem satisfactionis Christi; sed nulla esset hæc argumentatio, si satisfactio Christi haberet condignitatem et superabundantiam suam præcise a liberali acceptatione divina; cum sic



etiam condigna esse potuissent sacrificia legis veteris: quia horum insufficientiam et indignitatem supplere æque potuisset liberalis Dei acceptatio.

2º. Ex SS. PATRIBUS; e quibus CHRYS. hom. 10. in e. 5. ad Rom. n. 2. *Multo plura, inquit, quam debemus; Christus pro nobis solvit; tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensus.* PROCLUS Constantinopolitanus homil. Quod Deipara sit B. Virgo Maria (Labb. t. 3. p. 15. A.): *O rem stupendam! immortalitatem..... per suam mortem aliis conciliat. Ejusmodi nullus unquam fuit, nec est, nec erit, quam unus et solus ille, ex Virgine natus Deus simul et homo; qui non solum adæquatam cum reorum multitudine dignitatem et æstimationem habet: sed ea omnium calculis sententiisque majorem.* S. ANSELMUS, Cur Deus homo L. 2. c. 20. *Unde se redimat non habenti, Deus Pater dicit: Accipe Unigenitum meum, et da pro te. Ipse Filius: Tolle me, et redime te..... quid justius quam ut ille, cui datur pretium majus omni debito, si debito datur affectu, dimittat omne debitum.* S. PETRUS Cluniacensis in Nucleo c. 9. (Biblioth. magna PP. t. 10. p. 1068. A.): *Plus plane redditum est justitiæ, quando Christus mortuus est, quam sit recompensatum, quando homo damnatus est. Habet ergo justitia quidquid suum est, quia Dei Filius pro peccatis hominum mortuus est.* Huc etiam facit CLEMENS VI. Extrav. Unigenitus de Pœnit. et Remiss. ubi ait, quod gutta sanguinis modica propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset.

3º. RATIONE. Incarnatio necessaria fuit ex hypothese condignæ satisfactionis pro peccatis præstandæ: at si Christi opera non nisi ex liberali acceptatione Dei haberent condignitatem satisfaciendi, non fuisset incarnatio ita necessaria; cum Deus satisfactionem puræ creaturæ eodem modo acceptare potuisset; adeoque et verum non esset, quod inculcant Patres, puram creaturam redimere non potuisse humanum genus.

*Conf.* Opus, quod ex se condignitatem non habet, non potest eam ab acceptatione aliena consequi; nam quis dicet, rusticum osculando manum regis satisfacere condigne pro gravi offensa in regem commissa? etsi rex sub conditione osculi velit remittere offensam, meritamque capitalem pœnam.

Dixi: in actu primo; nam absolute Christi satisfactio, quantumvis condigna, poterat non acceptari a Deo in actu secundo ad peccata nobis remittenda, et reddendum pro ea præmium; nihil enim est, quod eum ad acceptandum necessitasset.

469. Dico II. Satisfactio Christi, in genere moris, ex se valoris infiniti fuit; quin illum primo acciperet ex gratuita acceptatione Dei.

*Prob. I.* AUCTORITATE CLEM. VI. in Extrav. cit. ubi hæc tria habentur: 1º. expresse dicitur merita Christi esse infinita. 2º. Infinitatem istam fundari in unione humanitatis ad Verbum: proinde non præcise in acceptatione Dei. 3º. Non esse metuendum fidelibus, ne thesaurus meritorum Christi unquam aut exhauriatur, aut minuatur; quæ est ipsa infiniti natura et proprietates. Hæc illustrantur ex prob. seq.

*Prob. II.* RATIONE. 1º. Valor enim moralis operis satisfactorii, vel meritorii, a dignitate personæ satisfaciendi et merentis desumitur, tanquam forma morali moraliter intrinseca operi; ergo cum persona Christi sit digni-

tatis infinite simpliciter; in ejus quoque actiones valorem simpliciter infinitum refundet. *Ant. palet.* tum in humanis, in quibus communi prudentum æstimatione tanto majoris sit operatio, quanto major est dignitas operantis; etsi enim æqualis sit bonitas physica ac moralis objectiva, actio lamen regis in ordine ad satisfactionem et meritum æstimabilior est, quam actio plebei: tum in supernaturalibus; cum aliam habeant vim actus supernaturales (ut amor), in homine justo; et digniores sint, quam elicit a peccatore; licet, honestate desumpta ab objecto, intensione, duratione, pares sint. *Conseq.* hinc elucet, quia personæ dignitas, cum tanquam forma moralis sit operi moraliter intrinseca, huic se communicat totam, si nihil sit, quod communicationem illam impediatur, vel limitet; sed nihil impedit, vel limitat: sicut enim nihil impedire potest, quo minus sit actio Dei hominis; ita et nihil alterum; ergo cum persona Christi infinite digna sit, infinitam quoque in genere moris dignitatem communicat.

470. 2º. Actiones suppositorum sunt, ut habet receptum axioma, sic quidem, ut potius tribuantur supposito ut quod, tanquam denominationis, quam naturæ operanti ut quo: cum enim natura non operetur, nisi complete existat, ac prius sit complete existere, quam operari; hinc fit, quod actiones principaliter supposito, utpote principio naturam complenti, tribuantur: igitur et hujus dignitatem participant; sed hæc in persona Verbi infinita est.

Igitur Christi satisfactio, sicut et meritum, est concretum morale, ex subjecto et forma morali resultans, quæ est personæ Christi dignitas; uti enim meritum, satisfactio hominis justi, est concretum ejusmodi, ex actu supernaturali, seu subjecto, et ex statu filiationis ejus adoptivæ, ut forma dignificante, resultans; ita entitas operis in Christo subjecti locum habet; ejus vero naturalis filio locum formæ dignificantis, quam habet Christus ratione Verbi infinite digni; ergo et ipsum Christi opus infinite dignum est, quia forma dat denominationem suam subjecto, cui unita et intrinseca est.

471. Unde condignitatis, infinitatis, quæ sunt in valore Christi operum, radix non est influxus physicus Verbi in illa; Verbum enim in illa physice influere non potuit, quia personalitas Verbi est unita tantum humanitati in ratione subsistentiæ; hæc autem non est principium physice influens in opera nature, quæ ab hac sola elicitive procedunt, et sic a sola natura humana processerunt in Christo; sed sola unica radix, personæ satisfaciendi et merentis dignitas est.

472. *Obj. I.* cum Hæreticis. Si satisfactio Christi fuerit condigna et superabundans; ergo superflua sunt opera et satisfactiones nostræ.

*R. N. Cons.* Non est superflua propterea baptismus; ergo neque opera nostra satisfactoria. Et ratio est; quia, etsi satisfactio Christi fuerit non tantum condigna, sed etiam superabundans, ut propter eam remitteretur omnis culpa et pœna sine omni opere nostro, etiam sine baptismo et fide, de facto tamen sine cooperatione nostra nobis in actu secundo non prodest; eo quod Christus non voluerit eam prodesse nobis nisi cooperantibus, et per



opera ab eo præscripta satisfactionem ejus nobis applicantibus; quod ipsum in Scripturis sæpe per se et Apostolos inculcavit, Marc 16., Luc. 29., Matth. 19. Unde satisfactiones nostræ nihil derogant satisfactioni Christi; non enim sunt in illius complementum, quasi sine nostris esset insufficientis; sed sunt tantum applicatio satisfactionis Christi; quo sensu Apostolus ad Coloss. 1. 24. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

473. *Obj. II.* Valor satisfactionis Christi, independentem ab acceptatione Dei, non adæquat gravitatem offensæ; ergo sine illa ex se condigna non est. *Prob. Ant. 1<sup>o</sup>.* quia gravitas offensæ crescit ex principiis duobus: dignitate offensi et vilitate offendentis; e contra satisfactio ex sola dignitate satisfaciens.

2<sup>o</sup>. Ut sit condigna et æquivalens satisfactio; debet tantus esse excessus dignitatis in persona satisfaciens comparative ad personam, cui satisfacit, quantum erat in persona offensa comparative ad offendentem: atqui talis excessus non datur in persona Christi, ut patet. *Conf.* Si persona offendens esset æqualis personæ offensæ, requireretur persona satisfaciens itidem æqualis; ergo si offendens sit infinite vilior, requiritur itidem persona satisfaciens dignior, quam sit persona offensa.

3<sup>o</sup>. Plus Deo displicet peccatum, quam placeat satisfactio Christi; ergo. *Prob. Ant.* Quia tantum displicet Deo peccatum, quantum ipsi placet sua divina bonitas: sed hæc plus ei placet, quam satisfactio Christi. *Prob. M.* Peccatum enim de se est destructivum bonitatis divinæ: atqui quantum placet res, tantum displicet, quod illius destructivum est.

R. 1<sup>o</sup>. Ergo nec condigna erit post acceptationem; quia per hanc obtinere non potest condignitatem, si ante non habeat: condignitas enim rei intrinseca est vel physice, vel moraliter; sed acceptatio est quid mere extrinsecum.

R. 2<sup>o</sup>. *N. 1<sup>am</sup>.* *Ant. Ad prob. 1<sup>am</sup>.* *D. Ant.* Offensa crescit ex principiis duobus, constituentibus tamen reipsa principium unum, ita ut non possit crescere ex uno illorum sine respectu ad alterum C. secus N. Ratio est, quia dignitas aut vilitas secundum se non faciunt crescere offensam; si enim vilis vilem offendat, non fit offensa gravior ex vilitate; sed crescit ex dignitate et vilitate comparative sumptis, h. e. una comparata cum altera, sicque unum principium constituunt.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* *R. D. M.* Si persona satisfaciens finita sit, finiteque dignitatis T. si infinite N. Nam infinitudo personæ satisfaciens ad tollendam omnem inæqualitatem, quæ intercedebat inter offendentem et offensum, sufficiens est.

*Ad Conf.* Eodem modo *D. Cons.* Si persona satisfaciens sit finita C. si infinita N. Satisfactio enim personæ infinite omnem offensam adæquat, imò superat.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>.* *R. N. Ant. Ad hujus prob. 1<sup>am</sup>.* *N. M. hujus prob. D.* Si est vere et efficaciter destructivum C. si tantum morali quadam imputatione N. Peccatum non est vere efficaciter destructivum Dei, nec peccator affective efficaciter illam destructionem intendit; quia, si peccans optat esse, conservari, et acquirere bonum, quod per peccatum futurum apprehendit;

eum hæc omnia cessent destructo Deo, quomodo operabitur efficaciter destructionem Dei? sed solum imputatione morali ita se gerere dicitur, ac si vellet destructionem bonitatis divinæ. Igitur cum bonitas divina sit physice, non imputatione morali, infinita; plus in ea Deo complaceat, quam displiceat peccatum.

474. *Obj. III.* Quælibet Christi actio finitæ entitatis est; ergo et bonitatis.

*R. D. Cons.* Ergo et finitæ bonitatis physice C. moralis *Subd.* moralis objectivæ, quæ est respectus ad objectum formale motivum, vel alias circumstantias, quæ actionem in certa specie virtutis constituunt C. moralis personalis, quæ fundatur in dignitate personæ operantis N.

475. *Inst. 1.* Non tenet hæc argumentatio: quo dignior est persona, quæ offenditur, eo gravior est offensa; ergo, cum persona, quæ offenditur, sit infinita simpliciter, offensa est simpliciter infinite gravis; ergo neque hæc valet: quanto dignior est persona satisfaciens, tanto majoris valoris est satisfactio; ergo, cum persona satisfaciens sit simpliciter infinite digna, etiam satisfactio est valoris simpliciter infiniti; unde ruit nostrum fundamentum.

*R. C. A.* Quoad crescentiam arithmetica. *N. Cons. Disparitas* est, quia persona offensa habet se tantum ut subjectum logicum, sive denominatum, adeoque per modum formæ extrinsecæ respectu offensæ ipsius; unde persona offensa secundum se totam non gravificat actum offensæ; qui præterea aliunde limitatur a cognitione objecti, tendentia in illud, quæ semper quid finitum sunt. At persona satisfaciens habet se ut principium, sicque per modum formæ intrinsecæ; quia actiones suppositorum sunt; principium autem se toto influit, et forma intrinseca se totam communicat, juxta superius dicta, si nihil sit, quod impediatur, vel limitetur.

476. *Inst. 2.* Si valor satisfactorius Christi sit infinitus; ergo tantum placebit Deo, quantum suus actus increatus; et plures actus satisfactorii non essent quid majus in ratione satisfactionis, quam unus; sicque Christus non plus meruisset, et satisfecisset tota collectione suorum actuum, quam singulis; sed hæc videntur absurda.

*Ad 1<sup>am</sup> illat. R. D.* Tantum placebit secundum entitatem physicam, et bonitatem moralem objectivam, quæ, ex dictis, in actum refunditur ex motivo, tendentia, etc. *N.* secundum principium dignificativum sui C. Simpliciter tamen dici non debent opera Christi tam digna, quam sunt actus increati; quia opera illa quidem sunt infinite digna; sed dignitate sibi communicata, et morali: at vero actus increati sunt infinite digni, dignitate sibi identificata, essentiali; quæ est dignitas physica.

*Ad 2<sup>am</sup> illat. R. D.* Non essent quid majus intensive C. sed in hoc nihil est absurdi: non essent quid majus extensive N. Plus satisfactionis, vel meriti extensive non facit majorem satisfactionem simpliciter: sed nihil absurdi est, quod actus unus ob dignitatem operantis sit tanti valoris et virtutis in se, quanti valoris sunt plures simul et collective sumpti. Quin hoc potius commendat operantem.



477. *Inst.* 3. Opus humanum a Christo procedens, est et manet creatum; ergo simpliciter finitum.

R. D. *Cons.* Ergo finitum physice est et manet C. moraliter N. Sed in hoc genere infinitum est, in quo nihil inconueniens; valor enim, et meritum sunt modi morales, qui excedere possunt perfectionem actus physicam, ut patet in humiliatione regis et subditi; licet enim sint ejusdem speciei physice; morali tamen æstimatione plurimum differunt.

Ex hactenus disputatis colligitur, Christum satisfacisse, meruisse, ut Deum hominem; quia ut Deus fuit principium *ut quod* satisfaciens; ut homo vero principium, scilicet elicitivum, *ut quo*.

## ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS SIT MORTUUS PRO OMNIBUS OMNINO HOMINIBUS?

478. *Nota.* Ut præmisimus in illo ingressus SECT. secundæ, Christum pro prædestinatis solum esse mortuum, non pro reprobis, doctrina fuit Calvini et Jansenii. Ne vero in præsentis controversia aberretur a scopo, sciendum, quæstionem non esse: utrum mors Christi sit sufficiens pretium pro omnibus omnino hominibus redimendis ac salvandis? hoc enim nemo negat. Quin hoc sensu verum esset dicere, Christum mortuum esse non pro omnibus solum hominibus, qui aliquando erunt; sed etiam omnibus possibilibus; imo angelis, dæmonibus, et damnis; quia, cum mors ejus esset valoris infiniti, sufficiens fuisset ad redimendos illos omnes ac salvandos; sed quæritur: an de facto fuerit a Christo oblata et a Patre acceptata pro omnibus, nullo excepto, saltem quoad sufficientiam mediorum pro salute æterna? nec solum pro salute spiritali temporaria, ut eorum, qui ad tempus aliquod, intuitu mortis Christi, justificantur: quod posterius Jansenius non negavit.

479. *Dico.* Christus vera ac sincera voluntate pro redemptione, ac salute æterna omnium et singulorum, nè uno excepto, mortuus est, mortemque obtulit; ut gratias mereretur omnibus ad salutem æternam vere sufficientes. Ita sententia Catholica.

*Prob.* Ex S. SCRIPTURA. Ad Rom. 8. 3. Pater pro nobis omnibus tradidit illum. 1. ad Tim. 2. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. ad Tim. 4. 10. Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium; ergo et infidelium, alioquin non maxime fidelium; neque etiam omnes fideles sunt prædestinati. 1. ad Cor. 8. 11. Peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est; ergo et pro illo mortuus Christus, quem Apostolus periturum dicit. Deinde frater ille est quicumque fidelis in fide infirmus; an dicent adversarii, quemcumque fidelem in fide infirmum esse de prædestinatorum numero? 2. ad Cor. 5. 14. Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt; hic Apostolus ex eo quod Christus sit mortuus pro omnibus, probat omnes esse mortuos in Adamo; sed hæc S. Pauli argumentatio falsa esset, si Christus non esset mortuus pro omnibus, ut ait S. Aug. L. 6. cont. Julian. c. 4. n. 8. Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco,

infercio recusanti... unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est.

Dicunt Jansenistæ: 1º. Auctoritati S. Scripturæ satis consuli dicendo: Christum esse mortuum pro omnibus in sensu accommodo, h. e. pro generibus singulorum, licet non pro singulis generum. Vel 2º. Christum quidem mortuum esse pro singulis generum sufficienter: quatenus ejus mors sit sufficiens pretium in se, redimendis omnibus; non quod etiam illam pro singulis obtulerit. At

Contra 1º. est tum, quod hanc expositionem non admittant tres textus ultimi; postremus vero minime (vel enim pariformiter dicendum esset, omnes in Adamo mortuos esse, tº omnes sumendo accommodo, quod non concedunt adversarii; vel dicendum, nullam esse Apostoli argumentationem); tum quod ratio sit penitus nulla ab obvio verborum sensu recedendi, torquendique ad illum Jansenistarum.

Contra 2º. est 1º. quod hac ratione dici possit, Christum pro dæmonibus neque mortuum esse; cum et his salvandis pretium mortis ejus fuerit sufficiens: at hoc aperte repugnat Scripturis. 2º. Quod particula pro ex communi usu causam finalem importet, propter quam aliquid fit, et mori pro alio idem sonat, ac in commodum ejus; atque ita sumat Jansenius ipse, L. 3. de Grat. Salvator. c. 22.

480. *Prob. II.* Ex CONCILIO TRIDENTINO Sess. 6. cap. 2. de Christo docet: Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Et cap. 3. Etsi pro omnibus mortuus est; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; quia scilicet non omnibus applicatur. Unde sic: Tridentinum docet, Christum mortuum esse pro omnibus eo sensu, quo id negabat Calvinus, contra quem agit: sed non negabat Calvinus, Christum mortuum esse pro omnibus in sensu accommodo; neque eo sensu, quod mors ejus fuerit pretium sufficiens redimendis singulis; hoc enim adhuc fatetur ex duce suo tota Calvini schola; sed quod pro singulis sincere obtulerit; ergo illud dicere intendebat Concilium.

Adde Concil. CARISIACUM I. quod cap. 4. contra Gotteschaleum ait (Labh. t. 8. p. 57. E.): Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit; ita nullus est, fuit, vel erit homo pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur, scilicet, ut etiam actu salvi fiant.

481. *Prob. III.* Ex SS. Patribus. S. GREGORIUS Nazianzenus orat. 33. n. 9. At ego ita præscarum hominum more, et philosophice affectus sum, ut unum idemque cælum omnibus commune esse existimem, communem item solis et lunæ conversionem.... et, ut adhuc majora proferam, communem rationem, Legem, Prophetas, ipsos Christi cruciatus, per quos omnes, citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus, atque a serpente in fraudem inducti, et per peccatum morte affecti, ac per celestem Adamum saluti restituit, atque ad vitæ lignum, unde excideramus, per ignominie lignum revocati sumus. EUTHYMIUS hæc verba Matth. 20. 28. Dare animam



477. *Inst.* 3. Opus humanum a Christo procedens, est et manet creatum; ergo simpliciter finitum.

R. D. *Cons.* Ergo finitum physice est et manet C. moraliter N. Sed in hoc genere infinitum est, in quo nihil inconueniens; valor enim, et meritum sunt modi morales, qui excedere possunt perfectionem actus physicam, ut patet in humiliatione regis et subditi; licet enim sint ejusdem speciei physice; morali tamen æstimatione plurimum differunt.

Ex hactenus disputatis colligitur, Christum satisfacisse, meruisse, ut Deum hominem; quia ut Deus fuit principium *ut quod* satisfaciens; ut homo vero principium, scilicet elicitivum, *ut quo*.

## ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS SIT MORTUUS PRO OMNIBUS OMNINO HOMINIBUS?

478. *Nota.* Ut præmisimus in illo ingressus SECT. secundæ, Christum pro prædestinatis solum esse mortuum, non pro reprobis, doctrina fuit Calvini et Jansenii. Ne vero in præsentis controversia aberretur a scopo, sciendum, quæstionem non esse: utrum mors Christi sit sufficiens pretium pro omnibus omnino hominibus redimendis ac salvandis? hoc enim nemo negat. Quin hoc sensu verum esset dicere, Christum mortuum esse non pro omnibus solum hominibus, qui aliquando erunt; sed etiam omnibus possibilibus; imo angelis, dæmonibus, et damnis; quia, cum mors ejus esset valoris infiniti, sufficiens fuisset ad redimendos illos omnes ac salvandos; sed quæritur: an de facto fuerit a Christo oblata et a Patre acceptata pro omnibus, nullo excepto, saltem quoad sufficientiam mediorum pro salute æterna? nec solum pro salute spirituali temporaria, ut eorum, qui ad tempus aliquod, intuitu mortis Christi, justificantur: quod posterius Jansenius non negavit.

479. *Dico.* Christus vera ac sincera voluntate pro redemptione, ac salute æterna omnium et singulorum, nè uno excepto, mortuus est, mortemque obtulit; ut gratias mereretur omnibus ad salutem æternam vere sufficientes. Ita sententia Catholica.

*Prob.* Ex S. SCRIPTURA. Ad Rom. 8. 3. Pater pro nobis omnibus tradidit illum. 1. ad Tim. 2. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. ad Tim. 4. 10. Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium; ergo et infidelium, alioquin non maxime fidelium; neque etiam omnes fideles sunt prædestinati. 1. ad Cor. 8. 11. Peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est; ergo et pro illo mortuus Christus, quem Apostolus periturum dicit. Deinde frater ille est quicumque fidelis in fide infirmus; an dicent adversarii, quemcumque fidelem in fide infirmum esse de prædestinatorum numero? 2. ad Cor. 5. 14. Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt; hic Apostolus ex eo quod Christus sit mortuus pro omnibus, probat omnes esse mortuos in Adamo; sed hæc S. Pauli argumentatio falsa esset, si Christus non esset mortuus pro omnibus, ut ait S. Aug. L. 6. cont. Julian. c. 4. n. 8. Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco,

infercio recusanti... unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est.

*Dicunt* Jansenistæ: 1º. Auctoritati S. Scripturæ satis consuli dicendo: Christum esse mortuum pro omnibus in sensu accommodo, h. e. pro generibus singulorum, licet non pro singulis generum. Vel 2º. Christum quidem mortuum esse pro singulis generum sufficienter: quatenus ejus mors sit sufficiens pretium in se, redimendis omnibus; non quod etiam illam pro singulis obtulerit. At

*Contra* 1º. est tum, quod hanc expositionem non admittant tres textus ultimi; postremus vero minime (vel enim pariformiter dicendum esset, omnes in Adamo mortuos esse, tº omnes sumendo accommodo, quod non concedunt adversarii; vel dicendum, nullam esse Apostoli argumentationem); tum quod ratio sit penitus nulla ab obvio verborum sensu recedendi, torquendique ad illum Jansenistarum.

*Contra* 2º. est 1º. quod hac ratione dici possit, Christum pro dæmonibus neque mortuum esse; cum et his salvandis pretium mortis ejus fuerit sufficiens: at hoc aperte repugnat Scripturis. 2º. Quod particula *pro* ex communi usu causam finalem importet, propter quam aliquid fit, et *mori pro alio* idem sonat, ac in commodum ejus; atque ita sumat Jansenius ipse, L. 3. de Grat. Salvator. c. 22.

480. *Prob. II.* Ex CONCILIO TRIDENTINO Sess. 6. cap. 2. de Christo docet: Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Et cap. 3. *Etsi pro omnibus mortuus est; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; quia scilicet non omnibus applicatur.* Unde sic: Tridentinum docet, Christum mortuum esse pro omnibus eo sensu, quo id negabat Calvinus, contra quem agit: sed non negabat Calvinus, Christum mortuum esse pro omnibus in sensu accommodo; neque eo sensu, quod mors ejus fuerit pretium sufficiens redimendis singulis; hoc enim adhuc fatetur ex duce suo tota Calvini schola; sed quod pro singulis sincere obtulerit; ergo illud dicere intendebat Concilium.

Adde Concil. CARISIACUM I. quod cap. 4. contra Goteschaleum ait (Labh. t. 8. p. 57. E.): *Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit; ita nullus est, fuit, vel erit homo pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur, scilicet, ut etiam actu salvi fiant.*

481. *Prob. III.* Ex SS. Patribus. S. GREGORIUS Nazianzenus orat. 33. n. 9. *At ego ita præscarum hominum more, et philosophice affectus sum, ut unum idemque cælum omnibus commune esse existimem, communem item solis et lunæ conversionem.... et, ut adhuc majora proferam, communem rationem, Legem, Prophetas, ipsos Christi cruciatus, per quos omnes, citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus, atque a serpente in fraudem inducti, et per peccatum morte affecti, ac per celestem Adamum saluti restituit, atque ad vitæ lignum, unde excideramus, per ignominie lignum revocati sumus.* EUTHYMIUS hæc verba Matth. 20. 28. *Dare animam*



suam redemptionem pro multis, ita exponit: *Multis dicit nunc pro omnibus. Frequenter enim Scriptura dicit multos pro omnibus. Itaque pro omnibus tradidit animam suam, omnesque redemit: quanquam multi sua sponte in servitute remanserunt.* S. AMBR. serm. 8. in Ps. 118. n. 57. *Quomodo misericordiae Domini plena est terra, nisi per passionem Domini nostri Jesu Christi.... Plena est ergo terra misericordiae Domini, quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes sol oriri jubetur; et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem sol ille justitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit: ideo autem passus est, ut tolleretur peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed quod solis est, prerogativam suam servat: quod imprudens est, communis a se gratiam lucis excludit.* S. LEO M. de Nativit. serm. 1. c. 1. *Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Et de Pass. serm. 6. c. 4. *Merito, priusquam traderetur, dixerat Dominus: Cum exallatus fuero, omnia ad me traham: id est, totam causam humani generis agam, et olim perditam in integrum revocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga sanabitur, etc.; in specie vero S. AUG. qui in Ps. 68. Enarr. 2. n. 11. de Juda proditore ait: Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipse a Domino redemptus erat. Lib. 2. de Symb. ad Catech. c. 8. Christum crucifixo alloquentem inducit: Videtis vulnera quae inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis: quoniam et per vos, et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis; similia habet de Herode ibid. c. 5. n. 12. Sed hi omnes praedestinati non erant. Insuper causam dat interitus, non quod Christus pro illis sufficienter non obtulerit; sed quod beneficio oblato ufi noluerint. Idem in Ps. 95. n. 5. *Venit Redemptor, et dedit pretium; fudit sanguinem suum, emul orbem terrarum. Queritis quid emerit? Videte quid dedit, et invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes?.... pro toto dedit, quantum dedit.* Et infra n. 15. *Judicabit orbem terrarum in aequitate: non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Recole quae ex eodem contr. Julian. L. 6. c. 4. supra (n. 479.) retulimus. Cf. Petavium de Incarn. L. 13. c. 2. et P. Faure S. J. Enchiridion S. August. notis et assertionibus theologicis illustrat. annot. in c. 41-47.*

482. Prob. IV. Ex SS. PONTIFICIBUS. INNOCENTIUS X. et ALEXANDER VII. damnarunt hanc propositionem, inter Jansenianas ordine 3<sup>am</sup>. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fuisse. Censuram vero istam propositioni huic addidit INNOCENTIUS X. 1653. 31. Maii: Falsam, temerariam, scandalosam: et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat praedestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haereticam declaramus, et ut talem damnamus.*

Respondent Jansenistae. Etsi haereticum sit asserere, Christum mortuum esse duntaxat pro salute praedestinatorum; hiic tamen non sequitur, mor-

tuum pro salute aeterna reproborum; sed pro salute illorum vel aeterna, vel temporaria; si enim dicatur, quod pro temporaria eorum salute sit mortuus; sequitur, quod non solum pro praedestinatiis mortuus sit. Similiter verum manebit, Christum pro solis praedestinatiis mortuum non esse; si modo dicatur, mortuum eum esse pro salute aeterna aliquorum reproborum tantum, licet non singulorum.

Verum contra est 1<sup>o</sup>. quod nunquam fuerit controversum inter Doctores Catholicos et Jansenistas: mortuusne Christus esset pro reproborum salute temporaria, aut pro aeterna aliquorum duntaxat; sed an pro salute aeterna omnium; ergo et hoc definit Pontifex, ne, secus, impertinens fuisset definitio. 2<sup>o</sup>. Damnata fuit propositio in sensu intento a Jansenio, quemque in scriptis expresserat Jansenius, quod Christus tantum pro salute aeterna praedestinatorum sit mortuus; pro reproborum vero non magis, quam pro salute daemorum, L. 3. de Grat. Salvatoris c. 21.; ergo Ecclesia damnando illam propositionem definit, Christum esse mortuum pro salute reproborum; non temporaria, quod Jansenius concedit, ibid. c. 22. *pro his (reprobis) in tantum mortuus est, in quantum temporalibus quibusdam divinae gratiae effectibus exornandi sunt; sed aeterna, et quidem omnium; quia ita definit simpliciter, nullo excepto; et quoniam erit potior ratio pro uno reprobo, quam altero?*

Ratio demum est, quod systema Jansenii enervet spem Christianam, quae omnis est in pretioso sanguine ejus; si enim pro me illum non fuderit, quod me latet; nihil est, quod sperem.

483. Obj. I. Matth. 20. 28. *Filius hominis venit... dare animam suam, redemptionem pro multis.* Matth. 26. 28. *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* ergo non pro omnibus.

R. 1<sup>o</sup>. N. Cons. quia per multos intelliguntur omnes, passim in Scriptura; quando omnes sunt multi, ut fatetur Jansenius ipse in Matth.; *multi potest significare omnes, quando omnes sunt multi.* Et recte; ita enim multos sumere solet Scriptura, ut ad Rom. 5. 15. *Unius delicto multi mortui sunt;* et tamen alibi ait: *In quo omnes peccaverunt,* ib. v. 12. Ac ibid. v. 18, eodem nunc multos pro omnibus sumi ait CHRYS. homil. 83. in Matth., THEOPHYL. in illum Matth. locum: *Pro multis dicit effundi: hoc est pro omnibus; sunt enim et omnes multi.* EUTHYM. supr. cit., ac praesertim S. AUG., cujus auctoritatem repudiare nequit Jansenius, L. 2. contra Julian. c. 175. op. imperf. *Non repugnant omnibus multi; quia ipsi omnes non pauci; sed multi sunt.* Et L. 20. de Civ. c. 23. n. 2.

R. 2<sup>o</sup>. Cum Doctore Angelico in Matth. cit. D. Ergo non pro omnibus quoad sufficientiam oblatis pretii N. quoad efficaciam et applicationem C. *Si consideretur, inquit in c. 26. Matth., sufficientia, ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi; sed si consideremus effectum, minorem habet effectum, in iis nempe, qui non salvantur: et hoc ex culpa hominum.*

Inst. 1. Scriptura  $\tau\theta$  omnes non raro sumit pro multis strictae, sive pro magno numero ex collectione, aut aliquibus, ut 1. ad Cor. 15. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita et in Christo omnes vivificabuntur;* ubi omnes non sumit pro singulis distributive; quia revera sic non vivificantur omnes; ergo.



R. N. *Cons.* Quia licet aliquando ita sumatur  $\tau\delta$  omnes; non inde sequitur, ita ubique debere sumi; alioquin et sic sumi deberet pro aliquibus tantum, ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt*, et alibi, quod falsum est. Igitur utrum  $\tau\delta$  omnes sumere oporteat pro singulis distributive; vel pro aliquibus, in sensu accommo; id ex subjecta materia, et circumstantiis pensandum est; at vero in priore sensu, pro singulis distributive hic sumi debere, ex rationibus Conclusionis evincitur.

*Inst. 2.* Christus pro iis tantum est mortuus, ad quos fuit missus; sed non fuit ad omnes missus, Matth. 13. 24. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*; ergo. Item, Christus restringit ipse mortem suam modo ad oves suas, modo ad fideles, et eos, qui sunt de Ecclesia sua, ut: *Animam meam pono pro ovibus meis*. Joan. 10. 15. *Exaltari oportet Filium hominis; ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat*. Joan. 3. 14. *Scipsum tradidit pro ea* (Ecclesia). ad Ephes. 5.; ergo.

R. D. M. Pro iis tantum, ad quos fuit missus tantum personaliter N. vel personaliter, vel per ministros C. At hoc sensu ad omnes missus est, cum suo nomine Apostolos miserit ad omnes mundi populos: *Euntes docete omnes gentes*. Matth. ult. Hinc cum se ad solos Israelitas missum dicat; limites missionis suæ personalis indicat ad prædicandum, miracula patrandæ.

Ad 2<sup>am</sup>. R. N. vel D. Ant. Mortem vel redemptionem restringit ad oves, fideles, vel electos, privative, cum exclusione cæterorum N. sine aliorum exclusione C. Licet in his locis de aliis silere videatur Scriptura; alibi tamen eos exprimit. Deinde, esto, quod aliquando Scriptura mortem Christi, vel redemptionem restringat ad solos electos, vel prædestinatos, loquitur tunc de redemptione quoad efficaciam et applicationem, vel efficaciam, passiva, pro liberatione actuali alicujus; non vero de redemptione sufficienti, vel sumpta pro oblatione sufficientis pretii ad liberationem.

484. *Inst. 3.* Pro illis solis mortuus est Christus, pro quibus oravit: atqui pro solis prædestinatis oravit, Joan. 17. 9. *Non pro mundo rogo: sed pro his quos dedisti mihi*; ergo.

R. D. M. Pro illis mortuus est, pro quibus oravit semper N. pro quibus aliquando oravit C. Cum enim non una vice oraverit Christus, sed sæpius; potuit aliquando orare pro solis prædestinatis, aliquando pro hominibus omnibus, aliquando pro solis discipulis, oratione specialissima; et talis fuit illa Joan. 19. ut ex textu evidens est; ac proin cum Aug. Tr. 107. in Joannem dicat, orasse ibi Christum pro electis, intelligit electos Apostolos, non electos omnes. Unde cum dicitur: *non pro mundo rogo*, sensus est: nunc non ea ratione efficaci et speciali, qua modo pro discipulis meis rogo: vel, si quis nihilominus pro omnibus electis ibi Christum orasse velit, *non pro mundo*, h. e. hac oratione efficaci et speciali.

Cæterum pro aliis alio tempore oravit Christus, pro crucifixoribus suis, Luc. 23. 34. *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt*; sed unde fidem facient adversarii, carnifices Christi omnes prædestinatos fuisse?

*Si dicitis*: Si Christus orasset pro reprobis, exauditus fuisset; juxta illud Joan. 11. 42. *Pater..... sciebam, quia semper me audis*.

R. D. Si orasset ita efficaciter et absolute C. si non ita N. Nimirum

sicut in Deo duplex distinguitur voluntas: una absoluta, quæ semper impletur; altera conditionata, ex parte objecti, ut hominis, quæ non semper impletur; qualis est in Deo voluntas generalis antecedens salvandi omnes; quæ in Deo est voluntas, non signi tantum, sed beneplaciti, vera et seria, efficax etiam ex parte Dei in ordine ad media sufficientia; sed conditionata ex parte hominis; sic juxta S. Tr. duplex oratio in Christo distingui debet: efficax et absoluta, quæ ex voluntate consequente; altera non efficax absolute, et conditionata, quæ ex voluntate antecedente profluit. Prior oratio semper impletur; non altera, ex defectu et culpa hominis; sicut in Deo voluntas antecedens salvandi omnes, non impletur semper ob culpam hominum; licet impleatur semper voluntas absoluta consequens, quæ prædestinatos salvos vult. At priori oratione pro electis; altera pro reprobis oravit.

*Inst. 4.* Juxta S. Aug. Lib. 21. de Civ. c. 4. n. 31. *Si de aliquibus ita (Ecclesia) certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo; tam pro iis nec oraret, quam nec pro ipso* (diabolo). Atqui Christus perfecte et certo sciebat, quinam essent prædestinati ad ignem; ergo neque ipse pro iis oravit.

R. 1<sup>o</sup>. Fatentibus adversariis, Deus voluntatem habuit salvandi angelos omnes; quorum tamen magnam partem certo sciebat mittendam esse in ignem; at si hoc certo sciebat, quomodo vere ac sincere eos salvos voluit?

R. 2<sup>o</sup>. D. M. Non oraret pro iis oratione absoluta, ac reprobationem jam supponente C. oratione conditionata et antecedente reprobationem N. Sic concessa min. D. *Cons.* Neque Christus pro iis oravit oratione absoluta, eorum damnationem consequente et supponente C. conditionata, et eorum damnationem antecedente N.

S. Doctor eo loco contra illos disputat, qui putabant in judicio extremo sanctos angelos simul cum sanctis reliquis oraturos pro damnandis et angelis et hominibus, ac tandem propter sanctorum preces reis parcendum esse. Quem errorem rejicit S. Aug. ex eo quod nequidem jam Ecclesia, si certo sciret quinam reprobi sunt, non magis pro his salvandis oraret, quam pro diabolo: oratione scilicet, quæ ex voluntate absoluta et consequente, ac supponente eorum reprobationem profliueret, quaque vellet iis dari veniam, qua reprobis, et supposita eorum impœnitentia finali. Eodem modo neque Christus oravit pro reprobis, scilicet consequenter ad eorum impœnitentiam finalem ac reprobationem, ut iis, qua talibus, daretur gratia se a damnatione, quam incurrisissent, liberandi.

Verum non ideo simul negat S. Aug., quod oraret pro iis oratione, quæ sequitur ex voluntate generali et antecedente eorum salutis. Quin hoc potius ibid. affirmat; docet enim nunc Ecclesiam orare pro singulis, reprobis non exceptis, ex duplici causa; 1<sup>o</sup>. quia hæc vita est tempus pœnitentiæ salutaris; 2<sup>o</sup>. quia nescit, quinam reprobi sint. Licet vero jam deficeret hæc ratio secunda; manet tamen adhuc prima.

*Neque dicas*: Ecclesia sciret in illa hypothesi, orationem suam exaudiendam non esse; ergo imprudenter oraret. Nam

R. N. *Cons.* Licet enim non semper concedendum sit, quod rogamus; non ideo oratio imprudens est; sic numquid Christus pro omnibus inimicis oravit? licet sciret, non omnes salvandos, ut ait Aug. serm. 4. de Sanctis



(al. 382. n. 2.) Item, ut transiret ab eo calix passionis; licet non transiretur sciret, ut idem Aug. ait, nosque ea in re Christum sequi vult epist. 121. ad Probam (al. 130. n. 26.) Sic Spiritus sanctus 1. ad Tim. 2. 4. per Apostolum jubet, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, etc. Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo; licet Spiritus sanctus noverit, itemque Christus, quinam ex his reprobi sint. Et ratio est: quia oratio pro aliis profuit ex charitate, quæ se extendit ad omnes, adhuc capaces beatitudinis, eamque illis precatur generaliter; de cætero abstrahit, illamne consequantur, vel non.

Potuit igitur orare Christus pro reprobis, non ut mutaret Deus latam in eos damnationis sententiam, ob eorum impoenitentiam finalem prævisam; sed ut conferret ipsis sufficientes gratias ad salutem, si iis uti vellent; hocque sensu pro reprobis oravit, et mortuus est, ut sic inexcusabiles essent.

483. Obj. II. Juxta S. Aug. 1<sup>o</sup>. Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus. epist. 102. ad Evod. (al. 169. n. 4.) ac proinde Judam eorum numero excludit, Tr. 53. in Joan. n. 7. Præmisit (Christus) obsequia non solum eis pro quibus erat subiturus mortem; sed etiam illi qui fuerat eum traditurus ad mortem. 2<sup>o</sup>. Juxta S. Aug. in variis locis, soli illi sunt redempti, qui reipsa salvantur; unde et L. 2. de Symb. ad Catechum. c. 8. n. 17. Christum inducit loquentem: Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei.

Ad 1<sup>am</sup>. R. D. Non perit ex illis unus, pro quibus mortuus est efficaciter et voluntate speciali C. pro quibus voluntate generali antecedente, quoad sufficientiam N. Sed ab his Judas non excluditur.

Ad 2<sup>am</sup>. R. D. Soli illi sunt redempti redemptione completa, in actu secundo, efficaci, quoad actualem perceptionem fructus ex redemptione C. soli etiam quoad sufficientiam, quatenus ex redemptione nulla reprobis provenissent media, quibus et ipsi salvari potuissent, si voluissent N.

486. Obj. III. Synodus VALENTINA III. anno 853. Can. 4. (Labb. t. 8. p. 137.) damnat capitula Carisiaca, quorum quarto definiebatur, Christum passum esse pro omnibus, definitque erroneum esse asserere, Christum mortuum esse pro impiis, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui sunt. Deinde eadem de causa damnat syllogismos Scoti Erigenæ; ergo. Conf. 1. Concilium LINGONENSE anno 859. confirmavit Canones Valentinos contra capitula Carisiaca, excepta tantum censura, quam Valentini Præsules Can. 4. tulerant contra citata capitula; retenta tamen censura contra syllogismos Scoti Erigenæ (Labb. ibid. p. 690.); ergo. Conf. 2. Eadem etiam ecclesiæ Lugdunensis mens fuit, quæ Synodi Valentinae; Libro enim de tenenda veritate Scripturæ multis exagitat capitula Carisiaca; ac præsertim in capitulo 4. Carisiaco reprehendit hanc ejus propositionem: Quod nullus hominum fuit, est, vel erit, pro quo Christus passus non fuerit. Deinde Christum pro omnibus fidelibus docet esse mortuum; non tamen pro infidelibus, qui in sua infidelitate morituri sunt.

R. D. Ant. Valentina Synodus damnavit capitula Carisiaca errore facti, quo putaret, Patres Carisiacos adhæsisse vel favisse errori eorum, qui

contendebant, infideles in sua impietate mortuos ex pœnis inferni, Christi passione, fuisse liberatos C. secus N. Constat inde, quod Valentini Patres, errore cognito (quod factum quidem in ipso Lingonensi Concilio), expunxerint censuram a se in Syn. Valent. latam. Quin tam Synodi Carisiacæ, quam Valentinae Patres postea in TULLENSI Synodo, eodem adhuc anno 859. ex 12. Gallia provinciis habita, Valentinos Canones, expuncta censura, tandem admiserunt; sicque tam Carisiaci, quam Valentini Canones approbati sunt, ut conformes doctrinæ AUGUSTINI. Quo facto constat capitulis Carisiacis Canones Valentinos non esse contrarios, hosque de damnatis, qua talibus, ex damnatione liberandis agere. Ex his patet Resp. ad Conf. 1<sup>am</sup>.

Ad Conf. 2<sup>am</sup>. R. Permisso interim, quod opera de tenenda veritate, et de tribus epistolis sint veri ecclesiæ Lugdunensis fœtus; hæc illud intendebat: Christum pro impiis, ante Christi passionem in sua impietate mortuis, ac jam damnatis, liberandis nequaquam fuisse mortuum; nam in alio sensu pro reliquis hominibus omnibus mortuum fuisse Christum, longa oratione docet Ecclesia celebris in L. de tribus epistolis cap. 14. et seqq.

Porro, quia Scripturæ textus, quibus Christus pro omnibus asseritur mortuus, possunt dupliciter exponi: 1<sup>o</sup>. Pro solis fidelibus quoad efficaciam, ut saepe Aug. facit: 2<sup>o</sup>. Pro singulis quoad sufficientiam, ut PATRES alii; reprehendit quidem Patres Carisiacos, quasi minus caute, cum prioris expositionis injuria, posteriorem visi essent definivisse.

Dixi: permisso, quod sint ecclesiæ Lugdunensis, etc.; id enim a multis negatur, nec sine solido fundamento; nam 1<sup>o</sup>. septem circiter seculis post ea tempora, scilicet anno 1566., primum acceperunt nomen, quin sciatur a quo, quove ex fundamento, Ecclesiæ Lugdunensis; cum vero primo prodirent, nullius auctoris nomen gerebant, teste HINC MARO in epist. nuncup. ad Carolum regem. Unde et ab HINC MARO ceu supposititia opera rejecta. 2<sup>o</sup>. Quia multum differunt a sensu Ecclesiæ Lugdunensis circa Gotteschalci errores, quem referunt concordantes ejusdem Ecclesiæ scriptores primarii: AMOLO Archiepiscopus Lugdunensis in epist. ad Gotteschalcum: item FLORUS diaconus in refutatione Scoti Erigenæ, aliique.

Nicolaum I. vero Pontificem damnasse capitula Carisiaca prorsus falsum est. Subiratus quidem HINC MARO, qui Conc. Carisiacum convocaverat, NICOLAUS fuit; sed propterea tantum, quod eum involasse in jura Apostolicæ Sedis putaret; non ob capitula ibidem edita, velut hæc erronea essent. Quin capitulum quartum de sanguine Christi pro omnibus fuso confirmavit teste PRUDENTIO TRICASSINO, quæ PRUDENTII verba HINC MARUS refert epist. 27. ad Egilonem Senonensem.



## SECTIO III.

## DE ADORATIONE CHRISTI, CULTU SANCTORUM, ET SS. IMAGINUM.

Disputatis hactenus iis, quæ Christi excellentiam attinebant, demum de adoratione, utpote quæ in illa fundatur, Christo debita, restat, ut tractemus. Coniungimus una de cultu Sanctorum ac SS. imaginum controversias: tum ob aliquam affinitatem cum prima; tum quod non occurrat opportunior alibi in Theologia locus. Cæterum contra varium errorum genus hoc loco suscipitur disputatio. Unam equidem Christo Deo et homini adorationem Nestorius tribuit; sed maligno sensu, ob qualemcumque honoris consortium, ex morali hominis cum Verbo conjunctione, ac quo modo purpura cum rege adoratur. Verbum a carne separandum putabant Ariani, ut adorari posset. Mediam carni Christi adorationem tribuisse dicitur Gilbertus Porretanus. Sacrarum vero imaginum venerationem præter Iconoclastas veteres damnarunt sec. XII. Waldenses, Petrobrussiani, Henriciani, Albigenses; sec. XIV. Hieronymus de Praga; sec. XVI. Lutherani, ac Calviniani, amplexi insuper circa cultum Sanctorum, Reliquiarum, S. Crucis Domini, damnatam olim a toto Christiano orbe impietatem Manichæorum, Vigilantii, ac similibus, ut, de eorum doctrina quid sit tenendum, vel ex majoribus, a quibus hauserunt, facile quivis iudicium ferat.

## ARTICULUS I.

## AN ET QUOMODO CHRISTUS ADORANDUS?

*Nota.* Adoratio, ex se vox generica est, quemvis cultum significare apta, quem alicui deferimus ob excellentiam illius, aut dignitatem; unde et in Scriptura rebus plane diversis tribuitur; ac proinde varia adorationis significatio ex subjecto, cui tribuitur, determinari debet. Inde quoque in politica, seu civilem, tum religiosam, sive sacram, dividitur. Prior est, quam ob dignitatem aut excellentiam civilem, quæ in aliis est, tribuimus, velut regibus, etc. Posterior, quam ex motivo religionis, ob supernaturalem excellentiam aliquam in altero, huic præstamus: hæcque vel est absoluta; si quid ob excellentiam propriam, quam habet, adoramus: ita ut adoratio in propria rei excellentia sistat, quin tendat ulterius: vel respectiva; si quid colimus ob excellentiam, non propriam, sed alterius, quocum connectitur, quem repræsentat, et ad quem refertur.

Porro adoratio religiosa tres sub se species complectitur: latrariam, estque adoratio religiosa, suprema et singularis, quam soli Deo debemus ob excellentiam divinam ipsi propriam, quæque proinde nulli alteri per se communicabilis est juxta Deut. 9. et 10. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Deinde dulia, quæ creaturis ob excellentiam creatam defertur.

*Hyperdulia* denique, quæ quidem etiam in eo, cui exhibetur, pro motivo excellentiam creatam dicit; sed aliis excellentiis creatis majorem aut supereminentem ob prærogativas, perfectiones, dona specialia, qualem Dei Genitrici impendimus. Unde hic cultus a dulia, non specie, sed solo gradu differt.

Cæterum in omni adoratione duplex actus exigitur internus; primus dicitur actum intellectus; secundus voluntatis: ex parte prioris importatur iudicium speculativum de excellentia alterius; et iudicium practicum, honestum esse, nos illi submitti propter excellentiam suam, et nostram respectu ejus inferioritatem: ex parte alterius importatur imperium se demittendi ob superiorem illam in altero excellentiam. Unde demum existit executio ipsa; quæ non debet esse necessario semper actus externus corporis, v. g. se inclinantis; sed esse potest actus solus interior: ut actus fidei, spei, charitatis.

*Quæritur* nunc: utrum Christus, non qua Deus tantum, ut per se patet; sed et quæ homo religionis cultu adorari debeat?

487. Dico. Christus homo in utraque natura, divina et humana, subsistens, h. e. homo Deus; sive humana Christi natura Verbo hypostatice conjuncta, uno eodemque latrariæ actu absolute adorari debet, quo Verbi divinitas.

*Prob. I.* Ex S. SCRIPTURA, quæ, dum Christum adorandum docet, nunquam inter naturam divinam et humanam distinguit; sed semper adorationem terminat ad Christum utraque natura constantem. Joan. 5. 22. Neque Pater judicat quemquam; sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: sed Pater cultu latrariæ adorandus est; ergo. Ad Hebr. 1. 6. Et adorent eum omnes angeli Dei.

*Prob. II.* Ex CONCILIIIS ET SS. PATRIBUS. 1º. Concil. LATERANENSE sub MARTINO I. Secret. vel Consult. 4. Can. 9. (Lab. t. 6. p. 231. D.) ita definit: Si quis una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne non adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est; talis anathema sit. Idem definiit Syn. gen. VI. Can. 9. Ac Synodus gen. VII. Act. 6. docet, non esse humanitatem a divinitate separandam, cum adoratur Christus; sed utrumque ut unum latraria adorari.

2º. Ex SS. PATRIBUS. Rem creatam, ait ATHANAS. epist. ad Adelphium n. 3., non adoramus... Sed rerum creatarum Dominum, carnem factum, Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsim spectata, pars sit rerum creatarum; attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus; neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne removemus. S. AMBR. L. 3. de Spiritu sancto cap. 11. n. 79. Quam (Christi carnem) hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu... adorant... neque, cum adoratur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur. S. AUGUSTINUS Enarr. in. Ps. 98. n. 9.: Adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus; et dicit mihi Scriptura: Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic; et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus; suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambu-



lavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

Prob. III. RATIONE. 1°. Deus absolute adorandus est: sed juxta orthodoxam doctrinam de communicatione idiomatum in Christo, hic homo est Deus; ergo. 2°. Quia eodem cultu et actu coluntur, quæ sunt suppositi, quo colitur ipsum suppositum; ita enim dum sanctum colimus dulciæ cultu, ob excellentiam sanctitatis in ejus anima residentem, colitur totus secundum animam et corpus: sed humanitas in Christo est suppositi, sive Verbi incarnati, tanquam rei adoratæ; ergo.

Igitur in actu adorationis *personalitas* se habet ut *objectum primum*, et ut *objectum materiale simul et formale*; *humanitas* vero ut *objectum secundarium* et *materiale tantum*; motivum enim adorationis non est humanitas secundum se ipsam, sed divinitas, ut inquit S. DAMASCEN. L. 4. de Fid. orthod. c. 3. *Adoratur caro Christi in incarnato Verbo Deo, non propter se ipsam; sed propter unitum, secundum hypostasim, Verbum Dei.*

Dixi tamen in Concl. *natura humana Verbo hypostatice conjuncta*; humanitas enim Christi separata a Verbo, non est ita cultu latriæ adorabilis; quia spectata secundum se, ut præcisa a Verbo, cum sic non dicat ordinem ad Verbum, ac pura creatura sit; adorari eo cultu non debet, qui Deo convenit. Unde recte S. AUG. serm. 59. de Verb. Dom. (al. serm. 87.): *Si hominem (humanitatem) separaveris a Deo; neque illi credo, neque illi servio.* Nec refert, si sola mente separetur, ob easdem rationes. Hinc dum dicitur: *Christus qua homo est absolute adorandus; specificative sumi debet humanitas; non reduplicative, ut tō qua, vel in quantum, significet, humanitatem abstractam, et consideratam sine unione ad Verbum, esse rationem formalem adorandi.*

488. Obj. I. Adoratio latriæ debetur Deo soli: sed humanitas Christi non est Deus; ergo.

R. D. min. Humanitas Christi, sive homo, non est Deus, hypostatice unitus Verbo N. non est Deus a Verbo separatus et sejunctus C. Latriæ cultus soli Deo debetur, propter se et primario, ac tanquam motivo adorationis; hoc tamen non obstante, potest convenire alieui secundario, tanquam objecto terminativo, quod cum Verbo Deo unum est suppositum, ut in presenti, ubi vera est hæc propositio: *Hic homo est Deus.*

Inst. 1. Cum Nestorius diceret, hominem coadorari cum Deo; se omni modo opponebat S. CYRILL. ALEXANDR., inque eos anathema jaciebat, qui ita loquerentur; ut constat ex ejus anathematismo octavo; ergo.

R. D. Ant. Anathema jaciebat in eos, qui ita loquerentur ad sensum et mentem Nestorii C. secus N. Quo sensu Nestorius dixerit, hominem assumptum cum Deo Verbo adorandum, illudque negavit S. CYRILLUS, jam expositum vide in Procem. n. 2.

Inst. 2. Nequit humanitas eodem amore amari super omnia, quo Christus; ergo nec eodem actu adorari.

R. D. Ant. Nequit eodem amore amari super omnia primario, ac tanquam objectum materiale et formale simul C. secundario, ac tanquam obje-

ctum materiale tantum N. Sicut adorari eam diximus; sic amari potest. Nec inde sequitur adorari eam per accidens, et non per se; nam totum, Christus, adoratur per se; ergo et humanitas, pars hujus totius.

Inst. 3. Hæc adoratio humanitatis Christi, non est absoluta; ergo respectiva, et per accidens. Prob. Ant. Hæc adoratio dicit respectum ad aliud, scilicet Verbum unitum; ergo.

R. N. Ant. Nam proprie respectiva est, quando unum *suppositum* adoratur ob excellentiam alterius *suppositi*; sic respective adoratur crux Christi, imagines Christi; quia motivum hæc adorandi non est in cruce, et imagine; sed extra illa in prototipo. Sed motivum adorandi humanitatem Christi est ipsius Verbi excellentia humanitati unita.

Ad prob. R. D. Hæc adoratio dicit purum respectum ad aliud N. dicit respectum, et simul unionem intrinsecam cum excellentia personæ, quæ videlicet est ratio adorandi C.

489. Obj. II. Humanitas Christi non est æqualis excellentiæ cum Verbo; ergo nec adoratione eadem cum illo adoranda.

R. D. Cons. Nec adoratione eadem, quæ respiciat eodem modo humanitatem et Verbum C. modo diverso, nimirum Verbum, ut objectum materiale et etiam formale, sive motivum adorandi; humanitatem vero, ut materiale tantum, ac adorationis præcise terminum N.

## ARTICULUS II.

AN, ET QUO CULTU LICITUM SIT SANCTOS COLERE? RECTENE ITEM AC UTILITER INVOCENTUR?

Non quærimus hic *de cultu civili*, cum prudentiores e protestantibus hunc non negent; sed *de religioso, seu sacro*; eoque non latriæ, quæ est suprema religiosa adoratio, soli Deo debita, dicens servitutem perfectam, proindeque nulli creaturæ puræ communicabilis; sed de longe inferiori, quem *duliam* diximus.

490. Dico I. Pie ac licite coluntur sancti, cultu religioso dulciæ. Est dogma catholicum et fidei, contra nostri ævi sectarios, eorumque majores, *Manichæos, Vigilantium*, etc. jam olim a tota damnata Ecclesia.

Prob. I. Ex SCRIPTURA: exemplo Patriarcharum, aliorumque Testamenti veteris. Nam 1°. Gen. 19. 1. *Venerunt duo angeli Sodomam..... et Loth..... ivit obviam eis; adoravitque pronus in terram; et dixit: obsecro, domini, etc.* 2°. Josue 5. v. 13. cum sub habitu viri latentem angelum cognovisset Josue, *cecidit pronus in terram, et adorans ait, etc.* Num. 21. Balaam, viso (Angelo stante in via) *adoravit eum pronus in terram: sed adoratio hæc non fuit latriæ; hanc enim angeli non permisissent; ergo inferioris fuit ordinis, non mere civilis, quæ etiam malis impenditur (et sane ridiculum foret dicere, angelis deberi honorem civilem); ergo sacra. Par vero est ratio de sanctis in cælo regnantibus, quæ de angelis.*

Nec refert, quod Apoc. 19. et 22. angelus delatum sibi a S. Joanne



lavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

Prob. III. RATIONE. 1º. Deus absolute adorandus est: sed juxta orthodoxam doctrinam de communicatione idiomatum in Christo, hic homo est Deus; ergo. 2º. Quia eodem cultu et actu coluntur, quæ sunt suppositi, quo colitur ipsum suppositum; ita enim dum sanctum colimus dulciæ cultu, ob excellentiam sanctitatis in ejus anima residentem, colitur totus secundum animam et corpus: sed humanitas in Christo est suppositi, sive Verbi incarnati, tanquam rei adoratæ; ergo.

Igitur in actu adorationis *personalitas* se habet ut *objectum primum*, et ut *objectum materiale simul et formale*; *humanitas* vero ut *objectum secundarium* et *materiale tantum*; motivum enim adorationis non est humanitas secundum se ipsam, sed divinitas, ut inquit S. DAMASCEN. L. 4. de Fid. orthod. c. 3. Adoratur caro Christi in incarnato Verbo Deo, non propter se ipsam; sed propter unitum, secundum hypostasim, Verbum Dei.

Dixi tamen in Concl. *natura humana Verbo hypostatice conjuncta*; humanitas enim Christi separata a Verbo, non est ita cultu patriæ adorabilis; quia spectata secundum se, ut præcisa a Verbo, cum sic non dicat ordinem ad Verbum, ac pura creatura sit; adorari eo cultu non debet, qui Deo convenit. Unde recte S. AUG. serm. 59. de Verb. Dom. (al. serm. 87.): Si hominem (humanitatem) separaveris a Deo; neque illi credo, neque illi servio. Nec refert, si sola mente separetur, ob easdem rationes. Hinc dum dicitur: Christus qua homo est absolute adorandus; *specificative* sumi debet humanitas; non *reduplicative*, ut *pro qua*, vel *in quantum*, significet, humanitatem abstractam, et consideratam sine unione ad Verbum, esse rationem formalem adorandi.

488. Obj. I. Adoratio patriæ debetur Deo soli: sed humanitas Christi non est Deus; ergo.

R. D. min. Humanitas Christi, sive homo, non est Deus, hypostatice unitus Verbo N. non est Deus a Verbo separatus et sejunctus C. Patriæ cultus soli Deo debetur, propter se et primario, ac tanquam motivo adorationis; hoc tamen non obstante, potest convenire alieui secundario, tanquam objecto terminativo, quod cum Verbo Deo unum est suppositum, ut in presenti, ubi vera est hæc propositio: *Hic homo est Deus*.

Inst. 1. Cum Nestorius diceret, hominem coadorari cum Deo; se omni modo opponebat S. CYRILL. ALEXANDR., inque eos anathema jaciebat, qui ita loquerentur; ut constat ex ejus anathematismo octavo; ergo.

R. D. Ant. Anathema jaciebat in eos, qui ita loquerentur ad sensum et mentem Nestorii C. secus N. Quo sensu Nestorius dixerit, hominem assumptum cum Deo Verbo adorandum, illudque negavit S. CYRILLUS, jam expositum vide in Procem. n. 2.

Inst. 2. Nequit humanitas eodem amore amari super omnia, quo Christus; ergo nec eodem actu adorari.

R. D. Ant. Nequit eodem amore amari super omnia primario, ac tanquam objectum materiale et formale simul C. secundario, ac tanquam obje-

ctum materiale tantum N. Sicut adorari eam diximus; sic amari potest. Nec inde sequitur adorari eam per accidens, et non per se; nam totum, Christus, adoratur per se; ergo et humanitas, pars hujus totius.

Inst. 3. Hæc adoratio humanitatis Christi, non est absoluta; ergo respectiva, et per accidens. Prob. Ant. Hæc adoratio dicit respectum ad aliud, scilicet Verbum unitum; ergo.

R. N. Ant. Nam proprie respectiva est, quando unum *suppositum* adoratur ob excellentiam alterius *suppositi*; sic respective adoratur crux Christi, imagines Christi; quia motivum hæc adorandi non est in cruce, et imagine; sed extra illa in prototipo. Sed motivum adorandi humanitatem Christi est ipsius Verbi excellentia humanitati unita.

Ad prob. R. D. Hæc adoratio dicit purum respectum ad aliud N. dicit respectum, et simul unionem intrinsecam cum excellentia personæ, quæ videlicet est ratio adorandi C.

489. Obj. II. Humanitas Christi non est æqualis excellentiæ cum Verbo; ergo nec adoratione eadem cum illo adoranda.

R. D. Cons. Nec adoratione eadem, quæ respiciat eodem modo humanitatem et Verbum C. modo diverso, nimirum Verbum, ut objectum materiale et etiam formale, sive motivum adorandi; humanitatem vero, ut materiale tantum, ac adorationis præcise terminum N.

## ARTICULUS II.

AN, ET QUO CULTU LICITUM SIT SANCTOS COLERE? RECTENE ITEM AC UTILITER INVOCENTUR?

Non quærimus hic *de cultu civili*, cum prudentiores e protestantibus hunc non negent; sed *de religioso, seu sacro*; eoque non patriæ, quæ est suprema religiosa adoratio, soli Deo debita, dicens servitutem perfectam, proindeque nulli creaturæ puræ communicabilis; sed de longe inferiori, quem *duliam* diximus.

490. Dico I. Pie ac licite coluntur sancti, cultu religioso dulciæ. Est dogma catholicum et fidei, contra nostri ævi sectarios, eorumque majores, Manichæos, Vigilantium, etc. jam olim a tota damnata Ecclesia.

Prob. I. Ex SCRIPTURA: exemplo Patriarcharum, aliorumque Testamenti veteris. Nam 1º. Gen. 19. 1. Venerunt duo angeli Sodomam..... et Loth..... ivit obviam eis; adoravitque pronus in terram; et dixit: obsecro, domini, etc. 2º. Josue 5. v. 13. cum sub habitu viri latentem angelum cognovisset Josue, cecidit pronus in terram, et adorans ait, etc. Num. 21. Balaam, viso (Angelo stante in via) adoravit eum pronus in terram: sed adoratio hæc non fuit patriæ; hanc enim angeli non permisissent; ergo inferioris fuit ordinis, non mere civilis, quæ etiam malis impenditur (et sane ridiculum foret dicere, angelis deberi honorem civilem); ergo sacra. Par vero est ratio de sanctis in coelo regnantibus, quæ de angelis.

Nec refert, quod Apoc. 19. et 22. angelus delatum sibi a S. Joanne



honorem acceplare noluerit; non enim hunc respuit ut sacrilegum, vel illicitum; quis enim ausit dicere, S. Joannem contaminare se voluisse peccato sacrilegii? sed ex modestia et observantia in tantum virum, etsi conditione naturæ minorem: sanctitate tamen, dignitate Apostolatus, martyrii gloria sibi parem, si non majorem.

*Prob. II.* Ex perpetua TRADITIONE ECCLESIE. Nam festos dies in honorem martyrum jam seculo II. institutos fuisse, Ecclesia Smyrnensis testis est: Nos, inquit, epist. de martyr. S. Polycarpi c. 18. (Apostolic. PP. oper.), postea ossa illius, gemmis pretiosissimis exquisitiora et super aurum probatiora, tollentes, ubi decebat deposuimus. Quo etiam loci nobis, ut fieri poterit, in exultatione et gaudio congregatis, Dominus præbebit natalem martyrii ejus diem celebrare.

SEculo III. TERTULLIANUS de corona c. 3. Oblationes..... pro natalitiis annua die facimus. CYPRIANUS epist. 34. n. 3. Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus. Quin Manichæi ipsi usitati tum in Ecclesia sanctorum cultus testes sunt; cum male Catholicis objicerent, teste Aug. contr. Faust. L. 20. c. 21., quod pro diis gentium martyres inve xissent.

SEculo IV. Concil. LAODICENUM circa ann. 370. can. 51. (Labb. t. 1. p. 1506.) : Non oportet in quadragesima martyrum natales peragere, sed sanctorum martyrum facere commemorationes in sabbatis et Dominicis. S. GREGORIUS Nazianzenus orat. 15. in Machab. n. 1. : Quid autem Machabæi? Horum enim nomine diem hunc festum agitamur. Et orat. 24. in S. CYPRIAN. n. 1. : Cyprianus fere nos effugit: o ingens damnum! Idque vos passi estis qui eum omnium maxime suspicatis, annuisque honoribus ac publicis conventibus celebratis. S. AMBROSIIUS de Virginit. c. 19. n. 124. Dies factus est Petrus, dies Paulus, ideoque hodie natali eorum Spiritus sanctus increpuit dicens: Dies diei eructat verbum, hoc est, ex intimo thesauro cordis fidem prædicant Christi..... et fortasse in caelo hodie de nobis Christi et Petri iste sit sermo, Quotidie piscatur Petrus, quotidie ei dicit Dominus: Duo in altum. Videor mihi audire dicentem Petrum: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus; nox fuit, pauciores ad vigiliis convenerunt. Laborat in nobis Petrus, quando nostra laborat devotio. Et paulo infra jejunium diei SS. Apostolorum Petri et Pauli festo præmissum commemorat.

SEculo V. S. HIERONYMUS epist. ad Riparium 109. n. 1. Ais Vigilantium, qui κατ' ἀντιπασι hoc vocatur nomine (nam Dormitantius rectius diceretur), os fetidum rursus aperire et putorem spurcissimum contra SS. Martyrum proferre reliquias, et nos qui eas suscipimus appellare cinerarios et idololatrias, qui mortuorum ossa veneremur..... Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum, cujus sunt martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. S. AUG. L. 20. cont. Faustum Manich. c. 21. Populus Christianus, ait, memorias martyrum religiosa solemnitate celebrat. Porro abundant eam in rem testimoniis PRUDENTIUS, CHRYSOST. alii- que. De posterioribus vero seculis non est, quod laboremus, quod illis viguisse sanctorum cultum, nec adversarii inficientur.

*Prob. III.* RATIONE. Sicut rejici non potest cultus politicus, quo prosequimur viros principes, reges, etc.; sic multo minus rejici potest cultus sacer, qui sanctis defertur; si enim ratio sit colendi politice principes, etc.; conspicua eorum potestas, præ eminentia, etc.; multo magis urgere debent,

ad colendos sanctos cultu sacro, eorum excellentia sacra, amicitia cum Deo inamissibilis, eximia merita, constantia in fide, ardor charitatis, donaque cœlestia alia ipsis a Deo collata.

491. *Dico II.* Cultus ille religiosus, quem Catholici sanctis, cum Deo in cœlo regnantibus, deferunt, omni idololatriæ specie, ac umbra caret.

*Prob.* Quia cultus duliæ, quem solum sanctis deferunt Catholici, licet sit major cultu civili; est tamen longe inferior illo latriæ ac supremo, quem soli Deo debemus, differtque ab hoc plurimum; latria enim est summa voluntatis subjectio ac inclinatio cum apprehensione Dei, tanquam principii primi omnium, et finis ultimi, adeoque summi boni; qualis adoratio Deo soli convenit. At cultus sanctorum, *dulia*, est quædam inclinatio voluntatis ex apprehensione excellentiæ in ipsis, majoris quidem civili; sed infinite minoris divina, scilicet dignitatis, et sanctitatis supernaturalis creatæ; nec actus internus in illos tendit, ut Deos, sed *ut amicos Dei*, etc.; ergo idololatriæ incusari nequit; hæc enim, ut omnes norunt, tunc solum committitur; cum cultus soli Deo debitus, aliis extra Deum tribuitur, in quibus nobis Deum proponimus, vel fingimus. At quis Catholicorum in sanctis sibi Deum proponit, vel fugit, indeque movetur ad præstandam illis supremam illam subjectionem Deo debitam? Summam igitur imperitiam suam probant, qui idololatriæ crimen hic Catholicis objiciunt: vel malitiam extremam. Rationem hanc illustratam vid. in Obj.

492. *Dico III.* Pie etiam et utiliter sancti, sive angeli, sive homines, a viventibus nobis invocantur. Ita definiit TRIDENTIN. Sess. 23.

*Prob. I.* EX SCRIPTURA. Gen. 48. 16. Jacob benedicens filiis Joseph, *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hic vero aperte Jacob angelum invocavit. Job. 5. 1. *Voca, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere;* ubi sanctorum nomine angelos intelligit, inquit S. AUG. in Annotat. in Job. Etsi vero verba hæc non sint ipsius Scriptoris sacri, sed Eliphaz amici Job; convincunt tamen ideo, quia tunc consuetudinem fuisse invocandi patrocini angelorum demonstrant.

*Respondent Adversarii:* hæc dici de angelis, qui ad nos missi a Deo gerunt curam nostri, proinde percipere preces nostras possunt; at aliud est de hominibus mortuis, qui nihil noverunt amplius. Eccl. 9.

Verum contra est 1º. quod igitur saltem sine superstitione possint invocari angeli. 2º. Angeli nec semper cuilibet presentes adsunt; nec, si adsint, naturaliter videre possunt interiora animi ac secreta cordis, vota, preces mentis, quas tamen Deo sistunt, Tob. 12., Apoc. 8. Si igitur Deus angelis patefacit, quæ remota sunt, reseratque, quæ secreta sunt animi; cur non et Beatis? inquit Hieron. cont. Vigilant., Aug. L. 22. de Civ. Sic 2. Par. 21. Elias post discessum corripuit Joram. 2. Mach. 15. Jeremias et Onias orant pro Judæis persecutione oppressis; quomodo prior absens, alter mortuus ea novit?

*Prob. II.* IN SCRIPTURA sæpe legimus vivos invocatos fuisse a viventibus. 1. Reg. 7. 8. *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum.* Job. ult. v. 8. *Ite ad servum meum Job, et... servus meus orabit pro vobis.* Ad Rom. 15. ait S. Paulus: *Obsecro vos, fratres... ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad*



Deum. Idem repetit frequenter alibi, ad Eph. 6. etc; ergo etiam licebit, nunc invocare sanctos eosdem cum Christo regnantes. *Prob. Cons.* Nam si nunc non licet; ergo vel quia nolunt: sed hoc non, ulpote majore nunc charitate præditi, ideoque de sua incolumitate securi, ut ait S. CYPRIAN. de Mortalit. c. 26. et adhuc de nostra salute solliciti: vel quia non possunt; sed et hoc falsum; si enim poterant hic, cum essent peregrini, quanto magis poterunt nunc in cælo? Vel, quod nesciant quid oremus; neque hoc dici potest; unde enim sciunt angeli conversionem peccatorum, Luc. 15. et arcana alia, de quibus ante; inde etiam preces nostras scire possunt. Vel denique, quod fiat Deo, aut Christo injuria, si alius, quam ipse, invocetur; sed etiam hoc non; alioquin nec viventes, imo minus, invocare liceret.

*Prob. III. Ex CONCILIIIS et SS. PATRIBUS, unde perpetua constat Ecclesiæ traditio. Sic Act. 11. CONC. CHALCED. (Lab. t. 4. p. 697.) dicunt Patres: Flavianus post mortem vivit; Martyr pro nobis oret. In Syn. gen. VI. c. 7. ex canonibus recens editis dicitur (Lab. t. 6. p. 1206. D.): Solo Deo creatore adorato, invocet Christianus Sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem divinam dignentur. Syn. gen. VII. Act. 6. (Lab. t. 7. p. 542. D. E.): Cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessionem incontaminatæ Deiparæ, item sanctorum angelorum, omniumque sanctorum.*

EX SS. PATRIBUS. IRENEUS L. 5. cont. hæf. c. 19. n. 1. *Quemadmodum enim illa (Eva) per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum... ita et hæc (Maria) per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum... Et si ea inobedierat Deo; sed hæc suasa est obedire Deo, ut virginis Evæ Virgo Maria feret advocata.*

ORIGENES hom. 26. in num. 6. (opp. t. 2. p. 373. B.). *Quis enim dubitat quod sancti quique Patrum, et orationibus nos juvent, et gestorum suorum confirmant atque hortentur exemplis?*

EUSEB. L. 13. Præpar. Evang. c. 11. (opp. p. 663. B.): *Hæc in hominum Deo carissimorum obitus egregie conveniunt, quos vere pietatis milites appellaris; nam et eorum sepulcra celebrare, et preces ibi vota que nuncupare, et beatas illorum animas venerari consuevimus, idque a nobis merito fieri statuimus.*

S. ATHAN. serm. in Annunt. n. 14. (opp. t. 2.): *Inclina aurem tuam (Maria) in preces nostras; et ne obliviscaris populi tui. Ac infra n. 15. intercede hera, et domina, et regina, et Mater Dei pro nobis.*

S. CYRIL. Hieros. catech. 23. n. 9. *Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt: primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum; ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat.*

S. AMBROSIIUS L. de Viduis c. 9. n. 54. *Magnis tenebatur febribus, et rogaverunt illum pro ea. Et tu habes proximos qui pro te supplicent; habes Apostolos proximos, habes Martyres proximos. Plura cupienti ex omni seculo BELLARMINUS dabit, Controv. 4. L. 1. c. 19.*

493. *Obj. I. Ex S. SCRIPT. Deut. 6. 13. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. Matth. 4. 10. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. 1. ad Tim. 1. 17. Soli Deo honor et gloria.*

Ad 1<sup>am</sup>. R. D. Illi soli servies servitute, quæ convenit Deo soli C. secus N. Nam in græco est λατρεύσεις. Unde Aug. Quæst. 61. in Gen. notat, ideo non

esse dictum: *solum Deum adorabis, et illi soli servies; sed Deum adorabis, et illi soli servies; adoratio enim ex genere suo etiam creaturis tribuitur in ipsa Scriptura sacra, non autem servitus patriæ. Quin etiamsi legeretur: illi soli δουλεύσεις; eodem modo exponi deberet: scilicet illi soli servies certo quodam genere servitutis, patriæ; non autem absolute illi soli; alioquin præcepto eo prohibita dicere oporteret quamcumque servitutem aliam inferioris ordinis: quod ipsi adversatur Scripturæ; nam, non obstante præcepto illo, Gen. 27. 29. Jacobo ab Isaaco dicitur: Serviant tibi populi; et adrent te tribus... et incurventur ante te filii matris tuæ. Sicut ergo, dum 1. ad Tim. 6. dicitur de Deo: Qui solus habet immortalitatem, sensus est, solum Deum esse immortalem certo genere, quin propterea negetur, etiam angelos et animas esse immortales suo quodam modo; sic dum dicitur: illi soli servies, similem habet sensum.*

Ad 2<sup>am</sup>. *Eadem est responsio.*

Ad 3<sup>am</sup>. R. Hoc similiter intelligendum de certo honore et gloria, qualis soli Deo competit; non autem absolute soli; nam nihilominus ad Rom. 2. dicitur: *Gloria et honor omni operanti bonum.*

Inst. 1. Media illa species cultus, quem *duliam* dicimus Catholicis, fingitur gratis; ergo. *Prob.* Non datur species alia cultus, quam civilis et religiosi; ad neutrum vero reduci potest: non ad civilem, ut per se constat; cum angeli et sancti civiliter nobiscum non versentur: non ad religiosum; religio enim Dei cultum unice respicit; ergo sanctis sine idololatria tribui non potest.

R. N. Ant. Nam motivum cultus generatim est alterius excellentia; ergo, sicut excellentia increata ac infinita Dei fundat cultum supremum soli Deo debitum, et excellentia præcise humana cultum civilem; sic specialis et media quædam excellentia in sanctis cultum medium, inter supremum illum soli Deo debitum, et inter civilem humanum: excellentia enim in sanctis, utpote creata, longe minor est divina; superior tamen humana sive naturali: excellentia enim sanctorum sunt dona eorum supernaturalia, gratia, gloria; cui proin excellentiæ mediæ medius pariter cultus respondet, ac tertia species, quam *duliam* dicimus.

Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. reduci ad religiosum, esseque virtutis religionis, non primario; sed secundario.

Ad prob. ult. R. D. Ant. Religio Dei cultum unice respicit saltem ultimo C. ita unice, ut nec secundario alium respiciat, qui et ultimo in Deum tendit N. Alii cultum *duliam* aiunt esse religionis improprie talis; quia non immediate et primario, sed mediata solum et ultimo in Deum tendit. Sed hæc his vocabularia potius est. Cumque Ecclesia non definierit, sanctos esse religionem colendos; sed mera sit quæstio scholæ: an cultus, qui sanctis impenditur, religionis sit, an virtutis alterius? adversarii ex eo capite schisma facere non debuerant.

Inst. 2. Ineptum est, sanctos coli cultu religionis et non patriæ; nam cum patriæ significet cultum, colere sine patriæ, est colere sine cultu. Ita Calvin. Deinde plus est *dulia*, quam patriæ; nam δουλεύειν est *servire*; λατρεύειν, *colere*; plus autem est servire, quam colere; nam amicos colimus, sed dominis servimus.

R. N. Ant. Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. Colere sine patriæ non esse colere sine cultu



simpliciter, sed sine tali cultu; nam et S. Aug. qui tamen non erat ineptus, L. 20. cont. Faust. c. 21. sanctos coli dicit, et sine latria: *Colimus Martyres... At illo cultu, qui græce λατρεία dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.*

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. N. Duliam esse plus quam latriam. Nam a scriptoribus profanis quidem non raro pro eodem sumitur: ex Scripturæ vero et Ecclesiæ usu latria longe quid majus est, quam dulia: ac latria non quilibet cultus est; sed cultus *servitutis summæ: dulia vero servitutis cujuslibet, etiam imperfectæ, et pro hac sumit Ecclesia; at Ecclesia latriam pro cultu creaturis communi usurpat omnino nunquam.* Nec propterea reprehendi potest: si enim licuit Ecclesiæ antiquæ contra hæreticos veteres nova invenire ac adhibere vocabula, ut *δυσωβιστος*, etc., quidni licebit Ecclesiæ posterioribus temporibus, contra Novatores alios ac novos, nova vocabula vel invenire, vel certe vocabulis in alia significatione uti?

494. Obj. II. Ad Col. 2. 18. *Nemo, ait Apostolus, vos seducat, volens in humilitate, et religione angelorum, quæ non vidit ambulans; ergo.*

Conf. 1. Ex Conc. LAODICENO, quod angelorum cultum damnat Can. 35. (Labb. t. p. 1503. A.): *Quod non oportet Christianos, relicta Dei Ecclesiæ, abire, et angelos nominare, vel congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, sit anathema.*

Conf. 2. Ex THEODORETO, qui ad cit. loc. Apostoli inquit (opp. t. 3. p. 355. B.): *Qui Legem defendebant, eos etiam ad angelos colendos inducebant, dicentes Legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygiâ et Pisidiâ; proinde Synodus, quæ convenit apud Laodiceam, lege prohibuit, ne precarentur angelos. Et in hodiernum usque diem oratoria S. Michaelis apud illos, illorumque finitimos videre est.*

Conf. 3. Ex PATRIBUS aliis. S. EPIPHAN. hæret. 78. rejicit cultum B. Virginis deferri tunc solitum. S. ATHANAS. orat. 2. cont. Ariam. n. 21. 23. 24. neque angelos, neque creaturam ullam adorari vult. S. AMBR. in cap. 1. ad Rom. v. 22. (opp. t. 2. part. 2<sup>a</sup>. p. 33.) reprehendit eos, qui consertos adorant. S. AUG. L. de vera Relig. c. 55. n. 108. *Non sit nobis, inquit, religio cultus hominum mortuorum: quia si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales querant honores.*

R. Explico cum Dist. Ant. In religione angelorum, illa supersticiosa, quam asserebat hæreticorum patriarcha Simon magus C. secus N. Tam Apostolus, quam Laodicensis Synodus damnant hæresin Simonis magi; qui Platonicos secutus, angelos docebat adorandos velut minores Deos: ut qui fabricassent mundum, ac locuti essent per Prophetas; ac sine quibus homo nec placare posset Deum, nec ab eo petere quidquam; ac impetrare, intelligens quidem angelos malos. Unde et eos hic reprehendi, ait Hieron. epist. 121. quæst. 10. ad Algasiam (opp. t. 4. p. 881.), *qui sacrificabant angelis.* Exiitisse hujus sectæ homines etiam diu post Simonis magi tempora, qui proinde Angelici dicti, testis est EPIPHAN. hæret. 39. Hancque fuisse Platoniorum doctrinam, iterum Aug. refert L. 8. de Civ. c. 22. Item L. 9. c. 1. Ubi de illis tradit, quod *dæmones eosdem angelos inter homines et deos ita medios constitutos putant, tanquam nullus Deus homini misceatur, ut hinc perferant deside-*

tata; inde referant impetrata. Atque hoc Platonici præcipui philosophorum ac nobilissimi sentiunt.

Porro hunc et Apostoli et Laodicensis Synodi scopum esse, ex ipso THEODORETO cit. liquet, dum immediate subdit: *Illi ergo, humilitate nimirum ducti, hoc fieri suadebant, dicentes, universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendere posse; et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare;* ergo de angelis illis mediis cit. loc. sermo fuit. Hinc illud THEODORETI de oratoris S. Michaelis eodem modo intelligi debet, quod in illis S. Michaeli sacrificarint. Vel quod significare voluerit, templa ab hæreticis exstructa ad sacrificandum angelis esse a Catholicis mutata in oratoria S. Michaelis, exque numero eorum colligi, quantum grassata ibi sit olim hæresis Simonis magi. Hinc patet *Responsio ad Conf. 1<sup>am</sup>. et 2<sup>am</sup>.*

Ad Conf. 3<sup>am</sup>. R. Singulos hosce Patres contra cultum superstitiosum ita loqui. Nam S. EPIPHANIUS quidem cultum duntaxat *Collyridianorum*, quorum ibi hæresin describit, rejicit; hi vero B. Virginem colebant ut Deam, inque ejus honorem collyridem, sive tortam panis, offerebant per mulieres, his sacrificandi munus, sacerdotio proprium, deferentes. Metuens vero EPIPHAN., ne hac occasione nullus deferretur cultus B. Virgini, sæpissime repetit ista: *Honoretur Maria; Dominus adoretur.*

Sic et S. ATHANASII mens ex ejus verbis supra (n. 492.) citatis clare perspicitur. In textu vero, quem opponunt adversarii, unum duntaxat prohibet S. Pater, ne videlicet cultus soli Deo, qua Deus est, seu latriæ, angelis aut rei creatæ exhibeatur.

S. AMBROSIIUS, vel auctor, quicumque sit, hujusce expositionis epist. ad Rom., cultum superstitiosum solummodo rejicit. Quænam autem veri Ambrosii fuerit in præsentis quæstione sententia, nemo est qui ambigere possit. Nam præter ea quæ ex L. de Viduis supra (n. 492.) adduximus, ibid. c. 9. n. 55. ait S. Doctor: *Obsecrandi sunt angeli... martyres obsecrandi... non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere.*

S. AUGUSTINUS negat mortuos impendendam religionem superstitiosam, ad sensum gentilium et Platoniorum, mortuos etiam summis et divinis honoribus colentium, quod putarent, ut tradidit PLATO L. 11. de Legib., *mortuorum animas post hanc vitam obtinere vim quamdam, qua rerum humanarum curam gererent.* De AUGUSTINI enim mente orthodoxa dubium esse non potest, ut qui pro cultu sanctorum contra Manichæos, præsertim Faustum, prolixas disputationes susecepit, L. 20. cont. Faust. c. 21.; ac contra paganos defendit, L. 8. de Civ. c. 26.

495. Obj. III. Quatuor saltem prioribus seculis Ecclesia non extruxit sanctis, vel martyribus templa et altaria; neque eos invocabat in sacrificio, teste Aug. L. 22. de Civ. c. 10. *Nos martyribus nostris non templa fabricamus nec erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus; nec a sacerdote, qui sacrificat, invocantur;* ergo, cum hæc jam faciat Romana Ecclesia, prolapsa est in idololatriam.

R. D. Ant. Non extruxit templa et altaria martyribus, ut illis sacrificaret, eosque invocaret, tanquam auctores omnis boni, vel ut summum bonum C. non extruxit templa et altaria in eorum memoriam N. Hinc addit Aug. in quibus ipsis sacrificemus. At alio sensu revera Ecclesiam extruxisse



templa et aras S. Aug. clare hoc ipso loco tradit. *Nos martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis... fabricamus... Deo quippe, non ipsis, sacrificat* (sacerdos), *quamvis in memoria sacrificet eorum; quia Dei sacerdos est, non illorum.* Et L. 20. cont. Faust. c. 21., qui idem objecerat AUGUSTINO, quod modo nobis adversarii. *Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane?* Quod Aug. hoc loco Manichæis respondit contra eorum calumnias, nihil in cultu sanctorum idololatriæ inesse; idem sibi responsum ferant adversarii, desinantque imperitæ suæ plebi imponere; quod enim AUGUSTINI tempore, idem hodie, observat Ecclesia. Cæterum dum S. Aug. negat in sacrificio *invocari* sanctos, sciendum, quod S. AUGUSTINO invocare sit idem, ac *Deum vocare in se*; sic enim verbum invocare communiter sumit, in Ps. 30. 74. 85. et plerumque alias.

496. Sed, *inquies*, Ecclesia Romana moderna a prisca Ecclesia degeneravit, ac sanctorum cultum cum divino permiscet; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1<sup>o</sup>. nunc solemnem adhibet canonizationem: sed hæc est species apotheosis priscae gentilium. 2<sup>o</sup>. Erigit sanctorum statuas, accensis circumquaque luminibus; coram illis vult caput detegi, inclinari corpus, et similia præstari obsequia: qui honores divini sunt; ergo merito omnis sanctorum cultus damnatus est a Reformatöribus ultimis.

R. N. *Ant.* Hic de adversariis nostris dixeris notum illud: *quod ignorant, blasphemant.* Nam

*Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. Nihil prorsus commune habet, cum prisca apotheosis gentilium, usitata nunc in Ecclesia canonizatio. Apotheosis gentilium erat, mortuorum hominum, a factis, vel meritis re, vel sigmento illustrium, inter deos translatio, ita ut haberentur pro diis, iisque qua diis cultus deferretur. At canonizatio in Ecclesia Romana nihil est aliud, quam publicum Ecclesiæ testimonium, post diuturnam ac rigidissimam inquisitionem, de vera sanctitate, ac gloria alicujus hominis jam defuncti; ac simul est iudicium et sententia, qua ei decernuntur honores illi, qui debentur illis, qui cum Deo feliciter regnant: qui non sunt divini honores; sed sunt sequentes:

Scilicet 1<sup>o</sup>. inscribuntur sanctorum catalogo, h. e. præcipitur ut ab omnibus habeantur sancti. 2<sup>o</sup>. Invocari possunt, et invocantur in publicis Ecclesiæ precibus. 3<sup>o</sup>. Templa et aræ *in eorum memoriam* dicantur Deo. 4<sup>o</sup>. Sacrificia tam Eucharistiæ, quam laudum, sive sic dictæ horæ canonicæ, in honorem eorum *offeruntur Deo*. 5<sup>o</sup>. Dies festi in eorum memoriam celebrantur. 6<sup>o</sup>. Pinguntur eorum imagines, addito quodam lumine in signum gloriæ, quam consecuti sunt in cælo. 7<sup>o</sup>. Eorum reliquiæ publice honorantur.

Hæc vero canonizatio non modo nihil idololatriæ redolet; sed S. Scripturæ conformis, ac utilis est. Nam 1<sup>o</sup>. Deus ipse voluit a Scriptoribus sacris notari gloriosam vitam et mortem eorum, qui tempore ipsorum floruerunt, ut patet de Ecclesiastico c. 44. quasi canonizante plures: item S. Luca declarante sanctitatem S. STEPHANI, JACOBI MAJORIS, etc., in Act. Apost. 2<sup>o</sup>. Deus

vult Sanctorum virorum asservari memoriam Eccl. 44. 15. *Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.* Ipsemet item servos suos honorare decrevit 1. Reg. 2. 30. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* 3<sup>o</sup>. Sancti sunt exempla virtutum, norma rectæ vitæ, provocant ad imitationem; igitur scire convenit in particulari, qui sancti sint, quid egerint, passique fuerint; hoc habetur per canonizationem. Plura de his legant adversarii tum in BELLARM. *de Sanctor. beatit.*, tum in recentiori opere PROSPERI de LAMBERTINIS Cardin. ac postea summi Pontificis sub nomine BENEDICTI XIV. *de Beatificat. Servorum Dei.* Opinor, erroneas ideas de canonizatione Sanctorum deponent.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* R. N. Cumprimis hos honores divinos esse; nam honoratio omnis ac in genere, tribus perficitur actibus; ut obiter supra notavimus. Primus est intellectus apprehendentis excellentiam personæ. Alter voluntatis, quæ se inclinât, ac subjicit. Tertius est externus corporis, ut laudatio, detectio, inclinatio capitis, etc., quibus exprimitur actus interior. Primus requiritur tantum tanquam prævium quid; ut enim quis prudenter colat alterum, eum esse honore dignum, scire debet. Tertius non est absolute necessarius, ut dictum. Igitur honoratio consistit maxime in actu illo voluntatis.

Hinc jam se pandit *discrimen* inter honores divinos, et non divinos; sive *latriam* et *duliam*. In cultu enim latriæ 1<sup>o</sup>. intellectus attingit Deum, ut principium, auctorem omnium, ipsorumque sanctorum; ut Dominum supremum, finem ultimum; verbo, excellentiam divinam; ideoque 2<sup>o</sup>. voluntas se ei plene subjicit; unde 3<sup>o</sup>. et corpus hujus summæ prostrationis internæ ponit signa exterius: laudat, se inclinât, flecit genu, etc. Hæc signa licet ex se indifferentia sint ad cultum latriæ, et duliæ; namque usque adeo in cultu politico serviunt erga principes; hic tamen per illos actus internos intellectus ac voluntatis determinantur ad latriam, evaduntque honores divini.

At quoad sanctorum cultum, intellectus 1<sup>o</sup>. eos repræsentat, non ut auctores rerum, etc. sed ut Dei servos, et amicos, supernaturalibus donis a Deo ornatos; hinc 2<sup>o</sup>. voluntas ab illa eorum excellentia movetur, propterque Deum se demittit, iis reverentiam exhibendo; ac 3<sup>o</sup>. corpus signa externa reverentiæ ponit, non jam ex se determinata ad latriam, ut sacrificium; sed omni alias honorationi, etiam politice, communia, ut sunt detectio capitis, genuflexio, statua, etc.: quæ proin ab actibus internis ad duliam determinantur. Sed quæ jam in iis idololatria? numquid non iisdem reverentiæ signis colimus principes, quin idololatriam sapiant, quod hic per actus internos determinantur, ut sint signa cultus politici? Quare postremum respondeo adversariis, quod AUGUSTINUS ethnicis objicientibus, quod Christiani colerent angelos, in Ps. 96. *Utinam et vos illos colere velletis! facile enim ab ipsis discretis, non illos colere, id est, non colere ut Deos, sed ut Sanctos.*

497. *Obj. IV.* Invocatio sanctorum est injuriosa Christo; ergo. *Prob. Ant.* 1. ad Tim. 2. 5. *Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus;* ergo injuriam ei facit, quicumque per alium ad Deum accedit. *Conf. 1.* S. AMBROS. in c. 1. ad Rom. v. 22. ait: *Ad Deum autem promerendum...*



suffragatore non opus est; sed mente devota. Conf. 2. S. AUG. L. 2. cont. Parmenian. c. 8 n. 15. Si (Joannes), inquit, ita diceret: *Hæc scripsi vobis, ut non peccetis, et si quis peccaverit, mediatorem me habetis ad Patrem, et ego exoro pro peccatis vestris (sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit episcopum inter populum et Deum), quis eum ferret? quis sicut Apostolum Christi, et non sicut antichristum intueretur?* Ac infra n. 16. Si esset mediator Paulus, essent utique et cæteri coapostoli ejus, ac sic multi mediatores essent; nec ipsi Paulo constaret oratio qua dixerat: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus; ergo vult tantum unum esse mediatorem.*

R. N. A. Neque enim invocamus sanctos, ut fungantur vice Christi, vel adjuvent Christum; sed nos, quo facilius per Christum impetremus postulata; si enim propterea liceat, ex dictis in Conclusionem invocare viventium orationes sine Christi injuria, cur non sanctos? Unde

Ad prob. R. 1<sup>o</sup>. Probas nimium, et contra Apostolum, viventes invocari non posse.

R. 2<sup>o</sup>. D. M. Unus est mediator noster, solutione pretii pro redemptione nostra C. intercessione N. Potest quis esse mediator duplici modo, 1. solvendo creditori pro debitore; 2. orando creditorem, ut remittat debitum. Primo modo solus Christus est mediator Dei et hominum; et hoc modo Apostolus loquitur, ut patet ex eo, quod subdit: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis*; tum inde, quod scribat ad TIMOTHEUM Ephesi episcopum, ubi tunc grassabatur Simonis magi hæresis, angelos introducens loco Christi. Secundo modo plures esse possunt. Porro Christus unus est mediator summus, universalis, principalis noster, etiam intercessione; qui et pro ipsis sanctis intercessit: angeli vero et sancti sunt secundarii; etiam per Christum orando pro nobis.

Ad Conf. 1<sup>am</sup>. R. S. AMBR. ibi agere contra ethnicos, qui colebant astrorum cursus, quos et reprehendit, quod conservos et creaturas colant honore Dei. Dumque subdit: non esse opus suffragatore; intelligi debet ex parte Dei, velut dicat: Deus interpretibus non eget; per se ipsum omnia videns, et intelligens. Utile enim esse invocare sanctos, ex ipso constat AMBROSIO, L. de Vid. cit.

Ad Conf. 2<sup>am</sup>. S. AUG. ibi Donatistas aggredi, volentes, gratiam sacramenti pendere a sacerdote, ita ut sacerdos bonus baptizans sanctificaret ipse; malus contra pollueret; talem mediatorem episcopum posuerat Parmenianus, talemque ceu Antichristum rejicit AUGUSTINUS; quia talis mediator est quodammodo redemptionis; unde docet, plebem esse securam, sive a bono, sive a malo baptizetur; quia unus est mediator hominum et Dei Christus: non sacerdos juxta mentem Donatistarum; nequidem Apostoli. Cæterum de Aug. mente ex hæcenus dictis satis constat.

Si dicas demum: Variæ historiæ sanctorum sunt apocryphæ ut *Georgii, Catharinæ*, etc.; ergo fit superstitio. Item Scriptura nusquam invocationem illam præcipit; ergo.

Ad 1<sup>am</sup>. R. Esto, quorundam sanctorum historias nonnullas esse incertas; non ideo incertum sanctos ipsos extitisse. Vel, si quorundam existentia dubia maneat adversariis, colant igitur, qui certo extitere, Petrum, Jacobum, Stephanum, etc.

Ad 2<sup>am</sup>. R. N. Cons. Neque hoc queritur, an præcepta sit sanctorum invocatio? non enim, fatemur, id in Scriptura præcipitur; sed nec Ecclesia tanquam necessariam præcepit ad salutem. Sed id solum quærebatur: piumne, licitum, ac utile sit sanctos colere et invocare? hoc solum declaravit, ac definiuit Ecclesia, vultque TRIDENTIN. Sess. 25.

## ARTICULUS III.

AN, ET QUO CULTU S. CRUX; ITEM SANCTORUM RELIQUÆ VENERANDÆ?

Ex inimicis S. Christi crucis primus Julianus apostata Christianos suggillabat, quod, contemptis gentilium diis, vile crucis lignum, ejusque signum colerent. Iconomachi veteres, utut furore contra SS. imagines rapti, Domini crucem tamen in honore habuerunt; uti et SS. reliquias sanctorum. Primus e Christianis violandæ crucis, ac e Basilicis exturbandæ auctor fuit Claudius Taurinensis, qui reliquias sanctorum honorari non sustinebat; quem posterioribus seculis secuti *Wiceliste, Lutheri ac Calvini* sectarii, Contra quos

498. Dico I. Crux Christi, tam vera, h. e. ipsa illa in qua crucifixus est, quam alia sculpta aut picta, ad priorem representandam formata, veneranda est.

Pars 1<sup>a</sup>. prob. usu et auctoritate totius Ecclesie; quæ S. crucem, ut primum S. HELENÆ opera circa annum 326. inventa fuit, non absque miraculis, singulari honore venerata fuit. Nam teste S. CYRILLO HIEROSOLYMITANO circa id tempus vivente, epist. ad CONSTANTINUM imperator., item Catech. 4. et 13. ex toto orbe, ad adorandam crucem, Christianus populus confluit, S. AMBROS. orat. de obitu Theodosii M. n. 48. *Sapienter, ait, Helena egit, quæ crucem in capite regum locavit, ut crux Christi in regibus adoretur.* Particulas sanctæ crucis aut inclusas, religionis causa, e collo suspendi S. CHAVSOST. asserit hom. quod Christus sit Deus n. 10. (opp. t. 1. p. 571. E.) crucem in Basilica Hierosolymitana quotannis cum Pascha Domini agitur, ad publicam venerationem expositam fuisse, S. PAULIN. testatur epist. 11. (al. 31. n. 6.) ad Severum Sulpitium. Plura de ejus cultu referunt scriptores plerique, Sulpit. Sever. L. 2. Hist. sacr., Ruffin., Socrates, Sozomenus.

Idem evincit ratio. Nam 1<sup>o</sup>. si locus, in quo angelus stetit Jos. 5., Exod. 3., terra sancta esset, quanto magis crux, in qua Christus pependit? Item; si in honore essent S. PAULI sudaria, semicinctia ob contactum, cur non potius crux Christi respersa sanguine? 2<sup>o</sup>. Christus crucem sponte elegit ut aram summi illius sacrificii sui, ut instrumentum redemptionis nostræ, Patrem pacificans per sanguinem crucis, ad Coloss. 1. 20. 3<sup>o</sup>. Cruce vicit diabolus, deque eo triumphavit: *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, et expoliens principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, ad Coloss. 2. 14. ORIGENES hom. 8. in Josue n. 3. (opp. t. 2. p. 416. B.) in græcis, ait, haberi: triumphans illos in ligno crucis; at, licet nunc non extet, in ligno, sed



suffragatore non opus est; sed mente devota. *Conf. 2. S. Aug. L. 2. cont. Parmenian. c. 8 n. 15. Si (Joannes), inquit, ita diceret: Hæc scripsi vobis, ut non peccetis, et si quis peccaverit, mediatorem me habetis ad Patrem, et ego exoro pro peccatis vestris (sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit episcopum inter populum et Deum), quis eum ferret? quis sicut Apostolum Christi, et non sicut antichristum intueretur? Ac infra n. 16. Si esset mediator Paulus, essent utique et cæteri coapostoli ejus, ac sic nulli mediatores essent; nec ipsi Paulo constaret oratio qua dixerat: Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus; ergo vult tantum unum esse mediatorem.*

R. N. A. Neque enim invocamus sanctos, ut fungantur vice Christi, vel adjuvent Christum; sed nos, quo facilius per Christum impetremus postulata; si enim propterea liceat, ex dictis in Conclusionem invocare viventium orationes sine Christi injuria, cur non sanctos? Unde

*Ad prob. R. 1º. Probas nimium, et contra Apostolum, viventes invocari non posse.*

R. 2º. D. M. Unus est mediator noster, solutione pretii pro redemptione nostra C. intercessione N. Potest quis esse mediator duplici modo, 1. solvendo creditori pro debitore; 2. orando creditorem, ut remittat debitum. Primo modo solus Christus est mediator Dei et hominum; et hoc modo Apostolus loquitur, ut patet ex eo, quod subdit: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis*; tum inde, quod scribat ad TIMOTHEUM Ephesi episcopum, ubi tunc grassabatur Simonis magi hæresis, angelos introducens loco Christi. Secundo modo plures esse possunt. Porro Christus unus est mediator summus, universalis, principalis noster, etiam *intercessione*; qui et pro ipsis sanctis intercessit: angeli vero et sancti sunt secundarii; etiam per Christum orando pro nobis.

*Ad Conf. 1º. R. S. AMBR. ibi agere contra ethnicos, qui colebant astrorum cursus, quos et reprehendit, quod conservos et creaturas colant honore Dei. Dumque subdit: non esse opus suffragatore; intelligi debet ex parte Dei, velut dicat: Deus interpretibus non eget; per se ipsum omnia videns, et intelligens. Utile enim esse invocare sanctos, ex ipso constat AMBROSIO, L. de Vid. cit.*

*Ad Conf. 2º. S. AUG. ibi Donatistas aggredi, volentes, gratiam sacramenti pendere a sacerdote, ita ut sacerdos bonus baptizans sanctificaret ipse; malus contra pollueret; talem mediatorem episcopum posuerat Parmenianus, talemque ceu Antichristum rejicit AUGUSTINUS; quia talis mediator est quodammodo redemptionis; unde docet, plebem esse securam, sive a bono, sive a malo baptizetur; quia unus est mediator hominum et Dei Christus: non sacerdos juxta mentem Donatistarum; nequidem Apostoli. Cæterum de Aug. mente ex hæcenus dictis satis constat.*

*Si dicas demum: Variæ historiæ sanctorum sunt apocryphæ ut Georgii, Catharinæ, etc.; ergo fit superstitio. Item Scriptura nusquam invocationem illam præcipit; ergo.*

*Ad 1º. R. Esto, quorundam sanctorum historias nonnullas esse incertas; non ideo incertum sanctos ipsos extitisse. Vel, si quorundam existentia dubia maneat adversariis, colant igitur, qui certo extitere, Petrum, Jacobum, Stephanum, etc.*

*Ad 2º. R. N. Cons. Neque hoc quaeritur, an præcepta sit sanctorum invocatio? non enim, fatemur, id in Scriptura præcipitur; sed nec Ecclesia tanquam necessariam præcepit ad salutem. Sed id solum quaerebatur: piumne, licitum, ac utile sit sanctos colere et invocare? hoc solum declaravit, ac definiit Ecclesia, vultque TRIDENTIN. Sess. 25.*

## ARTICULUS III.

AN, ET QUO CULTU S. CRUX; ITEM SANCTORUM RELIQUÆ VENERANDÆ?

Ex inimicis S. Christi crucis primus Julianus apostata Christianos suggillabat, quod, contemptis gentilium diis, vile crucis lignum, ejusque signum colerent. Iconomachi veteres, utut furore contra SS. imagines rapti, Domini crucem tamen in honore habuerunt; uti et SS. reliquias sanctorum. Primus e Christianis violandæ crucis, ac e Basilicis exturbandæ auctor fuit Claudius Taurinensis, qui reliquias sanctorum honorari non sustinebat; quem posterioribus seculis secuti *Wiceliste, Lutheri ac Calvini* sectarii, Contra quos

498. *Dico I. Crux Christi, tam vera, h. e. ipsa illa in qua crucifixus est, quam alia sculpta aut picta, ad priorem representandam formata, veneranda est.*

*Pars 1ª. prob. usu et auctoritate totius Ecclesie; quæ S. crucem, ut primum S. HELENÆ opera circa annum 326. inventa fuit, non absque miraculis, singulari honore venerata fuit. Nam teste S. CYRILLO HIEROSOLYMITANO circa id tempus vivente, epist. ad CONSTANTINUM imperator., item Catech. 4. et 13. ex toto orbe, ad adorandam crucem, Christianus populus confluit, S. AMBROS. orat. de obitu Theodosii M. n. 48. Sapienter, ait, Helena egit, quæ crucem in capite regum locavit, ut crux Christi in regibus adoretur. Particulas sanctæ crucis aut inclusas, religionis causa, e collo suspendi S. CHAVSOST. asserit hom. quod Christus sit Deus n. 10. (opp. t. 1. p. 571. E.) crucem in Basilica Hierosolymitana quotannis cum Pascha Domini agitur, ad publicam venerationem expositam fuisse, S. PAULIN. testatur epist. 11. (al. 31. n. 6.) ad Severum Sulpitium. Plura de ejus cultu referunt scriptores plerique, Sulpit. Sever. L. 2. Hist. sacr., Ruffin., Socrates, Sozomenus.*

*Idem evincit ratio. Nam 1º. si locus, in quo angelus stetit Jos. 5., Exod. 3., terra sancta esset, quanto magis crux, in qua Christus pependit? Item; si in honore essent S. PAULI sudaria, semicinctia ob contactum, cur non potius crux Christi respersa sanguine? 2º. Christus crucem sponte elegit ut aram summi illius sacrificii sui, ut instrumentum redemptionis nostræ, Patrem pacificans per sanguinem crucis, ad Coloss. 1. 20. 3º. Cruce vicit diabolus, deque eo triumphavit: Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, et expoliens principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso, ad Coloss. 2. 14. ORIGENES hom. 8. in Josue n. 3. (opp. t. 2. p. 416. B.) in græcis, ait, haberi: triumphans illos in ligno crucis; at, licet nunc non extet, in ligno, sed*



ἐν αὐτῷ, in ipso, referri tamen ad crucem potest, de qua dixerat ante ἐν τῷ σταύρῳ; ut ait THEOPHYLACTUS.

Pars 2<sup>a</sup>. *prob. eodem universali Ecclesiae usu.* Nam 1<sup>o</sup>. THEODORETO teste serm. 6. cont. Gent. (opp. t. 4. p. 380. A.), Græci, Romani, ac barbari, crucifixum profitentur Deum, *crucisque signum venerantur.* 2<sup>o</sup>. Crucis etiam pictæ adorationem ex antiqua Ecclesiae traditione esse, usque adeo veteres agnoverunt Iconomachi, teste S. JOANNE DAMASC. orat. 2. de imaginibus n. 19. 3<sup>o</sup>. Ex reverentia in S. crucem, imperatoria lege sancitum fuit, signum illud Salvatoris Christi nemini licere vel in solo, vel silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere; L. *Nemini* c. de SS. Eccles. Quod ipsum TRULLANA Synodus Can. 73. (Labb. t. 6. p. 1176.) decrevit sub pœna anathematis: *Cum crux nobis vivifica salutare ostenderit; nos omne studium adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus, eum quem par est honorem habeamus; unde et mente, et sermone, et sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ a nonnullis in solo ac pavimento sunt omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione, victoriae nobis trophæum injuria afficiatur.* Ubi simul rationem dat adorandi crucem. Plura ejusmodi testimonia de religioso crucis cultu offert historia Ecclesiastica, BELLARM. de Eccles. Triumph. L. 2. c. 28., PETAV. L. 15. c. 9. aliique.

Inde etiam comprobatur usus crucis manu formatae a primis Ecclesiae seculis. *Ad omnem progressum, atque promotum,* ait TERTULL. L. de Cor. milit. c. 3. *ad omnem aditum et exitum... quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* S. CYRILL. Hierosolym. catech. 4. n. 14. *Non erubescamus, ait, crucem Christi; sed, licet alius hanc celet, tu tamen palam in fronte signa te, ut demones, signo illo regio conspecto, trepidantes fugiant. Fac vero hoc signum, dum manducas et bibis, sedes, recubas, exurgis, loqueris, ambulas; verbo dicam, in omni negotio.* S. ATHANAS. de Incarn. Verbi Dei n. 48. *Veniat et quisquis ea quæ diximus experiri cupit, atque in mediis ipsis demonum prestigiis et oraculorum fallaciis, ac magiæ prodigiis, signo crucis... utatur, solumque Christum nominet: mox videbit quam cito per ipsum fugentur demones, cessent oracula, ars omnis magica veneficiæque evanescent.* Similia habet ibid. n. 31. et 55. S. AUGUSTINUS in Joan. Tract. 11. n. 3. *Intendat et intelligat charitas vestra. Si dixerimus catechumeno, Credis in Christum? respondet, Credo, et signat se: jam crucem Christi portat in fronte, et non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credidit in nomine ejus.* Et serm. 88. n. 8. (al. de Verbis Domini 18.): *Qui ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus seculi, prius honoravit crucem in hoc seculo; ut terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi: et quod cum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarunt, magna fiducia servi ejus, etiam reges in fronte nunc portant.* V. PETAVIUM L. 15. c. 10.

499. *Obj. I.* Crux Christo dolorem et ignominiam attulit; ergo coli non debet; stolidus enim et impius foret filius, qui honoraret ac amaret patibulum, in quo pater pependisset.

R. 1<sup>o</sup>. Crux etiam Christo lætitiâ et gloriâ attulit, ob diabolium devictum, et redemptum humanum genus; quæ lætitiâ et gloria tanta fuit, ut priorem ignominiam et dolorem absorberit, teste Apostolo: *Humiliavit*

*semetipsum factus obediens usque ad mortem... crucis; propter quod et Deus exaltavit illum.* Hinc

R. 2<sup>o</sup>. *D. Cons.* Ergo coli non debet ex eo præcise titulo, sive ut instrumentum doloris et ignominiae C. ex aliis titulis, ut instrumentum exaltationis Christi, victoriae, triumphi, gloriæ ejus N.

*Ad prob. R. D.* Si patibulum solam haberet ignominiae rationem ob patris delictum C. si gloriam, ut si pater in eo mortuus esset fortiter pro fide, aut patria N. Ejusmodi enim occisorum instrumenta passionis, ceu monumenta virtutis, filii et amici conservant.

*Inst. 1.* Sed honorare crucem et amare, est imitari hostes Christi, qui in ea sibi complacebant, amicis Christi de ea dolentibus.

R. *N. assert.* Hostes Christi sibi complacebant in cruce, ut fuit instrumentum infamiæ et doloris Christo; nos vero, ut fuit instrumentum gloriæ, ad exemplum S. Pauli dicentis: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi,* ad Gal. ult.

*Inst. 2.* Cum Cæcilius gentilis objecisset Minutio Felici in Octavio, quod Christiani colerent cruces, hic respondit universaliter: *Cruces nec colimus, nec adoramus;* ergo primi Christiani non colebant crucem.

R. *D.* Cruces nec colimus, nec adoramus, modo quo putabant gentiles C. non colimus modo alio N. Minutius Felix refutat gentiles existimantes, Christianos crucem colere ut Deum, ac venerari omnes cruces, etiam destinatas reorum suppliciiis; proinde recte negat, nos colere ejusmodi cruces. Idem etiam Julianus apostata objecerat; ex quo proinde cultus sanctæ crucis in primitiva Ecclesia viginis colligitur.

*Inst. 3.* Saltem ob sanctam crucem, ineptum erit colere cruces alias. *Prob.* Si ob sanctam crucem colendæ sunt cruces aliæ; ergo pariter colenda essent omnia sepulcra, clavi, virgæ, columnæ, præsepia, ob sepulcrum Christi, clavos, virgas, columnam, cui alligatus fuit, et præsepe: item, omnes cruces fortuito e nubibus, paleis, etc., formatae coli deberent; sed hoc ridiculum est.

R. *N. ass. Ad prob. N. seq. 1<sup>am</sup>.* Illa enim, quæ alios insuper usus habent, quam representationem Christi, inconveniens est hoc ipso passim, colere, ob indignitatem, quam ex alio usu contrahunt; ac formata ad usus alios non habent rationem imaginis, vel representationis Christi. Quando vero formatur præsepe ad representandam Christi nativitatem; vel columna (idem est de aliis), ad representandam Christi flagellationem; quia tunc habent rationem imaginis, non carent veneratione sua. *N. item seq. 2<sup>am</sup>.* quia non sufficit similitudo quæcumque pure materialis cum Christi cruce; sed formalis esse debet, sive intenta ad representandam crucem Christi; quæ similitudo non habetur in istis, v. g. nubibus casu in formam crucis coeuntibus, etc.

500. *Obj. II.* At certe 1<sup>o</sup>. idololatriam sapit illa crucis invocatio, qua utitur Ecclesia: *O crux ave, spes unica, auge piis,* etc. 2<sup>o</sup>. Crucis adoratio ex se cultum superstitiosum involvit; ergo. *Prob. Ant.* Omnis enim cultus religiosus procedit ex interno affectu animi, submittentis sese rei, quam colimus; at non potest se voluntas submittere cruci, quia est res inanimata, irrationalis, proindeque cultus interioris incapax.



*Ad 1<sup>am</sup>.* R. N. Quia per crucem tropice intelligimus Christum.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. N. *Ant. Prob. D.* Omnis cultus religiosus absolutus sic procedit C. relativus, qui rem ita attingit cultu et submissione externa, ut tamen submitio interior ad Christum feratur N. Crucem colimus vere ac proprie cultu relativo; quia non solum signum externum, genuflexio, etc., sed etiam affectus internus *submissionis externæ* ad eam refertur; cum enim imago colitur, honorans vult exhibere submissionem externam imagini, ad testificandum exemplari, vel ei, quem repræsentat, affectum submissionis internæ, ob ejus propriam excellentiam et superioritatem, et ad testificandum externe ejus superioritatem, per submissionem externam ejus imagini, ad quam dicit specialem habitudinem.

Hinc in adoratione crucis, sicut cujusvis sacræ imaginis in genere, duplex intervenit affectus internus submissionis: 1<sup>o</sup>. *internæ*, estque actus voluntatis, quo voluntas se affective submittit alteri. 2<sup>o</sup>. Affectus submissionis *externæ*; estque etiam actus voluntatis imperantis signum externum (genuflexionem) submissionis internæ. Prior affectus transit in adoratione crucis ad Christum solum, estque verâ latria absoluta: alter vero immediate ad crucem, perque hanc ad Christum, transit et terminatur; estque cultus, ut diximus, latriæ relativæ.

301. *Dico II.* Adoratio crucis est cultus latriæ relativæ, sive imperfectæ, quæ simul est latria vera absoluta ipsius Christi: consistens in hoc, ut cruci exhibeamus exteriora signa adorationis; ac adoratio interior, quæ est latria vera, terminetur solum ad Christum crucifixum.

*Prob.* Nam 1<sup>o</sup>. adorationem ipsius crucis non esse latriæ veræ, sive absolutæ et perfectæ, constat ex Syn. NICÆNA II. sive Gener. VII. Act. 7. (Lab. t. 7. p. 553. A.), ubi docent Patres his imaginibus universim, *honorariam adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impariendam; ita ut istis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis, et sanctis evangelis, et reliquis sacris monumentis, incensurum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur.* Et ratio est; quia de latriæ veræ essentia est, exhiberi propter se, ut BELLARM. ait, Deo tanquam principio primo et fini ultimo; est enim cultus absolute supremus. 2<sup>o</sup>. Esse tamen latriæ relativæ respectu crucis, et simul absolutæ respectu Christi, inde evincitur; quia colere crucem, est ei honorem externum ac submissionem externam exhibere, propter excellentiam ac superioritatem ejus, quem repræsentat, ut huic testificemur subjectionem nostram internam, ac simul exterius ejus excellentiam profiteamur; sed hic cultus imprimis respectu crucis tantum relativus est, ut patet; cum hæc signa externa illi non propter se præcise tribuantur, sed propter eum, quem repræsentat, et in quem actus noster interior tendit spiritu et fide; est tamen simul latria absoluta Christi; cum enim coram cruce procumbimus, Christum adoramus, ad testificandam ei submissionem nostram summam propter infinitam ejus excellentiam; sed talis cultus est latriæ veræ, absolutæ; ergo.

302. *Dico III.* Licitus item, pius, ac utilis est reliquiarum Christi ac sanctorum cultus. Est de fide.

*Prob. I. S.* Scripturæ exemplis: Matth. 9. Hæmorrhœissa fimbriam vestimenti Christi devote tangit. Actor. 5. ad attingendam S. Petri umbram, quo possent modo, concurrebant ægri. Actor. 19. ad ægros ferebant sudaria S. Pauli. At nec mulier illa reprehensa ideirco a Christo, nec reliqui ab Apostolis damnati idololatriæ fuerunt; quod alioquin, si idololatria fuisset, certo nec omisisset Christus, nec Apostoli. Quin in præmium, non sine miraculo, retulerunt sanitatem. Quod isti fecerunt, idem faciunt, qui reliquias colunt.

*Prob. II.* Ex perpetuo usu totius post Apostolos Ecclesiæ; qui constat 1<sup>o</sup>. ex Conciliis omnium orbis terræ partium. Ex Oriente Concil. NICÆN. II. Act. 3. (Lab. t. 7. p. 183. D.) reliquias vocat *fontes salutares*, quibus Deus multa hominibus confert beneficia. Act. 7. (id. ibid. p. 558. A.) jubet deponi clericum, et laicum excommunicari, qui reliquias contemnit martyrum, et non ut rem sacram cum honore tractat. Ex Africa CARTHAGIN. V. Can. 14. (id. t. 2. p. 1218.) jubet ut nulla erigantur altaria, nisi ibidem sint aliquæ martyrum reliquiæ. Porro ex Hispania BRACCARENSE IV. Can. 6. (id. t. 6. p. 565.) in supplicationibus thecam reliquiarum levitarum humeris gestari statuit; vel si etiam episcopus reliquias per se deportare elegerit, ipsum a diaconibus in sellulis vectari prohibet. His adde EPAONENSE in Gallia, Can. 25. (id. t. 4. p. 1379.), MOGUNTINUM (id. t. 7. p. 1252.) in Germania tempore Caroli M. Can. 51., LATÆRANENSE in Italia sub Innoc. III. Quibus accessit TRIDENT. Sess. 25. 2<sup>o</sup>. Hunc testatur honorifica reliquiarum translatio, variis temporibus facta: earum sub altaribus asservatio, et similia.

*Prob. III.* Cultus hujus sanctitatem evincunt 1<sup>o</sup>. Miracula. Sic S. AMBROS. epist. 34. (al. 22. n. 9.) et AUGUSTINUS Confess. L. 9. c. 7. referunt miracula patrata in translatione SS. MM. Gervasii et Protasii; idem S. AUG. L. 22. de Civit. c. 8. ea prodigia narrat, quæ facta sunt in translatione S. Stephani, etc. 2<sup>o</sup>. Ipsa ratio; quia, cum pius sit ac utile colere sanctos, etiam pius ac utile erit honorare eorum corpora, quæ fuerunt templa Spiritus sancti, et organa sanctarum animarum, ac instrumenta virtutum; et honos ipsis delatus in ipsos redundabit sanctos, quorum sunt pretiosæ exuvie.

Ne vero adversarii nostri criminari possent, reliquiarum cultum fraudibus et periculis esse expositum, providit Ecclesia, vetans, ne reliquiæ sine sufficienti examine exponantur cultui fidelium; ac CONC. TRIDENT. Sess. 25. dum inquit: *Statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula; nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscante et approbante episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, et aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati et pietati consentanea judicaverit, etc.*

Porro sacræ reliquiæ tamen non debent honorari cultu absoluto, quia in reliquiis non est excellentia absoluta; nec creatura rationalis debet subjectionem absolutam ex charitate rei inanimæ; sed relativo tantum, quatenus habitudinem vel connexionem, vel contactus dicunt ad eos, ad quos pertinet; ergo solum cultus relativus iis competit, id est, qui illis exhibetur, non tamen in iis sistit; sed ad ipsos transeat, quorum reliquiæ sunt. Sicque proin reli-



quæ Christi, tunica, spinæ, clavi, etc., cultu patriæ relativo, ut supra de cruce dictum; aliæ sanctorum relativo dulciæ colendæ sunt.

503. *Obj. I.* Ex S. SCRIPTURA. Hæc reprobare videtur cultum reliquiarum; ergo. *Prob. Ant.* 1º. Matth. 23. reprehendit Christus Judæos, quod ornarent sepulcra Prophetarum. 2º. Deut. ult. abscondit Deus corpus Moysis, scilicet ne illud Judæi adorarent. 3º. 2. ad Cor. 3. ait Apostolus, post resurrectionem Christi se non nosse Christum *secundum carnem*; ita innuens, oblivioni dandum, quidquid in Christo carnale fuit. 4º. Ad Coloss. 2. damnat omnem cultum arbitrarium, h. e. a Deo non institutum; at reliquiarum cultus non est institutus a Deo.

R. N. A. *Ad prob. 1º.* R. D. Reprehendit Judæos ideo præcise, quod sepulcra ornarent N. quod, licet ornarent Prophetarum sepulcra, non tamen hos imitarentur, sed potius eos, qui Prophetas occiderunt, struendo etiam ipsi Christo insidias C. Sic etiam Judæos arguit Luc. 11. 48. *Profecto testificamini, quia consentitis operibus Patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem eos (Prophetas) occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra; sed consentiendo operibus patrum.*

*Ad prob. 2º.* R. D. Ne illud adorarent adoratione patriæ, in quam proptensi erant Judæi C. ex alia ratione N. Ita S. CHRYSOST. homil. 3. in Matth. n. 4. (opp. t. 7. p. 89. A.). Judæorum in idololatriam pronitas nimium ex Scripturis patet: at in Christianis tale idololatriæ publicæ periculum non est.

*Ad prob. 3º.* R. N. quod hoc velit Apostolus innuere; sed per carnem mortalitas et passibilitas intelligitur; ac sensus est: Si novimus aliquando Christum mortalem et passibilem; nunc non novimus, nisi immortalem et impassibilem: sicut ad Hebr. 3. 7. ait Apostolus idem: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque... offerens, etc.*, sensus est: qui in vita sua mortali. Ita Patres plerique in hunc locum, CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACT., THEODORET., ac Synod. gener. VII. act. 6.

*Ad prob. 4º.* R. 1º. Cultus reliquiarum non est cultus voluntarius, h. e. tantum inventus ab hominibus; sed est inspiratus a Deo, ut ex S. Scripturæ locis cit. in Concl. colligere est.

R. 2º. τὸ εὐελδορῆσκέϊαν ad Coloss. 2. v. 22. non significare cultum quomodocumque voluntarium, h. e. non præceptum a Deo; sed cultum superstitiosum, ut reddit interpret noster: *in superstitione et humilitate*: vel, ut S. HIERON. epist. ad Algasiam, Q. 10., *falsam religionem*: at probare debent adversarii, cultum reliquiarum esse simpliciter inventum humanum, superstitiosum, vel falsum; si cultum illum hic ab Apostolo reprehensum velint.

504. *Obj. II.* At SS. PATRIBUS prioribus incognitus fuit reliquiarum cultus; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1º. HIERON. L. contr. Vigilantium n. 7. objicienti Vigilantio, esse idololatriam, accendere cereos coram reliquiis, nihil respondere aliud potuit, quam id facere solum mulierculas, quæ, verba sunt HIER., *confiteor, zelum Dei habent; sed non secundum scientiam.* 2º. CONCIL. ELIBERITANUM Can. 34. (Labb. t. 1. p. 974.) ait, *ejusmodi cereis inquietari sanctorum spiritus.* 3º. S. AUG. L. de Morib. Ecclesiæ c. 34. n. 73. in sepulcrorum

adoratores invehitur. Sic et CLEMENS ALEXANDRIN., TERTULL., aliique Patres carpunt quosdam ob cultum religiosum mortuorum; extractionem sepulcrorum, ac altarium; sed eos carpere non potuissent, si eosdem honores ipsi sanctorum exuviis impendissent; ergo.

R. N. A. *Ad prob. 1º.* R. D. Nihil aliud respondere potuit, quia respondebat juxta sensum, quo objiciebat Vigilantius C. nihil aliud respondere potuit in sensu alio N. Respondebat HIERON. de iis, qui cereos accendunt putantes, inde martyres *illustrari*; nam Vigilantius per ironiam dixerat ibid. n. 4. *Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos.* Hoc igitur sensu eos accendi a mulieribus ait HIERON., quæ zelum habent, sed non secundum scientiam. Quod vero in sensu alio pie accendantur cerei coram reliquiis, HIERON. ipse epist. 109. ad Ripar. n. 1. in argumentum cultus sanctorum affert usum accendendi cereos; et in ipso L. cont. Vigilantium n. 7. *Causabantur, inquit, quondam et Apostoli, quod periret unguentum; sed Domini voce correpti sunt; neque enim Christus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum; et tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur: et quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem.*

*Ad prob. 2.* R. Concilium Eliberitanum id dixit, ac prohibuit; quia fiebat more gentilium, quibus tunc mixti Christiani erant. Gentiles vero putabant, cereis evocari defunctorum animas, easque cibis egere et luminibus ad pellendam famem et tenebras. Quod vero Concilium dicat: non esse inquietandos spiritus defunctorum; non hoc vult, spiritus illos revera inquietari; absit: sed displicere illis errorem ejusmodi. Ne igitur Christiani commune quid habere viderentur cum gentilibus, eo tempore Eliberitani Patres non ita pati volebant cereorum usum: nec male; cereorum enim accensio res adiphora ex se est, ac meræ disciplinæ.

*Ad prob. 3º.* quoad 1º. R. S. AUG. tantum invehitur in illud adoratorum genus, qui sacrificium panis et vini, aliorumque ciborum, offerebant quorumlibet defunctorum manibus, et dein cibis iisdem ac vino ad temulentiam usque se ingurgitabant: *Novi, ait ib., multos esse sepulcrorum.... adoratores, novi multos esse qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos se ipsos sepeliant, et voracitates, ebrietatesque suas deputent religioni.*

Quoad 2º. R. N. min. Mortuos enim colebant ut numina, eosque putabant in genios transformari; ex eoque fine, secus, ac Christiani, teste Aug. supra, eos hoc ritu colebant.

505. *Obj. III.* Si reliquiis debeatur veneratio ob habitudinem connexionis, vel contactus ad Christum ac sanctos; ergo et similiter coli possent labia Judæi Christum osculantis, manus servi percutientis Christum; item asina, cui insedit Christus: at hæc sunt ineptissima; ergo.

R. N. *Seq.* Ut enim res ejusmodi coli possint, duo requiruntur: primum est dicta habitudo connexionis, vel contactus: alterum, ut sint de se innoxie, non conjunctæ cum scelere, ac remotæ ab omni indecentia morali; sed hoc in allatis deficit: sic labia Judæi, manus percutientium, partes fuerunt sacrilegorum hominum; asina et hujusmodi, non fuere instrumenta



redemptionis nostræ; et aliunde moralem secum habent indecentiam. Illæ igitur res adversariorum esse reliquiæ possunt, eo usque, dum obijcere Catholicis, sine fundamento, et contra L. *Diffamari*, idololatriæ crimen desinant.

## ARTICULUS IV.

SACRAMENTUM IMAGINUM CULTUS CONTRA ICONOMACHOS TUM VETERES, TUM RECENTIORES ASSERTITUR.

506. *Nota I.* Duo in hac controversia distingui debent, *dogma*, et *usus dogmatis*. Dogma, quod præcise dicit, pium ac licitum esse, colere sacras imagines, non potest mutari ab Ecclesia. Usus, sive actualis imaginum cultus, ad disciplinam præcise ecclesiasticam pertinet, et subest dispositioni Ecclesiæ, ut, exigentibus circumstantiis, possit prohibere cultum imaginum; velut piissimus rex Ezechias confringi jussit serpentem æneum, quem, jubente Deo, in deserto crexerat Moyses; quod idololatriæ occasionem daret Judæis.

*Nota II.* Prioribus Ecclesiæ seculis, præsertim tribus primis, rarior fuit imaginum usus, ita exigente quæ tunc nascebatur, et adolescebat Ecclesia; cum enim hæc tum ex gentilibus, tum ex Judæis conversis congregari deberet; usus et cultus imaginum noxius magis Ecclesiæ, quam utilis fuisset; in gentilibus enim, idololatriæ assuetis, periculum esse poterat, ne cultu indelito imagines colerent; in nondum conversis vero, ne crimarentur, quod Christiani ipsi imagines adorarent, cum idolorum cultum contemnerent; tum ne illas profanarent. Judæos vero a sacris christianis deterere poterant imagines, earumque cultus; quippe qui ex præscripto legis suæ refugiebant imagines, et magis earum cultum.

507. *Nota III.* Nec eadem fuit observantia in Ecclesia, quoad imagines quaslibet, nam 1º. etsi postea pietæ adhiberentur imagines, statuas tamen vix permittebant, velut gentilitiæ superstitionis proprias; sed et Synodus gen. VII. dum probat imagines, expressam quidem mentionem facit de picturis, quæ vel colorum varietate, vel tessellis, et segmentis musivi operis constant; de statu silet: quanquam quoad se causa videatur esse eadem, picturæ et statuæ; et ab Ecclesia veteri usus statuarum lege universali et expressa proscriptus non fuerit ab initio, ut ex Christi statua apud Cæsaream miraculis illustri constat, de qua Euseb. L. 7. Histor. c. 18., Philostorgius Arianus L. 7. c. 3. 2º. Licet etiam postea invalesceret usus picturarum imaginum Christi et sanctorum, tempore tamen Synodi VII. imago Dei, et SS. Trinitatis nondum in usu fuit; ut constat ex Act. 3. ejusdem Syn. et S. JOAN. DAMASCENO. L. 1. de imaginib.; quin has fieri etiam Patres olim plures vetuerunt, ac Theologi quidam nefas putarunt, ut TOSTATUS, DURANDUS; quod Deus, utpote incorporeus, pingi non posset.

Interim pingi nihilominus posse Deum ea specie, qua hominibus apparuit, catholicis nunc consensus obtinuit. Sic pingi potest Deus Pater, ut antiquus dierum; quia sic se spectabilem præbuisse legitur Daniel. 7. Spiritus sanctus in specie columbæ, vel linguarum ignearum dispersitarum;

quia priorè modo in baptismo Christi, altero, die Pentecostes Apostolis apparuit. Proinde cum et Dei Filius in carne nostra mortali apparuerit; totam SS. Trinitatem pictura representandi consuetudo, quam reprehendere temerarium videtur, in Ecclesia invaluit; ex paritate rationis sumpta ex Syn. VII. Act. 4., quæ vult angelos, licet corporis expertes, pingi posse humana specie, addita ratione, quia *justis hominibus humana specie apparuerunt*. Et vero imaginem SS. Trinitatis in Basilica S. Felicis depictam versibus jam celebravit S. PAULINUS.

508. *Dico.* Cultus SS. imaginum Christi ac sanctorum, pius et licitus est. Est de fide.

Ita enim definiuit 1º. Synod. gen. VII. scilicet NICÆNA II. anno 787. act. 7. *Definimus*, inquit Patres de Imaginibus Christi et sanctorum (Labb. t. 8. p. 553. C.) *in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus et tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis, et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis: tam videlicet imaginem Domini Dei et salvatoris nostri Dei Jesu Christi, quam intemeratæ Domine nostræ sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque angelorum et omnium sanctorum simul et aliorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latrariam....., quæ solam divinam naturam decet, impertiendam... Imaginum enim honor ad prototypum transit: et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti personam. Et TRIDENTINUM anno 1563. contra recentiores Iconomachos Sess. 25.: Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum, in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ representant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Ubi Trident. jam non distinguit inter picturas et statuas.*

*Prob. Concl. et definitio Ecclesiæ. I.* Ex S. SCRIPTURA. Exod. 25. jussit Deus, licet alias Judæis ad idololatriam propensis prohibuisset omne simulacrum, ut duo Cherubim aurei ponerentur ex utraque arcæ parte; sed coli arcæ non poterat, quin duo illi Cherubim, utpote arcæ partes, simul colerentur. Judæos vero arcam maximo esse cultu prosecutos, evidens est ex Scriptura T. V. Nam, missis aliis, Josue 7. 6. *Josue pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel.* Idem elucet ex 2. Reg. c. 6.

509. *Prob. II.* Ex TRADITIONE, et usu Ecclesiæ veteris, etiam primis quatuor seculis, contra ac velit Calvinus. Nam 1º. statuam æneam Christi (quæ, prope Paneadem, sive Cæsaream Philippi fuit, quam sanata a Christo Hæmor-



redemptionis nostræ; et aliunde moralem secum habent indecentiam. Illæ igitur res adversariorum esse reliquiæ possunt, eo usque, dum obijcere Catholicis, sine fundamento, et contra L. *Diffamari*, idololatriæ crimen desinant.

## ARTICULUS IV.

SACRAMENTUM IMAGINUM CULTUS CONTRA ICONOMACHOS TUM VETERES, TUM RECENTIORES ASSERTITUR.

506. *Nota I.* Duo in hac controversia distingui debent, *dogma*, et *usus dogmatis*. Dogma, quod præcise dicit, pium ac licitum esse, colere sacras imagines, non potest mutari ab Ecclesia. Usus, sive actualis imaginum cultus, ad disciplinam præcise ecclesiasticam pertinet, et subest dispositioni Ecclesiæ, ut, exigentibus circumstantiis, possit prohibere cultum imaginum; velut piissimus rex Ezechias confringi jussit serpentem æneum, quem, jubente Deo, in deserto crexerat Moyses; quod idololatriæ occasionem daret Judæis.

*Nota II.* Prioribus Ecclesiæ seculis, præsertim tribus primis, rarior fuit imaginum usus, ita exigente quæ tunc nascebatur, et adolescebat Ecclesia; cum enim hæc tum ex gentilibus, tum ex Judæis conversis congregari deberet; usus et cultus imaginum noxius magis Ecclesiæ, quam utilis fuisset; in gentilibus enim, idololatriæ assuetis, periculum esse poterat, ne cultu indelito imagines colerent; in nondum conversis vero, ne crimarentur, quod Christiani ipsi imagines adorarent, cum idolorum cultum contemnerent; tum ne illas profanarent. Judæos vero a sacris christianis deterere poterant imagines, earumque cultus; quippe qui ex præscripto legis suæ refugiebant imagines, et magis earum cultum.

507. *Nota III.* Nec eadem fuit observantia in Ecclesia, quoad imagines quaslibet, nam 1º. etsi postea pietæ adhiberentur imagines, statuas tamen vix permittebant, velut gentilitiæ superstitionis proprias; sed et Synodus gen. VII. dum probat imagines, expressam quidem mentionem facit de picturis, quæ vel colorum varietate, vel tessellis, et segmentis musivi operis constant; de statu silet: quanquam quoad se causa videatur esse eadem, picturæ et statuæ; et ab Ecclesia veteri usus statuarum lege universali et expressa proscriptus non fuerit ab initio, ut ex Christi statua apud Cæsaream miraculis illustri constat, de qua Euseb. L. 7. Histor. c. 18., Philostorgius Arianus L. 7. c. 3. 2º. Licet etiam postea invalesceret usus picturarum imaginum Christi et sanctorum, tempore tamen Synodi VII. imago Dei, et SS. Trinitatis nondum in usu fuit; ut constat ex Act. 3. ejusdem Syn. et S. JOAN. DAMASCENO. L. 1. de imaginib.; quin has fieri etiam Patres olim plures vetuerunt, ac Theologi quidam nefas putarunt, ut TOSTATUS, DURANDUS; quod Deus, utpote incorporeus, pingi non posset.

Interim pingi nihilominus posse Deum ea specie, qua hominibus apparuit, catholicis nunc consensus obtinuit. Sic pingi potest Deus Pater, ut antiquus dierum; quia sic se spectabilem præbuisse legitur Daniel. 7. Spiritus sanctus in specie columbæ, vel linguarum ignearum dispersitarum;

quia priorè modo in baptismo Christi, altero, die Pentecostes Apostolis apparuit. Proinde cum et Dei Filius in carne nostra mortali apparuerit; totam SS. Trinitatem pictura representandi consuetudo, quam reprehendere temerarium videtur, in Ecclesia invaluit; ex paritate rationis sumpta ex Syn. VII. Act. 4., quæ vult angelos, licet corporis expertes, pingi posse humana specie, addita ratione, quia *justis hominibus humana specie apparuerunt*. Et vero imaginem SS. Trinitatis in Basilica S. Felicis depictam versibus jam celebravit S. PAULINUS.

508. *Dico.* Cultus SS. imaginum Christi ac sanctorum, pius et licitus est. Est de fide.

Ita enim definiuit 1º. Synod. gen. VII. scilicet NICÆNA II. anno 787. act. 7. *Definimus*, inquit Patres de Imaginibus Christi et sanctorum (Labb. t. 8. p. 533. C.) *in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus et tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis, et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis: tam videlicet imaginem Domini Dei et salvatoris nostri Dei Jesu Christi, quam intemeratæ Domine nostræ sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque angelorum et omnium sanctorum simul et aliorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latrariam....., quæ solam divinam naturam decet, impertiendam... Imaginum enim honor ad prototypum transit: et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti personam. Et TRIDENTINUM anno 1563. contra recentiores Iconomachos Sess. 25. : Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum, in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ representant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Ubi Trident. jam non distinguit inter picturas et statuas.*

*Prob. Concl. et definitio Ecclesiæ. I.* Ex S. SCRIPTURA. Exod. 25. jussit Deus, licet alias Judæis ad idololatriam propensis prohibuisset omne simulacrum, ut duo Cherubim aurei ponerentur ex utraque arcæ parte; sed coli arcæ non poterat, quin duo illi Cherubim, utpote arcæ partes, simul colerentur. Judæos vero arcam maximo esse cultu prosecutos, evidens est ex Scriptura T. V. Nam, missis aliis, Josue 7. 6. *Josue pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel.* Idem elucet ex 2. Reg. c. 6.

509. *Prob. II.* Ex TRADITIONE, et usu Ecclesiæ veteris, etiam primis quatuor seculis, contra ac velit Calvinus. Nam 1º. statuam æneam Christi (quæ, prope Paneadem, sive Cæsaream Philippi fuit, quam sanata a Christo Hæmor-



rhoissa ei crexerat) fuisse tempore Juliani apostatæ in templum a Christianis introductam, refert SOZOMEN. L. 5. cap. 20. Item NICEPHOR. L. 10. c. 30. Sed hoc certe factum ante annum Domini 500., cum ad eum annum SOZOMENUS non pervenerit. Sic et EUSEB. L. 3. et 4. de vita Constantini refert, in templis a Constantino erectis in Palæstina maximam fuisse imaginum ex auro argentoque copiam. Ac LACTANTIUS, qui sub finem sec. III. floruit, in Carm. de Pass. Domini, jam tum imaginem Crucifixi fuisse positam in templis, testis est. Porro et in locis subterraneis (catacombes), quæ, prioribus Ecclesiæ seculis, christianorum cœmeteria et oratoria fuisse constat, potiora veteris et novi Testamenti symbola depicta occurrunt, nec non Christi, B. Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, aliorumque martyrum sacræ effigies expressæ reperiuntur, ut videre est apud ARINGH. Roma subterranea, aliosque. Igitur imprimis mos ponendi imagines in Ecclesiis ex prima profuit Ecclesia. Sed etiam cultus, nam

2º. EX PATRIBUS seculi III. et IV. S. BASILIUS ep. ad Julianum apostatam relatus ab HADRIANO Papa in epist. ad Imperatores, in Syn. VII. act. 2. (Lab. t. 7. p. 110. E.): *Figuras, inquit, imaginum illorum honoro, et palam adoro; hoc enim nobis traditum est a sanctis apostolis, nec est prohibendum, etc.* scilicet quoad dogma; vel etiam usum, ita ut, licet ex datis supra causis non publicæ venerationi exponerentur, privatim tamen imagines jam ante colerent. S. AMBROS. orat. de obitu Theodosii n. 48. *Sapienter, inquit, Helena egit, quæ crucem Christi in capite regum levavit et locavit, ut crux Christi in regibus adoretur.* Et Lib. de Incarn. Domin. Sacram. c. 7. n. 71. *Numquid cum in eo (Christo) imaginem Dei, crucemque veneramus, dividimus eum?* LACTANT. sec. III. de quo ante, Carm. de Pass. Dom., de cruce: *Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.* Imaginem S. Martyris Cassiani in ipso altari positam fuisse, et ad eam Christianos preces fuisse narrat Prudentius, Peristeph. hymn. 9. vers. 5. et seq.

*Stratus humi, tumulo adolvebar, quem sacer ornat  
Martyr dicato Cassianus corpore.*

*Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera et omnes  
Vitæ labores ac dolorum acumina,*

*Erexi ad cælum faciem; stetit obvía contra  
Fucis colorum picta imago martyris.*

*Ædituus consultus ait: quod prospicis, hospes,  
Non est inanis aut anilis fabulæ.  
Historiam pictura refert.....*

*Hæc sunt quæ liquidis expressa coloribus, hospes,  
Miraris: ista est Cassiani gloria.*

*Suggere, si quod habes justum vel amabile votum,  
Tibi si qua spes est, si quid intus æstuas.*

*Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes.*

*Pareo, complector tumulum, lacrymas quoque fundo,  
Altar tepescit ore, saxum pectore.*

S. GREGOR. Nazianz. orat. 25. n. 2. testatur, angelos corporea forma cum candore et splendore vestium pingi ad designandam naturalem ipsorum puritatem. ASTERIUS Amazenus orat. de S. Euphemia (Lab. t. 7. p. 487. E.): *Mulier, ait, quædam fuit sacra virgo, incorruptam Deo pudicitiam vovens, quam Euphemiam vocant. Cum autem tyrannus aliquando pios persecueretur, satis prompte mortis elegit periculum. Porro cives et communicatores religionis, pro qua et mortua est, utilitatis lege sacram virginem admirantes, juxta sacrarium sepulcro dedicato, et arca posita, honores ei concelebant, et annuatim diem festum faciunt et solemnem. Denique... pictor pie agens et ipse, per artem secundum vires, totam ejus historiam in sindone figurans, circa sepulcrum ejus posuit sacrum spectaculum.* Et infra (ibid. p. 490. E.): *Lacrymor hinc, et mihi passio sermones recidit. Sanguinis enim guttas ita pictor liquido coloravit, ut diceres eas veraciter a labiis fluere, et lamentis affectus abires.... Orante autem ea, videtur super caput signum, quod lex est christianis adorandi.*

3º. EX PATRIBUS V. seculi. S. GREGOR. Nyss. orat. de S. Theodoro (opp. t. 3. p. 579. C.) scribit parietes Basilicæ hujus martyris picturis decoratos fuisse, quibus ejusdem certamina coloribus expressa visebantur. S. HIERONYMUS epist. 108. de laudibus S. Paulæ n. 9. *Prostrata, ait, ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* S. AUGUSTINUS serm. 94. de Diversis (al. 316. n. 5.): *dulcissima pictura est hæc (al. hic), ubi videtis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem.* S. PAULINUS Nolanus in Italia, ac SEVERUS SULPICIUS in Gallia conditas a se Basilicas picturis et imaginibus exornarunt, ut colligitur ex PAULIN. epist. 32. Idem S. PAULINUS in carmine Natal. IX. de S. Felice v. 511. et seqq. narrat se in Basilicæ porticibus Testamenti veteris historias pingendas curasse. Cur autem ita fecerit, rationem hanc affert (ibid. v. 542. — 595.); quod ad celebrandum S. Felicis diem festum ingens rusticorum et imperitorum turba confluat, quæ cum legere nesciat, librorum instar pietas istas figuras habeat; sicque sanctas historias legenti castorum operum, piis inducta exemplis, honestas subrepat. THEODORETUS in vita S. Simeonis Stylitæ testatur, Romæ passim in officinarum propylæis erectas fuisse sancti illius imagines, ut hanc sibi tutelam et præsidium adjungerent. Omitto plures. De posterioribus seculis non est, quod laboremus; cum in illis fuisse imaginum cultum, non negent adversarii.

510. Prob. III. Ratione. 1º. Si enim imperatorum ac regum imaginibus cultus exhibendus est civilis; cur non imaginibus Christi, B. Virginis, ac sanctorum aliorum cultus religiosus, ob excellentiam sacram eorum, quos representant? 2º. Cultus ille in se nihil habet illiciti, ut constat ex ejus expositione facta a Syn. VII., et Tridentino supra. Quin 3º. honor imaginis in prototypum resultat, sicut contemptus, communi æstimatione hominum, et dicente S. AMBROS. in Psalm. 418. serm. 10. n. 25. *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit; et qui statuam contempserit... Imperatoris, Imperatori utique... fecisse videtur injuriam.* 4º. Calvinii sectarii ex disciplina sua curare debent, ut eam Domini, sive Eucharistiam suam sumant summa humilitate, ac reverentia; adeoque religioso cultu; sed hæc, juxta eorum placita, merissimum panis est.



et figura mera Christi corporis, quod tantum figurate representat. Quid ergo cultum religiosum, de quo hactenus, carpunt in Catholicis? Nec dicant, figuram illam esse institutam a Christo; nam ex hoc tantum sequitur: cultum, qui figuræ, qualis etiam imago est, impenditur, nihil in se illiciti et erroris continere; alias Christus non dixisset: *hoc facite*.

511. *Obj. I.* Ex S. SCRIPTURA. Exod. 20. 4. districte prohibet Deus fieri sculptile, vel imagines: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in celo desuper, quæ in terra deorsum, etc.*; ergo a fortiori prohibet cultum sculptilis, vel imaginis.

R. D. *Ant.* Prohibet fieri sculptile, vel imaginem simpliciter et absolute. Nam Deus ipse fieri præcepit imagines duorum Cherubinorum, Ex. 25. 18.; serpentem æneum, Num. 21. 8., qui figura fuit Christi crucifixi, Jo. 3. 14.; Salomon novas Cherubinorum imagines sculpi fecit in templo, 3. Reg. 6. ac in parietibus pingi: nec propterea reprehensus a Deo; sed is templum implevit majestate. Prohibet sculptile, imagines fieri, aut similitudinem, quæ vel pro diis habeantur; vel in quibus tanquam dii colantur, qui non sunt Deus; vel denique in quibus numinis aliquid, vel divinæ virtutis inesse credatur. C. Ideo enim præcipit v. 2. *Ego sum Dominus Deus tuus*; et v. 3. *Non habebis deos alienos coram me*; sive sit imago rei cælestis, ut Solis, Lunæ; sive terrestris, ut hominis, bestię, cujusmodi adorabant gentiles; non habebis pro Deo coram et contra me. Ideo etiam causa datur in seq. v. 5. *Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes*. Ergo tantum intendit Deus prohibere idololatriam; et hæc omnia: *Ego sum Dominus Deus tuus... non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, etc.*, sunt tantum unum præceptum, quibus idem prohibetur, scilicet idololatria; et per hæc quidem: *non habebis deos alienos*, prohibetur actus idololatriæ interior; per illa: *non facies tibi sculptile, etc.*, actus exterior.

Neque dicas cum Calvino: falsum esse, quod gentiles ipsa sua simulacra coluerint ceu Deos, ut supponit responsio; nam quis adeo stupidus et barbarus sit, ut putet lignum, lapidem, et similia esse adoranda? Nam

R. 1º. Si etiam primo non adorassent ipsa simulacra in se, sed in iis deos suos; jam rei fuissent.

R. 2º. N. Id falsum esse de gentilibus universim; etsi enim ex his quidam sagaciores reliquis idolorum inanitatem cognoscerent, ac eorum ceu Deorum cultum riderent, ut fecisse fertur SOCRATES; plerique tamen cæteri stolidi illa opinione laborabant; quin ipsi idololatræ Judæi, ut de his discimus ex Scriptura, Exod. 32. 4. ubi inspecto vitulo aureo, quem fecerant, conclamabant: *Sunt dii tui, Israel*. Et Deut. 32. 17. *Immolaverunt demoniis, et non Deo*. Ergo in idolis sibi verum Deum representabant. Idem patet ex Levit. 19. 4. *Nec deos constatiles faciatis vobis*. Item 4. Reg. 2., Jerem. 2.

De gentilibus constat 1º. ex ipsa S. Script. Baruch. 6. 3. *Videbitis in Babylonia deos aureos, et argenteos, et lapideos, et ligneos in humeris portari... Hi autem non liberantur ab ærugine et tinea... Unde vobis notum sit quia non sunt dii*. Et Dan. 14. 5. *Dixit rex ad eum: Nonne videtur tibi esse Bel vivens Deus? Annon vides, quanta comedat et bibat quotidie? Et ait Daniel arridens: ne erres Rex; iste enim intrinsecus luteus est, et forinsecus æneus; neque comedit aliquando*. 2º. Ex ipsa confessione gentilium conversorum; ita

ARNOBIUS L. 4. cont. gent. c. 39. *Venerabar, inquit, o cæcitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos.. et infra: tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, et beneficia posebam nihil sentiente de trunco: et eos ipsos divos, quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus: cum eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia*. 3º. Idem testatur AUG. de gentibus, L. 3. de Doctr. Christ. c. 7., LACTANT. L. 2. c. 2.

512. *Obj. II.* Ex SS. PATRIBUS. Ex his 1º. S. IRENEUS L. 1. c. 25. n. 6. inter errores Carpocratæ numerat, quod coleret imaginem Christi. 2º. TERTULLIANUS L. de idololatria c. 3. ait, diabolum seculo intulisse artifices statuarum, et imaginum, et omnis generis simulacrorum. Et ibid. cap. 5. præoccupans objectionem, quæ sibi fieri poterat, nimirum: Deum jussisse fieri simulacrum serpentis ænei, respondet, Deum hic in sua lege dispensasse; et subdit: *ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi et tibi Deus jusserit*. Præterea L. cont. Hermog. c. 1. huic tanquam grave crimen objicit artem pingendi; ac L. de Spectac. c. 23. illicitum censet, facere imaginem Dei, qui omnem similitudinem fieri velat. 3º. CLEMENS ALEXANDR. L. 5. Stromat. (opp. p. 559. C.) et in Protrept. (ibid. p. 41. B.) ait jam a Moyse vetitam omnem imaginem; ac L. 6. Strom. (ibid. p. 687. D.) carpit pictores, ceu fures. 4º. S. EPIPHANIUS epist. ad Joann. Jerosolymit. (opp. t. 2. p. 317.) narrat se in vico quodam invenisse velum pendens in foribus ecclesiæ, depictam habens imaginem quasi Christi, vel sancti cujusdam, quod scidisset; quod ibi viderit contra auctoritatem Scripturarum imaginem hominis. 5º. S. GREGORIUS M. in duabus ad Serenum epistolis, eum reprehendit, quod imagines fregisset; sed laudat, quod adorari non permisisset: utpote quæ solum ad historiam, memoriam, doctrinam populi positæ.

R. Ad singulos: S. IRENEUS arguit Carpocratem, quod imaginem Christi eo modo, quo gentes idola, coleret; scilicet sacrificiis; ut declarat Irenæus ipse addens: *et relinquam observationem circa eas, similiter, ut gentes faciunt*. Et clarius EPIPHAN. hæc. 27. n. 6., AUG. hæc. 7. Deinde, non sine contumelia Christi, ejus imaginem apponebat illis gentilium poetarum et philosophorum, Homeri, Platonis, Aristotelis.

TERTULLIANUS in primo loco contra idololatræ agit, qui imagines tanquam deos, aut Deo plenas, sacrilego cultu adorabant. Cumque ferventioris esset indolis, in artifices ipsos invehitur; quod nos non moramur.

In altero loco: non hoc asserit, omnis confectionem imaginis esse prohibitam; sed solum, quæ esse posset populo, in idololatriam proclivi, occasio peccandi, et scandalum. Unde et per simulacrum prohibitum, illud intelligit, quod est ad idololatriam confectum, ut ipse declarat ibid. c. 6. *Potes... verum Deum prædicare, qui falsos facis? Facio, ait quidam, sed non colo... imo tu colis, qui facis ut coli possint*.

Sic et contra Hermogenem non hoc vult, artem pingendi, et sculpendi esse absolute prohibitam; sed in quantum idololatriæ subservit, aut labendi in illam præbet periculum; alias fatetur licitam, L. de Idololat. c. 8. *Habent (artes pingendi, sculpendi) et alias species, quæ sine exorbitatione disciplinæ, id est, sine idoli confectura, opem victus præsent*.

Quoad postremum vero, putavit TERTULLIANUS, sicut et alij volunt, quas-



cumque imagines, saltem lege Synagogæ, fuisse Judæis, ob eorum in idololatriam pronitatem, prohibitas: ac quoniam TERTULLIANI tempore idem periculum esse poterat, ne erroneam de Deo opinionem conciperent, si, qui incorporeus est, depingeretur coloribus, velut corpus habens; nolebat fieri imaginem Dei; quod et alii Patres nolebant.

CLEMENS ALEXANDRIN. primo et secundo loco adversus Deorum imagines loquitur; Lib. 3. enim Strom. (opp. p. 339.) genuina ejus verba sunt: *non esse gestandos annulos; neque deorum imagines esse iis insculpendas, præcipit Pythagoras: sicut Moyses multis ante seculis aperte legem sancit. Cæterum etiam CLEM. ALEXANDR. cum aliis non ferebat pacate, fieri imagines Dei, ut præmonuimus. In Protreptico autem (opp. p. 41.) expresse recenset, Cererem Praxitelis, et Proserpinam, et Iacchum, quos ait, deos putaremus, etc. Demum Strom. L. 6. (opp. p. 687.) pictores appellat fures; sed eos, qui se primos auctores, inventoresque picturarum jactabant; veluti non a Deo, ut ipse CLEM. explicat, suggerente et operante in omnibus ortum haberent; fures ergo vocat respectu gloriæ divinæ, quod gloriam Deo debitam, sibi tribuerent.*

S. EPIPHANIUS imaginem (si tamen hic locus non fuerit assutus ab Iconomachis, ut plures autumant, quod in Syn. VII. Iconomachorum nemo ad eum provocavit) *quasi Christi vel Sancti alicujus, recte concidit; quia, ut indicat particula quasi, non erat apte expressa, adeoque rudioribus offensio esse poterat, et erroris occasio. Imo postea vocat imaginem hominis; ergo dubium erat et ipsi, cujus imago esset. Ejusmodi vero imagines, de quorum prototypo non constat, ponere in Ecclesiis, ait esse contra religionem, ac Scripturæ auctoritatem. Sed et nunc Ecclesia prohibet exponi imagines ejusmodi, ut videre est in TRIDENT. Sess. 23. ubi jubet: Nulla falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuatur, etc.*

S. GREGORIUS M. ep. L. 9. epistola 106. ad Serenum, solum imaginum adorationem excessivam, et latriam arguit, quam illis quidam ex zelo intemperante impendebant; hoc ejus verba indicant, L. 11. ep. 13. ad Serenum (opp. t. 3. p. 1100. et 1101.): *Omne manufactum adorari non licet, quoniam scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies. Et: Hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant (scilicet indiscreti illi fideles) et in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur; ergo solum adorationem latriæ, non honorariam imaginum excludit. Quin hanc agnoscit 1º. L. 9. ep. 6. ad Januarium Caralitan. qua jubet, ut cruce et imagine B. V. (quæ Judæus recens conversus, Judæos vexandi gratia, indiscreto zelo, vi in synagogam intulerat) inde, cum ea, qua dignum est, veneratione sublatis, synagoga Judæis reddatur: 2º. L. 9. ep. 52. ad Secundinum (opp. t. 3. p. 971.) in qua de imagine Christi huic missa inquit: *Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur; sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur. Ubi supponit, prosterni Christianos ante imagines, presertim Christi, licet non quasi ante divinitatem.**

313. Obj. III, Ex Concilio. 1º, Duo Concilia CONSTANTINOP., primum sub

Leone Isauero, alterum sub Constantino Copronymo, damnant imagines, earumque cultum. 2º. Concilium FRANCOFORDIENSE ANNO 794. Can. 2. (Labb. t. 7. 1057) damnat Synodum gen. VII., sive NICENAM II., cultumque imaginum in illa contra Iconomachos decretum; quem cultum Patres, verba sunt, *omnimodis renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt. Idem faciunt Libri Carolini auctore Carolo M.; fecitque Conventus Parisiensis; jussu LUDOVICI Pii congregatus anno 824. carpens epistolam HADRIANI Papæ ad Constantinum et Irenem de cultu imaginum. 3º. Jam multo ante Cone. ELIBERITANUM sub initium IV. sec. Can. 36. statuit (Labb. t. 1. p. 974.), picturas in Ecclesia esse non debere, ne, quod colitur, et adoratur, in parietibus depingatur; ergo.*

R. Ad singula. Concilia illa Constantinopolitana, fuerunt Iconomachorum veterum conciliabula, quæ semper universa fuit detestata Ecclesia; nec ipsi receperunt unquam Patriarchæ Orientis, teste Joanne diacono Act. 6. Syn. VII. (Labb. t. 7. p. 395. C. D.). Unde nihil ex his evincitur. Deinde tolli illa e medio volunt, excepta cruce, ac frangi imagines omnes; contra ac velint hodie ex adversariis multi, politiore ethica instructi: qui imagines saltem memoriæ causa retineri, et politico etiam cultu posse honorari judicant.

Concilium Francofordiense, item Libri Carolini, tum Conventus Parisinus damnant Synodum VII. ob decretum ab ea cultum imaginum, errore facti, quod putarent, a Patribus Nicænis eundem omnino cultum esse decretum imaginibus, qui Deo ac vivificæ Trinitati debetur C. secus N. Occasio hujus erat tum vox adorationis ex se æquivoca, qua sæpe Nicæni Patres usi; tum perversa Actorum Synodi VII. in latinum translatio. Res ita se habuit. CONSTANTINUS Cypriorum Metropolita Act. 3. ita catholice subscripserat (Labb. t. 7. p. 187. C.): *Ego consentio (his decretis) suscipiens et amplectens sanctas, et venerabiles imagines: atque adorationem quæ sit secundum latriam, soli supersubstantiali et vivificæ Trinitati impendo. At Interpres male reddiderat latine hanc subscriptionem hoc modo, quo refertur Lib. 3. Carolino. c. 17. n. 33. Suscipio et amplector honorabiliter sanctas et venerandas imagines, secundum servitium adorationis; quod consubstantiali Trinitati emitto. Unde et cap. 17. L. 3. Carol. hic præficitur titulus: Quod infauste ac præcipitanter, sive insipienter, Constantinus Constantiæ Cypri episcopus dixit, etc., ut ante. Aliam proinde versionem ac genuinæ subscriptioni CONSTANTINI conformem adornavit ANASTASIUS Bibliothecarius tempore JOANNIS VIII. S. P. Eadem est responsio ad HINC MARUM RHEMENSEM, AGOBARDUM LUGDUNENSEM, JONAM AURELIAN. et nonnullos alios Præsules Gallos.*

Porro quod Conventum illum Parisinum in particulari attinet, damnant illi solummodo cultum superstitiosum, et indiscretum, quem putabant ab HADRIANO indultum; unde inquirunt: *indiscrete noscitur fecisse in eo, quod superstitiose eas adorare jussit; verbum adorare æquivocum pro cultu supremo sumentes. Deinde quibusdam illorum solum displicebat modus colendi imagines, ut thymiamate, incurvationibus, luminaribus; non cultus ipse quoad substantiam. Et vero ex illo conventu duodecim episcopi ante missi ad STEPHANUM IV., cum hoc in Synodo Romana anno 769. cultum imaginum decreverant; et liquet amplius ex eorum ad LUDOVICUM Pium epistola, in qua sequentia statuunt: *Imagines sanctorum stulta præsum-**



ptione non sunt confringendæ, et ad injuriam sanctorum abolendæ: en primum; nec assertione superstitiosa colendæ, et adorandæ: en alterum; negant cultum superstitiosum. Sed potius hujusmodi superstitione remota, juxta veram religionem, memoriæ et amoris causa, ob recordationem eorum, quorum imagines habendæ. Ubi dum simul amoris causa haberi volunt imagines, hasque collocari decenter in ecclesiis, cultum earum quoad substantiam non negant Galli; sed solum indiscretum et immodicum, ut ipsis videbatur, ac quoad modum.

Ac tandem, quidquid sit de hoc conventu, qui nunquam inter Synodos numeratus fuit; illo non detinemur, eo etiam ex capite, quod EUGENIO S. P. suam de colendis imaginibus opinionem plene subjecerit, ut constat ex epist. LUDOVICI et LOTHARII ad eundem S. P. EUGENIUM.

Quoad Concilium Eliberitanum R. Plus inde non sequi, quam eo tempore, in illa Hispaniæ parte nondum viguisse usum actualem imaginum; non quod haberetur illicitus secundum se; sed minus conveniens et utilis, Christianis ibi inter gentiles degentibus. Vide, quæ de hac disciplina prænotavimus initio hujus Art., ac partim de ipso hoc Concilio diximus Art. precedenti.

514. Obj. IV. Ex RATIONE Theologica: 1<sup>o</sup>. Catholici imaginibus Christi et sanctorum thus adolent, et luminaria coram illis accendunt; ergo imagines ut Deos colunt. 2<sup>o</sup>. Catholici credunt imaginibus adesse divinitatem; nulla enim alia ratio dari potest, cur ad unam potius imaginem confugiant, eamque peculiari affectu colant, v. g. imaginem B. Mariæ Virginis Laurentianam, Hallensem in Belgio, vel Eremitanam in Helvetia, quam aliam quamcumque; ergo illorum cultus est superstitiosus. 3<sup>o</sup>. Imagines non sunt capaces honoris, cum sensu et ratione carent; ergo non possunt a nobis coli. Imo juxta principia Catholicorum, quilibet homo esset colendus majori jure, quam imagines, eo quod quilibet homo sit viva imago Dei, ad cujus similitudinem creatus est.

Ad 1<sup>am</sup>. R. C. Ant. N. Cons. Catholici nempe imaginibus licite thus adolent, cum ritus ille sit ex natura sua indifferens, atque ex institutione hominum ad varios usus, tam sacros quam profanos usurpetur: solent enim thure res sacræ honorari, item principes, atque etiam defunctorum corpora.

Ad 2<sup>am</sup>. R. N. Ant. Ad ejus prob. iterum N. Ant. Ratio ob quam una imago præ alia majori frequentia colitur, non alia a nobis assignari potest ac debet, quam quod Deus sanctos suos, in hoc potius quam alio loco, præcipuo ac speciali cultu honorari velit, atque idcirco liberalius beneficia sua illis, et non alibi largiatur. Sicut enim teste Apostolo, non omnes sancti habent dona curationum, neque omnes habent dijudicationem spirituum; ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult.

Ad 3<sup>am</sup>. R. D. Ant. Non sunt capaces honoris propter se C. propter prototypum, sive illum quem repræsentant N. Ad sequelam R. Disparitas est, quia etsi homo absolute dignus sit veneratione, quatenus imago Dei est; non proponitur tamen ab Ecclesia colendus ut imago Dei; eo quod pericu-

lum foret, ne homo propter se coli putaretur, cum etiam propter se homo sit capax honoris.

515. QUÆRES: Quonam cultu, absoluto an relativo colendæ sint sacræ imagines?

R. Eas non esse colendas cultu absoluto, eo quod, cum sint res inanimatæ, excellentiam non habeant suo supposito intrinsecam; sed colendas cultu relativo ob excellentiam prototyporum, habentium propriam et intrinsecam excellentiam. Hæc tamen veneratio imaginis relativa, est simul indivisibiliter veneratio absoluta exemplaris, ita ut subscriptio exterior terminetur quidem immediate ad imaginem, et mediate ad exemplar; affectus vero subscriptionis interioris ad solum exemplar terminetur.

Prob. Auctoritate Concilii NICÆNI II. supr. (n. 308.) cit. et S. HADRIANI summi Pontificis in epist. ad Constantinum et Irenem ita loquentis (Labb. t. 7. p. 107. C.): Sic et nos, pro amore et dilectione quam apud Dominum et sanctos ejus habemus, honorabiles eorum effigies imaginibus depingentes, non tabulis et coloribus honorem exhibemus, sed illis pro quorum honore consistunt. Et infra (p. 110. D.) textum S. GREGORII Nysseni adducit, in quo dicitur: Qui ad imaginem conspicit... non tincturis præfert contemplationem, sed ad visionem prototypi conspicit tantummodo, quam per colores magister demonstravit. Tandem Conc. TRIDENT. Sess. 23. in Decreto de SS. Imagin. Honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoramus, et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.

Neque dicas: Tali pacto imagines non vere ac proprie coli, eo quod nulla sit veneratio sine actu interiori, qui, juxta nostram assertionem, ad solum exemplar terminatur. Nam

R. Imagines vere ac proprie coli veneratione relativa: quamvis enim affectus submissionis interioris, quo voluntas nostra affective se submittit alteri, et ejus superioritatem agnoscit, ad solum exemplar terminetur; signum tamen exterius, v. g. genuflexio, vel inclinatio capitis ad imaginem dirigitur, ac terminatur cum actu voluntatis exhibendi imagini signum externum submissionis, ad contestandam submissionem nostram interiorem, ob excellentiam prototypi.

O. A. M. D. G.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
AL DE BIBLIOTECAS





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## CONSPECTUS TOMI SECUNDI

PARS POSTERIOR.

### TRACTATUS DE INCARNATIONE.

	Pag.
PROBEMUM. — Notio Incarnationis et natæ circa illam hæreses. . . . .	1

#### DISSERTATIO I.

DE EXISTENTIA ET VERITATE INCARNATIONIS.

##### SECTIO I. — MESSIAM PRIDEM ADVENISSE JUDEIS OSTENDITUR.

ARTIC. I. — <i>Adventus Messie probatur ex vaticinio Jacobi.</i> . . . . .	10
Ex allato Jacobi vaticinio Messiam pridem advenisse manifeste ostenditur. . . . .	10
ARTIC. II. — <i>Idem probatur ex celebri septuaginta hebdomadum vaticinio.</i> . . . . .	30
Ex allato Danielis vaticinio de septuaginta hebdomadibus, Messiam advenisse manifeste ostenditur. . . . .	31
QUÆRES: <i>Unde LXX. hebdomadarum sit desumendum initium?</i> . . . . .	37
Initium LXX. hebdomadarum Danielis ab edicto Cyri, quod Judæis anno regni Persici primo dedit, recte desumitur. . . . .	38
ARTIC. III. — <i>Messie adventus ostenditur ex Aggæo, et Malachia de templi secundi eversione.</i> . . . . .	48
Ex utroque vaticinio Messiam pridem advenisse evidenter evincitur. . . . .	49
ARTIC. IV. — <i>Messiam illum, qui pridem advenit, esse Jesum Nazarenum Virginis Mariæ filium, a Judæis occisum ostenditur.</i> . . . . .	51
Messias, qui jam pridem advenit, est Jesus Nazarenus Mariæ Virginis filius, a Judæis crucifixus. . . . .	52
ARTIC. V. — <i>Ex signis et vaticiniis aliis Jesum Nazarenum esse verum Messiam ostenditur.</i> . . . . .	54
I. — <i>Mosaicæ legis et fœderis rescissio, et legis novæ, novique pacti institutio (Jerem. 31. 31.)</i> . . . . .	54
II. — <i>Sacerdotii Levitici abrogatio et novi substitutio (David. Ps. 9. Is. 66.)</i> . . . . .	56
III. — <i>Sacrificiorum abolitio (Dan. 9. Malach. 1.)</i> . . . . .	56
IV. — <i>Idololatriæ exterminium, gentiumque ad veri Dei cultum conversio (Ps. 2. Is. Soph.)</i> . . . . .	56



## SECTIO II. — DE JESU NAZARENI DIVINITATE CONTRA JUDEOS ET HÆRETICOS.

	Pag.
ARTIC. I. — <i>Synopsis historica hæresis Arianae et Sociniana</i> . . . . .	63
I. — Arii ortus et initia . . . . .	63
II. — Arii hæresis . . . . .	63
III. — Arii condemnatio . . . . .	64
IV. — Sectæ Arianorum . . . . .	65
V. — Hæresis Sociniana . . . . .	66
ARTIC. II. — <i>Messie divinitas contra Judæos et hæreticos ostenditur ex V. T.</i> . . . . .	67
I. — Argumentum ex Ps. 2. v. 7. . . . .	67
II. — Argumentum ex Is. 9. v. 6. et 7. . . . .	69
III. — Argumentum ex Is. 35. v. 4. et seqq. . . . .	70
IV. — Argumentum ex Is. 45. v. 14. 15. . . . .	71
ARTIC. III. — <i>Vera J. C. divinitas demonstratur amplius contra hæreticos ex N. T. et Patribus Antenicæis</i> . . . . .	73
I. — Argumentum ex Joan. 1. v. 1. . . . .	73
II. — Argumentum ex Joan. 10. v. 30. . . . .	74
III. — Argumentum ex Joan. 5. v. 20 . . . . .	75
IV. — Argumentum ex ep. ad Rom. 9. v. 5. . . . .	75
V. — Argumentum ex Antenicæis Patribus . . . . .	76
ARTIC. IV. — <i>Utrum Liberius P. alicujus reus prævaricationis fuerit, sive subscribendo condemnationi Athanasii, sive ulli Arianorum formulæ?</i> . . . . .	91
Liberius S. P. neque condemnationi S. Athanasii, neque ulli unquam Arianorum formulæ subscripsit, neque eorum complexus est communionem; proinde in causa illa contra Arianos nunquam lapsus est Liberius. . . . .	92
SECTIO III. — DE VERITATE INCARNATIONIS CONTRA GENTILES.	
ARTIC. I. — <i>Utrum et quomodo contra gentiles probetur Incarnationis veritas?</i> . . . . .	107
Incarnationis mysterium gentilibus efficaciter probari potest. . . . .	107
ARTIC. II. — <i>Genealogia Christi a cavillis et antilogiis tum gentilium, tum deistarum vindicatur.</i> . . . . .	119
I. — Jesus Christus ex stirpe David secundum naturam humanam progenitus est. . . . .	120
II. — Evangelistæ S. Mattheus et S. Lucas in Christi genealogia nec sibi invicem, nec V. T. historiæ repugnant. . . . .	122

## DISSERTATIO II.

## DE QUIDDITATE SIVE NATURA INCARNATIONIS.

## SECTIO I. — DE UNITATE PERSONÆ IN CHRISTO.

ARTIC. I. — <i>Epitome historica Nestorianismi.</i> . . . . .	132
I. — Nestorii ejusque hæresis initia . . . . .	132
II. — Nestorii impura dogmata . . . . .	132

	Pag.
III. — <i>Gesta inter S. Cyrillum Alexandrinum et Nestorium</i> . . . . .	133
IV. — <i>Synodus Ephesina generalis III. et Nestorii condemnatio.</i> . . . .	134
V. — <i>S. Cyrilli et Joannis Antiocheni reconciliatio.</i> . . . .	135
ARTIC. II. — <i>Utrum unio utriusque in Christo naturæ vere sit hypostatica sive personalis?</i> . . . . .	135
Unio Verbi divini cum natura humana in Christo est vere hypostatica. . . . .	138
ARTIC. III. — <i>An in Concilio Ephesino canonice damnatus sit Nestorius, et num hujus errori adhæserit Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus episcopis?</i> . . . . .	143
I. — Nestorius legitime ac canonice ab Ephesina synodo damnatus est. . . . .	143
II. — Nunquam Joannes Antiochenus Nestorii erroribus adhæsit. . . . .	147
ARTIC. IV. — <i>Utrum S. Cyrillus, impugnando Nestorium, lapsus sit in Apollinaris hæresim; ejusque epistolæ et anathematismi omnis vacent erroris culpa?</i> . . . . .	149
S. Cyrillus impugnando Nestorium, in Apollinaris hæresim lapsus non est, ejusque scripta, epistolæ et anathematismi omni errore vacant. . . . .	149

## SECTIO II. — DE DUARUM IN CHRISTO NATURARUM DIFFERENTIA.

ARTIC. I. — <i>Historiæ Eutychiæ hæresis summaria relatio</i> . . . . .	154
I. — Hæresis Eutychiæ origo et incunabula. . . . .	154
II. — Eutyches in synodo Constantinopolitana damnatur. . . . .	155
III. — Latrocinium Ephesinum . . . . .	155
IV. — Concilium Chalcedonense in causa Eutycheis. . . . .	157
V. — Turbæ post concilium Chalcedonense, Henoticon Zenonis. . . . .	158
VI. — Eutychiæ sectæ propagatio. . . . .	159
ARTIC. II. — <i>Dogma catholicum de duplici vera integraque natura post unionem contra Eutychianos et Semi-Eutychianos ostenditur.</i> . . . .	159
Natura diviua et humana per Incarnationem Verbi sive unionem non coaluerunt in unam; sed utraque post unionem inconfusa, impermixta et integra permansit. . . . .	159
ARTIC. III. — <i>S. Cyrillum Alexandrinum circa naturarum in Christo differentiam orthodoxe sensisse, nec favisse Eutychiæ ostenditur.</i> . . . .	166
S. Cyrillus Alexandrinus quoad dogma de duarum in Christo naturarum differentia prorsus orthodoxe sensit, omnique Eutychanismi labe ac suspitione purus est. . . . .	166

## SECTIO III. — DE GEMINA CHRISTI VOLUNTATE ET DUPLICI OPERATIONE.

ARTIC. I. — <i>Monothelismi synopsis historica.</i> . . . .	171
I. — Monothelismi origo. . . . .	171
II. — Ecthesis Heraclii, sive rectius Sergii . . . . .	172
III. — Typus Constantis imperatoris. . . . .	173
IV. — Synodus generalis VI. sive Constantinopolitana III. . . . .	173
ARTIC. II. — <i>Contra Monothetarum impietatem defenditur dogma catholicum.</i> . . . .	175



	Pag.
Duæ sunt in Christo voluntates et duæ pariter operationes, divina scilicet et humana. . . . .	176
ARTIC. III. — <i>Utrum Honorius I. summus Pontifex in errorem Monothetarum prolapsus fuerit?</i> . . . . .	179
I. — Honorius in ipsam Monothetarum hæresin lapsus non est. . . . .	180
II. — Nec Honorius unam simpliciter Christi operationem asseruit, nec dici duas prohibuit; sed prima Honorii ad Sergium epistola, ubi in eo unam asserere operationem, aut prohibere duas dicitur, est a Monothetis interpolata; altera vero vel ab his penitus conficta, vel pariter corrupta. . . . .	181
III. — Honorius neque negligentia alicujus, aut socordiae culpam in causa Monothetarum contraxit. . . . .	188

## DISSERTATIO III.

## DE CAUSIS INCARNATIONIS TUM INTRINSECIS TUM EXTRINSECIS IN SPECIE.

## SECTIO I. — DE UNIONE HYPOSTATICA.

ARTIC. I. — <i>Quid sit unio hypostatica?</i> . . . . .	199
I. — Unio hypostatica non est entitas modalis physica realiter a Verbo et humanitate unitis distincta; adeoque Verbum et humanitas seipsis immediate ac formaliter, sine tali medio uniuntur. . . . .	200
II. — Unio igitur hypostatica, physice sumpta, consistit in personalitate Verbi et humanitate, non quidem absolute, et secundum se sumptis, sed sumptis respective, hoc est in humanitate ut terminata ac dependente a Verbi hypostasi; et in hypostasi Verbi ut terminante humanitatem ita dependentem. . . . .	201
ARTIC. II. — <i>An et quomodo unio hypostatica sit supernaturalis, substantialis, omnium maxima, indissolubilis?</i> . . . . .	205
I. — Unio hypostatica est intrinsece et quoad substantiam supernaturalis. . . . .	205
II. — Unio hypostatica est substantialis. . . . .	205
III. — Unio hypostatica in ratione unionis et doni est maxima. . . . .	206
IV. — Unio hypostatica perpetua et indissolubilis est, ac nequidem in morte Christi, dissoluta licet unione inter corpus et animam, destructa fuit. . . . .	207
V. — Verbum Christi sanguini in passione effuso hypostatice unitum mansit. . . . .	208

## SECTIO II. — DE PERSONA ASSUMENTE ET DE NATURA ASSUMPTA.

ARTIC. I. — <i>Utrum naturæ humanæ assumptio solius personæ Verbi sit propria?</i> . . . . .	211
I. — Sola persona Filii naturam humanam assumpsit, sive incarnata fuit. . . . .	211
II. — Ratio formalis, per quam Verbum divinum formaliter terminat naturam humanam, non est natura aut aliud prædicatum ejus absolutum; sed proprietas relativa Verbi, hujus scilicet personalitas. . . . .	212
ARTIC. II. — <i>An Verbum naturam nobis consubstantialem vere sumpserit?</i> . . . . .	218
Verbum divinum veram nobisque consubstantialem naturam assumpsit. . . . .	218
ARTIC. III. — <i>An Christus carnem assumpserit ex matre Maria Virgine, illesa integritate matris?</i> . . . . .	221

	Pag.
I. — Verbum divinum ex beatissima Virgine Maria corpus assumpsit. . . . .	221
II. — Verbum divinum carnem traxit ex Maria Virgine, sive integra, et ante Christi partum viri experte. . . . .	222
III. — Etiam post Salvatoris partum beatissima Dei Genitrix Maria Virgo constanter integra permansit. . . . .	225
ARTIC. IV. — <i>An Verbum omnes corporis humani partes, et quo ordine sibi hypostatice conjunxerit?</i> . . . . .	228
I. — Sanguis a Verbo divino secundum hypostasim, sive immediate et proxime assumptus est. . . . .	228
II. — Verbum immediate assumpsit partes integrales reliquas, solidas et fluidas; sive dicantur anima informari, sive non. . . . .	229
III. — Verbum naturam humanam cum ejus constitutivis assumpsit simul tempore, sive instanti eodem. . . . .	230

## SECTIO III. — DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

ARTIC. I. — <i>An detur vera et realis in Christo idiomatum communicatio?</i> . . . . .	233
Datur vera et realis in Christo communicatio idiomatum. . . . .	233
ARTIC. II. — <i>Quo sensu detur in Christo idiomatum communicatio?</i> . . . . .	236
I. — Abstracta unius naturæ non prædicantur de abstractis naturæ alterius; sed neque abstracta de concretis, aut concreta de abstractis prædicari possunt. . . . .	236
II. — Communicatio idiomatum solum datur in concreto; ut proin concreta unius naturæ de concretis naturæ alterius vere prædicari possint; sive sint substantiva, sive adjectiva. . . . .	237
III. — Communicatio tamen idiomatum non datur in quibuslibet concretis. . . . .	237
ARTIC. III. — <i>An detur communicatio idiomatum in abstracto ad mentem Ubiquistarum?</i> . . . . .	240
Non datur communicatio idiomatum in abstracto ad mentem Ubiquistarum, sive ita ut attributa divina intelligantur realiter esse in humanitate secundum se et formaliter. . . . .	244
ARTIC. IV. — <i>Resolvuntur quædam Erotemata ad extrinsecas compositi Theandrici causas pertinentia.</i> . . . .	250
QUÆRES I. — <i>Quæ sit causa efficiens physica Incarnationis?</i> . . . . .	250
QUÆRES II. — <i>An humanitas Christi merita sit, vel mereri potuerit unionem cum Verbo?</i> . . . . .	251
QUÆRES III. — <i>An Christus ipse meritus fuerit unionem hypostaticam?</i> . . . . .	252
QUÆRES IV. — <i>An Patriarchæ, alique veteris Testamenti Patres, ac ipsa beatissima Virgo meruerint Incarnationem?</i> . . . . .	252
QUÆRES V. — <i>Quenam fuerit Incarnationis causa finalis, seu motiva principalis?</i> . . . . .	254
QUÆRES VI. — <i>An remedium peccati fuerit incarnandi Verbi motivum adæquatum et unicum, sive, sine quo non; ita ut Christus in præsentis ordine et vi præsentis decreti non venisset, si Adam non peccasset?</i> . . . . .	254



## DISSERTATIO IV.

## DE HUMANITATIS CHRISTI PERFECTIONIBUS ET AFFECTIONIBUS.

## SECTIO I. — DE PERFECTIONIBUS HUMANI IN CHRISTO INTELLECTUS.

	Pag.
ARTIC. I. — <i>An Christus qua homo habuerit scientiam beatam, sive beatificam, a quo tempore, et qualem?</i> . . . . .	260
I. — Anima Christi scientia beatifica donata fuit, et quidem a primo conceptionis momento. . . . .	260
II. — Licet Christi, qua hominis, scientia beata longe fuerit clarior et perfectior quam ceterorum Beatorum omnium, non tamen fuit comprehensiva Dei. . . . .	261
III. — Nec per scientiam beatam humanitas Christi videt in Deo omnes creaturas possibles in particulari, sive distincte omnia quæ cognoscit Deus scientia simplicis intelligentiæ. . . . .	261
IV. — Christus tamen, qua homo, videt in Verbo omnia præterita, præsentia et futura. . . . .	262
V. — Christi humanitas non videt omnia futura absolute actualiter, sive actu unico et distincte; sed quasi habitualiter tantum. . . . .	262
ARTIC. II. — <i>An præter scientiam beatam, anima Christi habuerit scientiam per se infusam, et quod hujus fuerit objectum?</i> . . . . .	265
I. — Fuit in Christo scientia per se infusa a primo conceptionis suæ momento. . . . .	265
II. — Christus homo per scientiam per se infusam, quoad res ordinis supernaturalis, cognoscit tum omnia entia creata supernaturalia in seipsis; tum Deum unum et trinum evidenter, non quidem intuitive, sed abstractivè per species alienas. . . . .	266
III. — In ordine naturali, scientia per se infusa, cognoscit humanitas Christi secreta cordium, res futuras, absentes, præteritas, futura conditionata libera, ac possibilia eo modo, quo attingi a creato intellectu possunt. . . . .	266
ARTIC. III. — <i>An et qualem scientiam naturalem habuerit Christus?</i> . . . . .	268
I. — Habuit Christi humanitas, præter scientiam beatam, ac infusam per se, scientiam quoque naturalem eamque perfectissimam, per accidens infusam, ab instanti conceptionis suæ. . . . .	268
II. — Habuit tamen etiam Christi humanitas scientiam experimentalem, nullo modo infusam, sed propriis actibus successive acquisitam: per quotidianam experientiam acquirendo novas objectorum species. . . . .	269

## SECTIO II. — DE HUMANA IN CHRISTO VOLUNTATIS PERFECTIONE.

ARTIC. I. — <i>An Christi humanitas obstricta unquam peccato fuerit, aut esse potuerit, et cur non? Tum an in eo locum habuerit fomes peccati?</i> . . . . .	271
I. — Christus Sanctus sanctorum, nulli unquam peccato obstrictus fuit. . . . .	271
II. — Nec potuit Christi humanitas ullo peccato obstringi. . . . .	273
III. — Impeccabilitas Christi hominis oritur non ex vi solius visionis beatificæ, sed etiam unionis hypostatice, ita ut, seclusa etiam visione beata, Christus adhuc foret essentialiter impeccabilis. . . . .	273
IV. — Nequidem in Christo peccati fomes fuit, sive actu primo, sive secundo; sed uterque in eo extinctus fuit. . . . .	274

	Pag.
ARTIC. II. — <i>An et qualem libertatem habuerit Christi voluntas humana, etiam ad actus inæqualis perfectionis?</i> . . . . .	277
I. — Humana Christi voluntas libertate privata non fuit. . . . .	277
II. — Voluntas Christi humana non tantum a coactione, sed et a necessitate perfecte libera fuit. . . . .	278
III. — Christus nec physice nec moraliter necessitatus fuit ad optimum; sed libertatem habuit ad actus inæqualis perfectionis, ita ut potuerit, omissis perfectioribus, actus minus perfectos ponere. . . . .	279
ARTIC. III. — <i>An Christus, et quale habuerit præceptum obeundi mortem?</i> . . . . .	281
Christus non accepit præceptum rigorosum, obligans in conscientia et moraliter, obeundi mortem. . . . .	282
ARTIC. IV. — <i>De sanctitate humanitatis Christi, gratia, aliisque supernaturalibus donis.</i> . . . . .	287
I. — Humanitas Christi sancta est substantialiter sanctitate increata Verbi. . . . .	288
II. — Præter gratiam unionis, sive sanctitatem substantialem, habuit quoque humanitas Christi gratiæ habitualis plenitudinem; unde in illam promanabat sanctitas accidentaliter excellentissima. . . . .	290
III. — Gratia tamen illa accidentaliter in Christo non est infinita physice, sed solum moraliter: sive tanta, quanta esse potuit spectato fine redemptionis. . . . .	291
IV. — Humanitas Christi cum gratia, infusas pariter accepit virtutes omnes, quæ, respectu Christi, indecentiam vel imperfectionem non important. . . . .	291
V. — Extiterunt in Christo omnia dona Spiritus sancti; ac demum gratias omnes gratis datas in excellentissimo gradu ejus humanitas habuit. . . . .	292

## DISSERTATIO V.

## DE PROPRIETATIBUS ET PERFECTIONIBUS IPSIUS COMPOSITI THEANDRICI.

## SECTIO I. — DE TITULIS CHRISTI.

ARTIC. I. — <i>Utrum Christus Homo sit verus ac naturalis Filius Dei?</i> . . . . .	293
Christus, in quantum homo, est verus ac naturalis Dei Filius; et sub nulla ratione adoptivus. . . . .	297
ARTIC. II. — <i>Expenduntur reliqui Tituli Christi.</i> . . . . .	302
I. — Tituli honoris et potestatis sunt: 1º. Rex et Dominus omnium. 2º. Sacerdos verus et novæ legis Pontifex. 3º. Caput hominum et angelorum. . . . .	302
II. — Tituli officii sunt: 1º. Propheta. 2º. Doctor. 3º. Mediator. 4º. Redemptor. . . . .	304

## SECTIO II. — DE CHRISTI REDEMPTORIS SATISFACTIONE ET MERITO.

ARTIC. I. — <i>An satisfactio Christi fuerit necessaria?</i> . . . . .	306
Necessaria fuit Christi satisfactio ex hypothesi, quod perfecte et condigne sibi satisfieri vellet. . . . .	307
ARTIC. II. — <i>An Christus vere pro nobis satisfecerit?</i> . . . . .	311
Christus vere ac proprie pro nobis satisfecit. . . . .	311



ARTIC. III. — <i>Utrum Christi satisfactio condigna fuerit ac superabundans, imo valoris infiniti, et unde istud?</i> . . . . .	317
I. — Satisfactio Christi fuit condigna et superabundans; et quidem ex se et in actu primo, independenter ab acceptatione divina. . . . .	317
II. — Satisfactio Christi, in genere moris, ex se valoris infiniti fuit; quin illum primo acciperet ex gratuita Dei acceptatione. . . . .	318
ARTIC. IV. — <i>Utrum Christus sit mortuus pro omnibus omnino hominibus?</i> . . . . .	322
Christus vera ac sincera voluntate pro redemptione ac salute aeterna omnium et singulorum, ne uno excepto, mortuus est mortemque obtulit, ut gratias mereretur omnibus ad salutem aeternam vere sufficientes. . . . .	322
SECTIO III. — DE ADORATIONE CHRISTI, CULTU SANCTORUM ET SS. IMAGINUM.	
ARTIC. I. — <i>An et quomodo Christus adorandus?</i> . . . . .	330
Christus homo in utraque natura, divina et humana, hoc est, homo Deus, sive humana Christi natura Verbo hypostaticè conjuncta, uno eodem latría actu absolute adorari debet, quo Verbi divinitas. . . . .	331
ARTIC. II. — <i>An et quo cultu licitum sit Sanctos colere; rectene ac utiliter invocentur?</i> . . . . .	333
I. — Pie ac licite coluntur sancti, cultu religioso dulci. . . . .	333
II. — Cultus ille religiosus, quem Catholici sanctis cum Deo in caelo regnantibus deferunt, omni idololatriæ specie ac umbra caret. . . . .	333
III. — Pie etiam ac utiliter sancti, sive angeli sive homines, a viventibus nobis invocantur. . . . .	335
ARTIC. III. — <i>An et quo cultu S. Crux, item sanctorum Reliquiæ venerandæ?</i> . . . . .	343
I. — Crux Christi tam vera, hoc est, ipsa illa in qua crucifixus est, quam alia sculpta aut picta, ad priorem representandam formata, veneranda est. . . . .	343
II. — Adoratio Crucis est cultus latría relativæ, sive imperfectæ, quæ simul est latría vera absoluta ipsius Christi: consistens in hoc, ut Cruci exhibeamus exteriora signa adorationis, ac adoratio interior, quæ est latría vera, terminetur solum ad Christum crucifixum . . . . .	346
III. — Licitus, pius, ac utilis est Reliquiarum Christi ac sanctorum cultus. . . . .	346
ARTIC. IV. — <i>Sacrarum Imaginum cultus contra Iconomachos asseritur</i> . . . . .	350
Cultus SS. Imaginum Christi ac sanctorum pius et licitus est . . . . .	351
QUÆRES: <i>Quonam cultu, absoluto an relativo colendæ sint sacrae imagines?</i> . . . . .	359





IOTE